4° H. Eccl.
142.

Burmann

H. E V


<36610755580014 S

<36610755580014

Bayer. Staatsbibliothek

H. Eccl. 142.

V. ~~2028~~




J. Wandelaar inv. et fecit

# HADRIANUS VI.

SIVE


# ANALECTA HISTORICA

DE

# HADRIANO SEXTO TRAJECTINO, PAPA ROMANO.

COLLEGIT, EDIDIT, ET NOTAS ADJECIT

CASPARUS BURMANNUS.




*TRAJECTI AD RHENUM,*

Apud JACOBUM à POOLSUM,

MDCCXXVII.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
ET
GRAVISSIMIS,

# ISAACO UBING,

ET

# JOHANNI PETRO A MANSVELT, J. U. D.

URBIS TRAJECTINAE

# CONSULIBUS,

CETERISQUE
NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS
EJUSDEM URBIS

# SENATORIBUS,

COLLEGIS HONORATISSIMIS,

*S. P. D.*

CASPARUS BURMANNUS.

Quod ab omni tempore gentes & civitates ſibi ſummae gloriae duxerunt, protuliſſe ſcilicet viros, qui ſcriptis ſuis & ingenii monumentis immortalem laudem ſunt conſecuti, eo inprimis nomine noſtrum Trajectum jure caput efferre & gloriari poteſt. Produxit enim urbs haec nobis patria, & totius Belgii ocellus, non tantum viros, qui varias dignitates & honores in Reipublicae commodum & emolumentum obierunt, eique ſaepe ruinam minitanti utiliſſima fulcra exſtiterunt; ſed & qui meritis in Rempublicam literariam egregiis famam numquam, dum literis ſuus conſtabit honos & pretium, morituram ad poſteros propagarunt. Dolendum tamen, ſi verum fateri liceat, nullum dari ex civibus noſtris, qui adhuc memoriam illorum conſecrare, aut *de vitis virorum illuſtrium & eruditorum Trajectenſium* commentari in animum induxerit, praeſertim hoc ſeculo, quo egregio inſtituto ubique libros prodire videmus, quibus fata, res geſtae, & praecipue monumenta literaria virorum doctorum cum erudito orbe communicantur. Non quidem tam iniquum fatum experti ſunt, ut nomina eorum penitus oblitera-

ta

ta ſint, cum honorificentiſſime apud varios ſcriptores memorentur; verum cum nullus ex profeſſo Trajectenſium merita proſecutus ſit, innumeri ſcriptores evolvendi ſunt, ſi eorum notitiam adipiſci velimus. Optandum itaque, cum maximum emolumentum adferat ſcire quanam via ad tantum eruditionis culmen adſcenderint viri docti, dari quosdam, qui exempla aliorum imitati, civium ſuorum merita perpetuae oblivioni tradi non paterentur. Et licet ad tale opus nemo ſe accingere debeat, niſi magnis eruditionis copiis inſtructus, ut juſtum & legitimum de iis judicium ferre poſſit; ſaepe tamen id tentandi generoſum impetum animo cepi, ſed quem, dum ea relego, quae de hac materia ex variis ſcriptoribus obſervata in ſchedas conjecta ſervo, argumenti difficultate, & monumentorum penuria deterritus, adhuc reprimendum exiſtimo. Ut tamen inſignioris alicujus viri, cui idem ac mihi natale ſolum contigit, gratae memoriae exſtaret monumentum, Hadriani VI. Pontificis Romani vitam qualicumque modo illuſtrare incepi. Hadriani, inquam, qui non ſola eruditione & pietate, ſed utriusque feliciſſima conſociatione, ad quam a prima juventa optimis erat infor-

matus praeceptis, tantam famam adeptus eſt, ut non tantum praecipua Eccleſiae munera, ſed & ſumma civitatium ac regnorum adminiſtratio non ambientis curae ultro commiſſa ſint. In hoc enim viro, doctrina animique dotibus ac virtutibus ex loco non ita ſplendido ad ſummam dignitatem evecto, tam multa, & admiranda, & omnem fere fidem ſuperantia animadvertebam, ut merito exemplum illis, qui ſupra communem hominum ſortem excellere conantur, proponi poſſe viſus ſit: eumque promeritum fuiſſe judicaverim, ut illius famam & exiſtimationem vindicare tentarem ab injuriis ac mendaciis tum aliorum, tum inprimis Italorum, qui aegerrime ferebant ſummam integritatem morum ac vitae Hadriani, qui, ſi ullum poſterioris aevi praeſulem hoc titulo Roma ſine pudore ornare potuit, haud immerito ſanctiſſimus dictus eſt, obſtare, ne in omne genus luxuriae, aliorumque ſordidiſſimorum ac non nominandorum vitiorum ſe immergere auderent. Invidia enim ablati frendebant Batavum, quem illi *barbarum* vocabant, nulla cupiditate aut honorum contentione, ſed ſolius eruditionis ac virtutis ſuffragatione apicem pontificalem obtinuiſſe. Plurimi quidem infimo

genere

genere & humillimo loco nati, ut Urbanus IV. Nicolaus IV. Caelestinus V. Benedictus X. Gregorius VII. Johannes XXII. Benedictus XI. Urbanus VI. Innocentius VII. Alexander V. Nicolaus V. aliique, Romanae Ecclesiae clavo admoti fuerant; sed quorum plerique pessimis artibus, & misera pudendaque ambitione viam sibi ad Pontificatum muniverant: neminem vero umquam tam sanctis moribus conspicuum, & qui solo virtutis nomine commendatus, nulla concursatione aut prensatione, sed invitus & reluctans, ad maximum illud honoris & dignitatis fastigium evectus erat, superba viderat Roma. Qui doctrina, eruditione & pietate, non tantum Cardinales, sed & omnes istius seculi Praesules, sacerdotes & Doctores antecellens, cum per omnes honorum gradus ad summum Pontificatum pervenisset, oblatam dignitatem demum post longam cunctationem suscepit; non eo animo, quo ab aliis ambiri solet, ut se suosque ditaret; sed ut labantem Ecclesiam Romanensem, cujus praeceptis innutritus erat, fulciret; perversos Clericorum mores, longe ab Apostolorum praeceptis & exemplis abhorrentes, emendaret; & denique pace ubique inter Principes Christianos constituta, Turcas e

finibus & regionibus Christianorum expelleret. Qui a natura omnem pompam exosus, non regiam familiam, ut Leo, aliique ejus decessores, alebat, verum omnes inutiles impensas recidebat, non habendi cura & cupiditate incensus, ut in suum suorumve lucrum reditus patrimonii S. Petri verteret; sed in populi, cujus curam sibi creditam existimabat, commodum & utilitatem eos dispensaret, & ita communi Reipublicae Christianae consuleret. Quod, licet avaritiae cuidam hoc adscribant malevoli, eum ex animo egisse tum maxime patuit, cum post Praesulis mortem in vacua arca nullam pecuniam haeredes ejus, praeter 3000. Imperialium, sibi repositam & relictam mirarentur, teste ipso Cardinale Pallavicino, semper ceteroquin in Hadrianum iniquiore, lib. 11. Histor. Concil. Trident. c. ix. Non aliud Hadriano in Pontificatu propositum fuisse ex rebus ejus gestis, dum Romanae Ecclesiae praeesset, facile evincitur. Italorum vero calumnias, qui eum impudicum, & nescio quibus non sceleribus contaminatum, & rerum gerendarum prorsus imperitum nobis describunt, falsas esse, cui non apparet? Cum enim nullus, antequam Pontificiam sedem adscendisset, im-

pudi-

pudicitiae eum ſuſpectum habuerit, an alicui credibile videri poterit, virum, qui per omnem vitam, etiam adoleſcentiam ac juventutem, cujus venia tam impune eo tempore peccare licebat, ne minimum quidem laſciviae aut impudicitiae ſignum ediderat, in ultima ſenectute, qua etiam in omnia vitia reſoluti reſipiſcere ſaepe ſolent, ſe Veneri conſecraſſe? An ille rerum gerendarum imperitus audiet, qui ante Pontificatum ſuſceptum Ferdinandum Catholicum, alienatum a Carolo Auſtriaco, ſolus demulſit, & cum nepote in gratiam reduxit? qui populos Hispaniae rebellantes tam facile & dextre ad officium revocavit: qui exterus, Hispanis tamen, qui nullos niſi ſuae gentis homines aliquo loco habere ſolent, gratiſſimus fuit: qui Navarram Carolo vindicavit, & omnia ejus regna pacata & tranquilla ipſi conſervavit, aliaque laude immortali digniſſima fecit? An igitur tantus vir, qui haec omnia, antequam Papatum adipiſceretur, peregit, & diu multumque in imperiis & praefecturis verſatus fuit, omnium rerum humanarum & civilium rudis aeſtimandus eſt? Fuit quidem, fateor, Hadrianus noſter Romanenſium ſuperſtitionibus addictus, & Lutheranismo atque cere-

moniarum emendationi obviam ire quam maxime annisus est, ideoque forte multi in patria nostra aegre ferent, me ejus caussam suscepisse, & Batavi, aliaeque gentes, quae ad meliora sacra traductae omne Papae nomen & imperium ejuraverunt, invitis oculis laudes & virtutes Hadriani legent. Verum an religionis solius nomine vir sacris illis depravatis innutritus, sub communi caussa obrui, & iisdem, quibus alii Papae lacerari solent, maledictis infamari debeat, vehementer dubito. Constat saltem Hadrianum, si suis auspiciis vitam regere licuisset, non ita aversatum fuisse viros pios, qui depravatos mores & ritus emendatos videre optabant; immo vero, licet non omnia innovata vellet, in eo tamen cum Luthero consensisse, ut publice praedicaret eos, qui rei ecclesiasticae ab aliquo tempore praefuerant, multum descivisse a primis nascentis Ecclesiae praeceptis, quae vitam purissimam & integerrimam in iis, qui ecclesiastica moderantur negotia, requirunt: & fassum fuisse omnem fere Clerum in cuncta luxuriae & nequitiae genera prorupisse. Hinc Viro, moribus integerrimis & sanctissimis conspicuo, statim ac Pontificalem cathedram adscendisset, ante omnia curae fuit Eccle-

siam

ſiam Romanenſem, & mores eorum, qui eam moderarentur, emendare; verum ſucceſſu plane infelici, non ſua culpa, ſed illorum, qui libidinibus & luxuriis ſuis adſueti, talem Pontificem ſummae rei diutius praeeſſe tolerare nolebant, eumque e medio tollendum, ut frenum priſtinae licentiae ſolverent, exiſtimabant. Si enim Hadrianus noſter iis temporibus, quibus adhuc morum integritate & vitae probitate cenſebantur Episcopi, aliique rebus divinis praefecti, vixiſſet, omnes uno ore ſanctitatem ejus & mores caſtiſſimos praedicaſſent; verum ejus Pontificatus in illa incidit tempora, quibus non Patrum, antiquorumque Conciliorum decreta vim, quam par erat, obtinebant, ſed omnia Eccleſiae (uti vocant) praecepta exolita & obliterata negligebantur: Clerus nulli non libidini & luxuriae indulgebat: & ipſa Eccleſia, in officinam nequitiae & flagitiorum mutata, ignavos ventres, & civitatibus & regnis gravia pondera alebat: inimicitiae maximae & internecinae inter Chriſtianos Principes vigebant: tota Italia bellis perniciosiſſimis fere devaſtata, aerarium Pontificium non tantum exhauſtum, ſed & magno aere alieno preſſum erat: peſtilentia graviſſime Romam adfligebat: Turca Rhodum

obſidebat, & innumera alia totum orbem perturbabant & miſcebant incommoda, quibus ſuccurrere debebat Hadrianus noſter. Non mirum ergo, ſi, difficillimum Pontificatum adeptus, omnia, quae emendanda & in integrum reſtituenda animo conceperat, tam brevi temporis ſpatio ad optatum perducere nequiverit exitum. Miranda magis animi magnitudo, quo his moribus & temporum diritate auſus fuerit emendationem deſperatae Eccleſiae agitare.

Hujus ergo, Viri Ampliſſimi, Hadriani, primi, & huc usque ultimi ex Belgio Pontificis, vitam & res geſtas, a variis auctoribus conſcriptas, & in unum faſciculum collectas, vobis do, dico, dedico. Ex nullius civis fortunis & meritis tam veram laetitiam perceperunt olim majores noſtri, quam ex Hadriani VI. honoribus & dignitatibus; quam etiam, ſimul ac Romanum Pontificem electum intellexiſſent Proceres noſtrae civitatis, quibus eo tempore ſummum hujus urbis regimen concreditum erat, omni modo publice teſtati ſunt, ſummo ſibi honori fore putantes, tantum virum ex gremio ſuo prodiiſſe. Si iſtius temporis Proceribus ea mens fuerit, Vobis quoque, Viri Ampliſſimi, qui hodie non minori cura, favore &

ſtudio

ſtudio viros doctos, qui induſtria & labore ſcientiarum pomoeria proferre ſtudent, non tantum apud Vos natos, ſed & peregrinos, quorum merita in Rempublicam literariam Vobis innotescunt, fovetis & proſequimini, non ingratum fore confido, ſi viri, veſtra ex urbe orti, vitam publice exponens, ejusque famae & exiſtimationi conſulens, fasciculum iſtum, quo ea, quae ab Hadriano geſta ſunt, comprehenduntur, Vobis offerre audeam. Collata quoque tot a Vobis in me beneficia poſtulabant, ut grati animi erga Vos monumentum aliquod exſtaret. Vos enim non tantum me, ut civem veſtrum, ſemper omni honore & benevolentia proſecuti eſtis, verum etiam ante hoc biennium, ut collegam in ampliſſimum ordinem veſtrum cooptare voluiſtis, ut ita in Senatum adlectus, una Vobiscum civibus noſtris emolumento eſſem, & labantem Rempublicam pro partibus nobis creditis, quantum in me eſt, Vobiscum fulcirem. Ingratiſſimus omnium merito audirem, niſi & mentis memoris publica teſtificatione animum illum prolixum & benevolentem agnoſcerem, & ad auctores dignitatis meae primos otii, quod de Republica mihi ſuperfuit, fructus referrem. Vos modo

do eadem benignitate, qua me inter Senatores celeberrimae hujus civitatis adſcribere voluiſtis, hunc etiam, quaeſo, foetum accipite, meque eo favore, quo jam cepiſtis, proſequi pergite. Ego invicem adſiduis precibus ſummum Numen fatigare non deſiſtam, ut Vos diu incolumes conſervet, & conſilia Veſtra, quae unice in Reipublicae & Civitatis hujus ſalutem & commodum tendunt, benigne fortunet, eorumque, qui Vobis & Reipublicae male volunt, conatus irritos reddat; ut, ita decurſo hoc ſtadio, fideliterque muneribus, quibus Altiſſimus Vos praefecit, adminiſtratis, tandem perpetua ac ſtabili felicitate fruamini. Dabam Trajecti Batavorum Kalendis Februarii MDCCXXVII.

PRAE-

# PRAEFATIO
## AEQUO ET
# BENEVOLO LECTORI.

Solent, qui proprios ingenii vel eruditionis foetus producunt, vel aliorum arte & ſtudio elaborata monumenta, ſive inedita ſive edita, ſed quae non paſſim nota & obvia, quam maxime tamen commendabilia, & lectu digniſſima exiſtunt, in lucem emittunt, Lectorem non antea ad ipſa ſcripta dimittere, quam praefatione quadam ordinem, quem in tractandis argumentis & materiis obſervaverint, & rationem, qua impulſi foetus ſuos orbi erudito obtrudunt, edocuerint: aut ſi aliorum ſcripta exhibeant, ea quam maxime commendaverint, auctorum fata enarrarint, deque iis teſtimonia aliorum doctorum collegerint et concervarint. Eorum veſtigiis inſiſtens, cum mihi has partes impoſitas viderem, brevi praefatione de ratione, qua impulſus haec *Analecta Hiſtorica de Hadriano* VI. produxi, & de ipſis ſcriptoribus, quorum opuſcula exhibeo, commentari volui.

In evolvendis igitur monumentis, ex quibus illuſtrari poſſunt fata eorum, qui hic Trajecti geniti & nati, doctrinae & ingenii meritis nomen, famam, & exiſtimationem inter eruditos conſecuti ſunt, occupatus, cum tot & tam varia de *Hadriano* noſtro ab Hiſtoricis, qui res ejus temporibus geſtas ſcripto conſignarunt, tradita invenirem, quibusdam eum tanquam optimum & Petri cathedra digniſſimum Pontificem, aliis tanquam peſſimum, & neſcio quibus non vitiis contaminatum, deſcribentibus, omnia ſtatim, quae de *Hadriano* legenti mihi & perſcrutanti obveniebant, & propo-

ſito meo facere videbantur, adnotare, & in ſchedas conjicere incepi. Ita vero perſpectis rationibus, quibus plerique Itali, & alii Papalis tyrannidis acerrimi vindices, inducti, certatim tam male exiſtimare de eo voluerint, brevi diſſertatione vitam & res geſtas ejus conſcribere, iisque ordine deductis, inde probare, quantus qualisque vir fuerit *Hadrianus*, & famam ejus, quantum poteram, ab atrociſſimis Italorum calumniis vindicare in animo erat. Quod animi propoſitum cum Patri meo venerando indicaſſem, mihi auctor fuit, ut *Gerardi Moringi* libellum de *vita Hadriani* VI. hodie rariſſimum, iterum in lucem emitterem, & iis, quae ex aliis ſcriptoribus a me adnotata erant, illuſtrarem. Poſtea vero ſuaſit, ut & *Jovium de vita Hadriani* VI. aliaque monumenta paſſim diſperſa, ad vitam & res geſtas *Hadriani* noſtri pertinentia, ei ſubjungerem, & ita uno quaſi faſciculo illuſtriora *Hadriani* VI. elogia comprehenderem. Verum cum nondum omnia monumenta, ex quibus *Hadriani* vita illuſtranda erat, nancisci potuerim, & varia adhuc ſupereſſent, quae fruſtra quaeſita adhuc perluſtrare non contigit, exſpectandum, & eorum, quae posſidebam, editione ſuperſedendum, donec meliori fortuna uſus, reliqua etiam in manus meas incidiſſent, exiſtimabam: & jam ſeponere collectanea mea, donec plura inveſtigaſſem ſubſidia, decreveram, niſi iterum venerandus Pater hoc conſilium discusſiſſet. Poſtquam enim hac de cauſſa illorum, quae collegeram, editionem ulterius haud differendam oſtendiſſet, cum ſemper, licet plurima ſubinde nova accederent, aliquid tamen defuturum foret, nihil cunctatus Typographum adii, eique haec *Analecta* imprimenda tradidi.

Vides itaque, Benevole Lector, primo loco prodire *Gerardi Moringi* libellum *de vita Hadriani* VI. Qui parvae molis, ſed hodie adeo rarus, ut in paucis in patria noſtra bibliothecis exſtet, olim prodiit Lovanii ex officina Rutgeri Reſcii menſe Novem-

bri

bri anno MDXXXVI. Fuit vero hic *Gerardus Moringus* patria Bommelanus Gelder, uti tradunt Miraeus de Scriptoribus seculi decimi sexti cap. I. §. LXVIII. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, & Halma in Theatro Foederat. Civitat. Ita tamen, ut in ipsa urbe Bommela primam lucem non adspexerit, sed in agro vicino, in illo scilicet tractu regionis, quae *Bommelerweert* appellatur, uti nos docet Heussen. tom. II. Antiquit. Ecclesiast. p. CCCLXXI. Hic Theologiae operam dare proponens, optimo instituto antea humaniorum literarum cognitionem sibi comparandam esse existimavit. Primo itaque se tradidit disciplinae *Adriani Barlandi.* vid. Valer Andr. & Miraeus d. l. §. XLIV. socium studiorum nactus *Cornelium Musium*, uti testatur Valer. Andr. in Biblioth. Belg. in Cornelio Musio. Eo tempore *Adrianus Barlandus*, natus IV. Kal. Octobr. MCCCCLXXXVII. uti tradit Melchior. Adam. vit. Phil. p. CXXI. Lovanii literas humaniores profitebatur, easque publice docebat. Vir ea aetate satis doctus, & cujus eruditionis varia adhuc monumenta supersunt: quem Erasmus in Epistola CXCII. vocat *virum venusto ingenio nec inamoena sermonis facilitate.* Ejus vitam & scripta recensent Miraeus in Elog. Belgic. class. IX. p. CLXXVII. Valer. Andr. in Biblioth. Belg. & de Collegio Trilingui p. XIV. Sweertius in Athen. Belgic. p. CCLXXXIV. & Vernulaeus lib. III. Academ. Lovaniens. c. XIII. Licet scripta ejus, praesertim historica, non magnae auctoritatis esse pronunciet celeberrimus Scurzfleitschius Epistol. LII. Hoc ergo praeceptore in Graeco latinoque sermone usus *Moringus*, cum ex ejus dictatis & disciplina optimam istarum linguarum cognitionem hausisset, postea se ad Theologiam adplicuit. In qua eos progressus fecit, ut Academico stadio decurso, primo Lovanii ad S. Gertruden Pastor, deinde Canonicus, Pastor & Lector ad S. Trudonem in ditione Leodicensi fuerit, & tandem Lovanienses eum ad suam Academiam evocarint, ubi ma-

gna cum eruditionis ſama Theologiam docuit. *Vir multa lectione exercitatus*, *& latina eloquentia ſpectabilis* dicitur a Sweertio in Athen. Belgic. d. l. & *Vir exactae doctrinae & eloquentiae* a Miraeo de Scriptorib. ſeculi decimi ſexti c. I. §. LXVIII. & Valer. Andr. in Biblioth. Belgic. ubi & docent errare *Arnoldum Wionum*, quique eum ſecutus eſt, *Poſſevinum*, qui *Moringum* Monachis Benedictinis adnumerant. Plura vero ſcripſit & edidit *Moringus*, quae recenſent Miraeus, Valerius Andreas, & Sweertius, inter quae eminere *vitam S. Auguſtini*, quam ex ipſius potiſſimum Auguſtini monumentis conſcripſit, teſtatur Teiſſerus in Catalogo Auctorum, qui librorum Catalogos, Indices, Bibliothecas &c. ſcripto conſignarunt pag. CIX. Diverſus autem eſt *Moringus* a *Gerardo Geldenhaurio* Noviomago, cui *Moringi* cognomentum dat Cornelius Callidius, uti recte notat Valerius Andreas in Biblioth. Belgic. in *Gerardo Geldenhaurio*. Obiit autem noſter *Moringus* Trudonopoli anno MDLVI. die IX. Octobris, uti tradunt Jacob a S. Carolo in Bibil. Pont. Miraeus & Valer. Andr. dd. ll. Primum vero locum dedimus huic opuſculo ſumma fide, & ſtilo ſatis nitido pro eo, quo vixit, ſeculo, & pro perſona, quam ſuſtinuit, Theologo ſcilicet, et quidem Lovanienſi, conſcripto. Lovanienſes enim Theologi eo tempore, neglectis omnibus humaniorum literarum ſtudiis, *Thoma*, *Schoto*, aliisque ejus farinae ſcholaſticis Doctoribus interpretandis et explicandis ſe totos dabant; et eos, qui literarum cognitionem, ſine qua nemo unquam felix Theologus evaſit, neceſſariam exiſtimabant, in haereticorum (ut vocabant) caſtra tranſiiſſe clamabant, ut ex variis Erasmi, aliorumque locis probare poſſemus. Iniquior, fateor, fuit *Moringus* Luthero; ſed perſonae, quam ſuſtinuit, et tempori, quo vixit, illud condonandum arbitror. Cum autem nobis tantum propoſitum ſit *Hadriani* vitam et res geſtas illuſtrare, et jam dudum a viris doctiſſimis et Theologis eruditiſſimis, qui puriora ſacra amplexi

ſunt,

ſunt, & praecipue ab illuſtriſſimo Seckendorfio in *Hiſtoria Lutheranismi*, opere immortali laude digniſſimo, calumniae illae in Lutherum, primosque emendatae religionis conditores, refutatae ſint, nos iis refellendis tempus conſumere inutiliter noluimus.

Inter eos vero, qui *Hadriani* fata poſteritati tradiderunt, cum non infimum locum obtineat *Paulus Jovius*, hinc integrum ejus *de vita Hadriani* VI. commentarium hic exhibendum eſſe exiſtimavi. Celeberrimus hic Hiſtoricus, cui a Leone X. Hiſtorici Pontificum munus fuit demandatum, variorum Pontificum, Cardinalium, aliorumque Italiae Principum, Ducum, & variorum eruditione & re bellica illuſtrium, vitas conſcripſit. *Jovio ſingularem doctrinam, virtutem, eloquentiam & incredibilem comitatem, & quandam raram jucunditatem a natura datam atque inſitam*, agnoſcit Sadoletus lib. V. Epiſtol. VII. De quo ita Honoratus Faſitellus in Delic. Poëtar. Italor. tom. I. pag. 955.

*Nae debent Jovio viri elegantes,*
*Bonis artibus his, & his politi,*
*Nae debent Jovio, elegantiarum*
*Parenti, artibus omnibus polito,*
*Quantum vix animus capeſſat ullus.*
*Nec vivi modo, qui vident, amantque,*
*Urbani ſenis & ſalem & lepores;*
*Sed quos lumine adempto avarus Orcus*
*Quis ſcit quo cohibet loco miſellos?*
*Nam facit Jovius ſuis tabellis,*
*Excultis lepido ſuo labore,*
*Lethi funera non timere vivos,*
*Vitam vivere mortuos perennem.*

Licet vero magnam famam adeptus ſit *Jovius*, diu tamen ob-

servarunt viri docti, parum fidei ipsi habendum, cum regnantium gratiam captando, saepe Historiae leges temerare non dubitaverit. vide Baillet Jugemens des Scavans tom. I. p. CCXXVIII. edit. prior. Bayle in Lexico, & venerandum Patrem in praefat. I. Thesaur. Italiae pag. VI. qui & pag. XII. ostendit ingratum ejus erga *Hadrianum* nostrum animum, a quo Comensi sacerdotio ornatus, ut ipse in vita ejus agnoscit, ut honorificum in ejus historia locum pro munere hoc apud posteros haberet, alibi tamen in aliis Historiarum libris ipsi iniquior exstitit. Licet vero *Jovii* fides vacillet, magni tamen hic foetus habetur. Praeter enim intimam cum Cardinale Medicaeo familiaritatem, insuper certam rerum gestarum notitiam hausit ex Cardinale Enchavordio, *Hadriani* negotia tempore ejus electionis Romae agente, cui ab intimis postea consiliis opusculum suum quoque dedicavit, uti ex Cardinale Pallavicino lib. I. Histor. Conc. Tridentin. cap. II. observat Heussenus in Histor. Ecclesiast. tom. II. pag. CXXVI. Plura nos de *Jovio*, cum fata ejus notissima sint, addere supersedemus. Monendus tantum Lector, me *Moringum* & *Jovium* in capita distinxisse, cum in ante editis continuo contentu eorum scripta legantur.

Vitam *Hadriani* VI. conscripsit etiam *Onuphrius Panvinius*, & ideo hic quoque inserendus videbatur; verum quoniam nihil ibi exstet, quod non ad verbum in *Moringo* et *Jovio* inveniatur, ne moles libri augeretur, eum omittendum esse duxi.

Hisce adjungere placuit *Historiam Conclavis Hadriani* VI. uti eam exhibet celeberrimus Struvius tom. III. Actor. Literar. Quae cum quoque extaret apud Papebrochium in Propylaeo ad Acta Sanctorum mensis Maii, nos utramque contulimus, et variantes lectiones adnotavimus, ut ibidem in notis docuimus.

Historiam Conclavis sequitur *Itinerarium Hadriani* VI. *ab Hispania Romam usque, ac ipsius Pontificatus eventus, per Blasium Ortizium.*

Fuit

Fuit hic *Blasius Ortizius*, antequam in *Hadriani* familiam transiret, Provisor, & vices gerens Episcopi Calagurritani ægroti, a quo Victoriam ad *Hadrianum* Pontificem electum, ut ipsi novam dignitatem gratularetur, missus fuit. Ea occasione *Ortizius* se *Hadriano* commendavit, & ut in familiam ejus adscriberetur, rogavit. Qui eum non tantum Capellanum adsumpsit, ut ita a sacris esset, sed & supplicibus libellis examinandis, aliisque negotiis agendis præfecit. Quibus muneribus ad obitum *Hadriani* persunctus, eo mortuo in patriam reversus, Canonicus & Vicarius Generalis Toletanus fuit. Magnæ certe auctoritatis & fidei est hic scriptor, qui oculatus testis interfuit omnibus, quæ *Hadrianus*, postquam Pontificatum suscepisset, gessit. *Eleganter & luculenter Hadriani Pontificatus historiam ab eo descriptam* judicat Papebrochius in Propylaeo ad Acta Sanctorum mensis Maji in Conatu chronico-historico ad Catalogum Pontificum pag. CLIII. Prodiit hoc *Itinerarium* Toleti anno MDXLVII., sed cum in paucis Bibliothecis exstaret, & rarissimum esset, jam Miraeus de Scriptoribus seculi decimi sexti §. XXX, operae pretium judicavit, hunc libellum iteratis typis publicari. Hinc postea Baluzius in tom. III. Miscellan. pag. CCCLI. & seqq. illud edidit, cujus editionem secuti sumus. Et nos foetum hunc minime hic omittendum duximus; tum quia *Ortizius* egregie optimi Pontificis famam ab impiis calumniis, quibus ejus merita contaminare Itali quidam, aliique malevoli conati sunt, vindicat; tum etiam, quia omnia, quae ab *Hadriano* in itinere & Romae gesta sunt, cum semper ipsi fidelissimus comes adfuerit, & omnibus ejus rebus gestis interfuerit, luculentius narrat, quam alii: tum denique, quia optime fontes infensissimi & dirissimi Italorum, & praesertim Cardinalium, aliorumque aulae Pontificiae ministrorum, odii nobis aperit & demonstrat.

*Iti-*

*Itinerario* ſubjicere viſum fuit *Apocalypſin*, *ſive viſionem mirabilem, ſuper miſerabili ſtatu matris Eccleſiae, & de ſumma ſpe ejus reparandae ex inopinata promotione venerandiſſimi Domini Domini Hadriani, Trajectenſis & Hiſpaniarum Archiepiſcopi, viri undecunque doctiſſimi, in ſummum Romanorum Pontificem, & Eccleſiae Sponſum, Chriſtique Vicarium, auctore Cornelio Aurelio Gaudano.* Hic *Cornelius Aurelius*, cognomento *Lopſenus*, *Gaudanum* ſe adpellavit ab urbe patria Gauda, ubi natus fuit. Fuit vero Canonicus Regularis S. Auguſtini in Hemsdonk, territorii Dordracenſis. vid Heuſſen. tom. IV. Hiſtor. Eccleſ. p. DLXVII. ejuſdem ordinis, quo erat illius in literis vitaeque genere diſcipulus *Deſiderius Eraſmus*, uti teſtatur Valerius Andr. in Biblioth. Belg. in *Deſiderio Eraſmo.* Societas haec Canonicorum, uti vocant, Windesheimenſis inſtituti, eo tempore quam maxime florebat, cui Belgas inprimis omnem fere veterem doctrinam in Bibliothecis ſervatam debere tradit Miraeus Claſſ. IX. Elog. Belgic. p. CLXXXII. Et licet *Eraſmus*, cujus Epiſtolae ad *Aurelium*, & *Aurelii* ad *Eraſmum* exſtant in Append. Epiſtol. Eraſmi Epiſt. CCCCVII. & ſeqq. eum vocet *virum doctiſſimum*, *eloquentiſſimum*, *Poëtam*, *atque Theologum doctiſſimum*, & variis elogiis ornet, poſtea tamen, controverſia quadam inter illos orta de eloquentiae & Poëtices laude, quam *Eraſmus Laurentio Vallae*, *Aurelius* vero *Hieronymo Balbo* adſignabat, amicitia inter utrumque aliquantulum refrixit. Videndus Luiſcius in Lexico in *Aurelio.* In Coenobio vero iſto librarius fuit, exſcribendis libris per totos dies occupatus, ut ipſe de ſe teſtatur. Hunc *Aurelium* dictum & *Cornelium Gerardi*, & Hieronymianae vallis Canonicum apud Delfenſes quoque fuiſſe, & auctorem epiſtolae, ut & carminis ad *Robertum Gaguinum*, quae leguntur poſt libellum *Gaguini de Geſtis Francorum*, exiſtimat H. V. R, in not. ad Heuſſen. tom. V. Hiſtor. Eccleſ. p. DCXXXVIII. tum quia epiſtola illa & carmen eodem tempore, quo *Aurelius* noſter

ster vixit, composita; tum quia stilo satis nitido conscripta sint. Diversus vero a *Cornelio Gaudano*, qui et *Cornelius Loseus*, sive *Callidius*, dictus fuit, de quo vid. Valer. Andr. in Biblioth. Belgic. et Bayle in Responſe aux queſtions d' un Provinc. c. III. p. XXIII. Fuit vero *Aurelius* noster vir ea aetate satis doctus, Theologus, Historicus, et Poëta satis celebris, unde a Gerardo Geldenhaurio in Historia Batavica circa finem dicitur *Historicus & nobilis versificator*, & a Valerio Andrea in Biblioth. Belgic. in Desiderio Erasmo, *Poëseos laude celebris, & Historicus, ut ejus aevi genius erat, insignis.* Et quidem Historiarum ac Poëtices laude tantam famam consecutus est, ut ei, nihil tale ambienti, Maximilianus Imperator per Oratorem suum Stephanum de Cracovia laurum Apollineam miserit. vid. Miraei Elog. Belgic. class. IX. pag. CLXXXII. & Sweert. Athen. Belgic. p. CLXXXI. Variis vero scriptis & ingenii monumentis nomen inter eruditos meruit, & famam sibi comparavit; sed de cujus vita & scriptis plura addere supersedemus, cum de iis dissertationem scripserit Bonaventura Vulcanius ante *Aurelii Bataviam*, quam edidit anno MDLXXXVI. Videndi quoque Miraeus in Elogiis Belgicis, Sweertius in Athenis Belgicis, Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica dd. ll. Heussen. in Histor. Ecclesiast. tom. II. pag. CCCCLXXXIX. & Luiscius in Lexico nuper edito. Numquam vero, quantum scio, haec *Apocalypsis* prodiit, & proela exercuit, neque ejus meminerunt modo adducti & citati scriptores, qui de ejus vita & scriptis commentati sunt; latuit autem inter scrinia Bonaventurae Vulcanii in instructissima Bibliotheca Leidensi publica. Cujus rei certior factus a Patre optimo, cui istius Bibliothecae cura demandata est, statim illam describendam curavi, & cum MS. contuli. Et licet in ea mirae locorum Sacrae Scripturae interpretationes allegoricae occurrant, in quibus cum eo non consentimus, cum tamen & hodie quibusdam ea methodus varia S. S. loca explicandi

arrideat, & forte oſtendi poſſet quoſdam ex Theologis noſtris in eo ſtudio Aurelio noſtro ineptiores eſſe, hinc minime hunc *Aurelii* foetum contemnendum, aut perpetuis tenebris damnandum, verum ex iis eruendum, & ex clauſtris illis producendum, publicaeque luci exponendum putavi. Et mire mihi, cum primum legere contingeret, ſtatim placuiſſe libenter adfirmo; et ſolam cauſſam, quare ſuppreſſus numquam lucem adſpexerit, fuiſſe exiſtimo, quod liberrime vitia Clericorum, et eorum, qui ſuo tempore Eccleſiaſtica moderabantur negotia, prodit. Non ergo ingratam orbi erudito rem me facturum confido, ſi hoc *Aurelii* ſcriptum faſciculo huic inſeruerim. Egregium enim mihi videtur iſtius temporis monumentum, in quo perplacet, et undique elucet viri illius ſumma pietas, qui omnia in Eccleſia ſuo tempore depravata recte judicat, cum ſine diſcrimine omnibus ad ſacros ordines pateret acceſſus; et cum non juxta Patrum priſcorum decreta in homines doctos, vitae integros, et moribus ſanctis conſpicuos; ſed in idiotas, et literas vix callentes, et improbam et impuram vitam agentes, Eccleſiaſticae conferrerentur dignitates, ſacris muneribus ad plus offerentes delatis. Neque tantum infimi ordinis Clericorum vitia redarguit; verum et ipſos Cardinales, Epiſcopos, Praelatos, alioſque, qui ſummae rei Eccleſiaſticae praefecti erant, nullis virtutibus, quibus Apoſtoli, quorum ſucceſſores ſe jactant, praediti et conſpicui erant, ornatos; ſed in omne genus nequitiae, luxuriae et libidinis ſe immerſiſſe fateri non erubeſcit. Tantis vero vitiis et ſceleribus cum contaminati eſſent Praeſules, et ſummi rerum Eccleſiaſticarum moderatores, miſerum profitetur Eccleſiae ſtatum, eumque non emendari, neque in melius corrigi poſſe docet, niſi aliquis praeſideat ſanctitate morum, doctrina, eruditione, aliiſque virtutibus praeditus et conſpicuus. Et cum *Hadriani* noſtri animi dotes, pietas, caſtitas, prudentia, doctrina, ceteraeque

que ejus insignes virtutes, ipsi viam ad Pontificatum aperuerint, non vanam spem se concepisse jactat, talem Praesidem brevi Ecclesiae statum emendaturum. Egregium ergo hoc istius aevi monumentum amplius latere nolui, sed proelo committendum esse duxi. Opusculum vero ipsum notis quibusdam ex antiquorum Conciliorum decretis illustravi, ut inde pateret justissimam esse *Aurelii* querelam, suo scilicet tempore omnia Ecclesiae, ut vocant, praecepta negligi, neque amplius ad ea adtendi. Monendus vero Lector, ea, quae in margine adscripta habet Codex, alterius esse manus, non vero auctoris, & nos *Apocalypsin* hanc eadem orthographia, qua in MS. conspicitur, hic exhibere.

Licet in notis meis, quibus *Moringum* & *Jovium*, vitam & res gestas *Hadriani* nostri describentes, illustrare conatus fui, *Miraei*, *Valerii Andreae*, *Sweertii*, aliorumque, qui *Hadriani* elogia scripto consignaverunt, pleraque verba adduxerim, ut tamen illustriora haec elogia & breves vitae ejus descriptiones integras hic adnecterem, ne Lector alibi illa quaerere cogeretur, sed ad manum haberet quo recurrere posset, auctor mihi fuit venerandus Pater. *Illustriora* igitur *Hadriani* VI. *Elogia*, *& breves vitae ejus descriptiones*, quarum catalogus post hanc praefationem videri potest, hic exhibeo. Ne vero quis criminaretur, nos tantum ea, quae in *Hadriani* laudem dicta sunt, produxisse, etiam trium celebriorum, quos Italia eo tempore habebat, Poëtarum, *Sannazarii*, *Pierii Valeriani*, & *Francisci Berniae* virulentis carminibus, quibus *Hadrianum* omnibus invisum reddere conati sunt, ut & integrae *Batti Parmensis* epistolae, hic locum dare voluimus. Quorum atrocissima convitia, inde nata, quia invidebant Batavo eam fortunam, nec tam splendidum comitatum alebat, nec in Poëtas tot munera & invidiosa stipendia congerebat *Hadrianus*, ut Leo ejus decessor, verum contra a Leone ipsis concessa adimebat, si quis conferat cum iis, quae de *Hadriani* mitissimo ingenio, insignibus

 animi

animi dotibus, & moribus integerrimis, *Moringus*, *Jovius*, & qui quotidie ipſi adfuit, *Blaſius Ortizius*, nobis tradiderunt, facile efficiet, & ſibi perſuaderi patietur, falſas omnes & fide indignas fuiſſe calumnias.

Quoniam vero hodie inter eruditos convenit, virorum clariſſimorum vitas & fata ex nullis monumentis felicius poſſe illuſtrari, niſi ex eorum epiſtolis, hinc illas, quas *Hadrianus*, & alii ad eum ſcripſerunt, quotquot invenire potui, paſſim diſperſas collegi, & huic opuſculo inſerendas exiſtimavi. Quibus *Epiſtolam Wilhelmi Lochorſtii de morte Hadriani* VI. adjeci, quae exſtat in Append. ad Bek. & Hed. p. XI. Qui *Wilhelmus Lochorſtius* fuit filius naturalis *Hermanni* Decani Salvatoris, uti adnotavimus ad Aurel. pag. CCLVI. Canonicus ad D. Mariae factus III. Novemb. MDXVI. & Scholaſter III. Decemb. MDXXXIX. obiit die XI. Julii MDLIX. ſepultus in eodem templo, ubi, teſte Buchelio, ſepulchralis ejus inſcriptio olim exſtitit. Non vero omnes epiſtolas, quas *Hadrianus* ſcripſit, exhibeo; plures enim etiam adhuc exſtare, vel certe ſuo tempore ſuperfuiſſe, nos docet Miraeus de Scriptor. Eccleſiaſt. ſeculi decimi ſexti cap. I. §. XXX. ubi tradit varias *Hadriani* Epiſtolas ad Carolum V. Caeſarem, ad Franciſcum I. Galliae Regem, ad Cardinales, & alios tum ſacri tum politici ordinis Proceres datas, MSS. exſtare apud Ludovicum Torrium Regi a conſiliis, & Magiſtrum rationum Inſulis in Gallo-Flandria. Quae quale fatum expertae ſint, an perierint, an adhuc hodie ſuperſint, ignoro. Sic & tres *Hadriani* Epiſtolas, typis cuſas initio Pontificatus, Victoriae datas anno MDXXII. primam die XIV. ſecundam XXIII. tertiam XIX. Februarii, duas priores ad Cardinales, tertiam ad Senatum Populumque Romanum, humanitatis plenas, quibus etiam ſe quamprimum Romam profecturum pollicebatur, ſe vidiſſe teſtatur Andreas Victorellus in Addition. ad Ciaccon. de vit. Pontific. in Hadriano VI.

Agmen

Agmen denique claudunt chartae hactenus ineditae, unde *Hadriani* familia illustrari potest. Et quamvis ex illis, meo judicio, familiae, unde genus descendat, nomen elici nequeat, cum contrahentes cognomine patris non familiae insigniantur; minime tamen eas negligendas, sed hic producendas duxi. Licet enim ex qua familia originem traxit *Hadrianus* non doceant, probant tamen eum parentibus civibus Trajectinis genitum, neque tam sordidos natales fuisse, ut multi ipsi exprobrarunt; verum parentes ejus fundorum & aedium dominos & possessores hic fuisse. Has chartas ex autographo descriptas nobis tradidit celeberrimus, nobisque amicissimus *Arnoldus Drakenborchius*, Historiarum & Eloquentiae in Academia nostra Professor, qui eas acceperat a viro amplissimo *Daniele Barone de Milan Visconti*, Senatore Trajectino, & collega meo honoratissimo, viro patriae antiquitatis studiosissimo, & indefesso indagatore & scrutatore, qui κειμήλια talia plura possidens, liberali animo sua cum iis, qui publici juris facere, atque inde historias illustrare velint, lubentissime communia facit.

Haec sunt, Benevole Lector, quae hoc fasciculo comprehenduntur. Plurima adhuc, & forte majoris, quam haec, momenti, restant monumenta, ex quibus *Hadriani* nostri vita illustrari potest, de quibus videndus diligentissimus Jacobus a S. Carolo, in Bibliotheca Pontificia lib. I. pag. CVIII. sed quibus frustra quaesitis nobis carendum est. Utinam mihi tam beato esse licuisset, ut ea inspicere contigisset! Plura certe, ubi aqua mihi haeret, liquidius adfirmare potuissem. Sic frustra perlustrare desideravi *Conradi Vecerii* vel *Vegerii* Luxemburgensis librum *de Adventu Hadriani* V. *ad Urbem*, ut & *orationem* ejus *funebrem in obitum Hadriani* VI. quam ipse typis edendam Coloniae anno MDXXIII. curavit, referente Miraeo de Scriptor. seculi decimi sexti cap. I. §. XXX. & in ipso Cardinalium consessu Romae habuisse dicitur

 a Ja-

a Jacobo a S. Carolo in Biblioth. Pontif. pag. CCXCII. de quo videndus Miraeus de Script. ſec. dec. ſext. cap. I. §. XXXVIII. ubi dicit, eum familiarem fuiſſe *Hieronymo Buslidio*, & ejus ad illum epiſtolas MSS. ſuo tempore adſervari Lovanii apud Valerium Andream. Plura quoque de eo adnotavit venerandus Pater in praefatione in tom. V. Theſauri Siciliae pag. XXXI. Ex hujus enim ſcriptis, cum XV. annis inter clientes *Hadriani* vixerit, & poſtea Carolo V. a ſecretis fuerit, plura certe ab aliis non adnotata, haurire & edoceri potuiſſem. Plura quoque procul dubio ad laudes & encomia *Hadriani* comprehendet *Epiſtola*, quam *de virtutibus Hadriani* VI. *ad Marcum Antonium Michaëlium* ſcripſiſſe *Hieronymum Nigrum* teſtatur idem Jacob. a S. Carolo pag. CCCXXXVIII. qui *Hadriani* tempore Romae vivebat, & *acris ingenii aulicus & non indoctus* dicitur a Ferdinando Ughello in addition. ad Ciaccon. de vit. Pontif. in Hadriano VI. Sic & prodiiſſe *Andreae Jacobatii Hadriano* VI. *Pontifici Maximo Reipublicae Chriſtianae congratulationem & deſiderium*, ut & *Cypriani Beneti Arragonii Dominicani Theologi Hortatoriam vehementem Hadriano* VI. *ad accelerandum ſuum iter*, tradit idem Jacob. a S. Carolo pag. CCLI. & CCXCV. Et varia adhuc MSS. Romae adſervari, ut *Felicis Contelorii Caeſii acta adverſa Hadriani* VI. & *Johannis Antonii Flaminii Epiſtolam de laudibus Hadriani* VI. refert idem Jac. a S. Carol. pag. CCCV. et CCCLII. Et Lappium poſſediſſe *faſciculum Epiſtolarum & monumentorum Hadriani* VI. diſcimus ex Append. ad Bekam et Hedam pag. XI. Tutius forte et melius *Hadriani* noſtri famae conſultum fuiſſet, hisce Analectis edendis ſuperſedere, donec melioribus ſubſidiis inſtructus, omnium, ex quibus viri iſtius ſummi fata nobis innoteſcere poſſunt, compos factus eſſem; verum vanam hanc ſpem poſtquam oſtendiſſet venerandus Pater, ea, quae collegi et congeſſi, evulgare, et cum erudito orbe communicare, amplius non differre decrevi. Omnes vero eruditos quam maxime rogatos velim, ut, ſi quid

quid illorum, quae mihi deesse doleo, habeant, aut ubi lateant noverint; vel si etiam mihi incognita possideant, benigne mecum communicare velint.

Antequam vero te dimittam, B. L. monendus es, imaginem *Hadriani*, quam hic aere expressam vides, descriptam esse doctissimi *Wandelarii* manu, ad picturam, quae hodie adhuc in Capitulo S. Salvatoris hic Trajecti conspicitur. Hanc, quae magni fit a picturae peritis, Romae ab artifice summo pictam, ipse *Hadrianus* dono misisse Capitulo isti, cujus Praepositus erat, traditur.

Ne vero mireris, nos ad Moringum cap. XXV. pag. LXXX. in notis producere ipsa verba, quae monumento magnifico, a Guielmo Enchavordio erecto, inscripta sunt, scias velim, tunc, cum ea imprimerentur, nondum propositum fuisse ipsum monumentum, quod ex vitis Pontificum Ciacconii aliorumque descriptum est, exhibere.

Haec sunt, B. L. de quibus te certiorem hac praefatione facere volui. Ceterum rogatum te volo, ut errores typographicos aequi consulere velis, (sunt enim tum typographi, tum mea negligentia quidam admissi, quorum me piget & pudet) quos, qua potui industria collectos & emendatos in unum conjeci. Vale & conatibus nostris fave.

CON-

# CONTINENTUR
## HISCE
# ANALECTIS.

Gerardus Moringus de vita Hadriani VI. pag. 1
Paulus Jovius de vita Hadriani VI. 83
Conclave Hadriani VI. 141
Blasii Ortizii Itinerarium Hadriani VI. ac ipsius Pontificatus eventus. 153
Cornelii Aurelii Gaudani Apocalypsis, sive visio mirabilis de miserabili statu matris Ecclesiae, & de summa spe ejus reparandae ex inopinata promotione Hadriani VI. in summum Pontificem. 245
Illustriora Hadriani VI. Elogia, & breves vitae ejus descriptiones a
Coelio Calcagnino. 321
Onuphrio Panvinio. 325
Boissardo. 326
Jacobo Arminio. 328
Auberto Miraeo. 329
Ludovico Tuberone. 332
Locrio. 332
Castaneo. 333
Sandero. 334
Casp. Ursino Velio. 339
Sweertio. 342
Barlaeo. 344
Mallinckrotio. 345
Valerio Andrea. 347
Jacobo a S. Carolo. 351
Bellarmino. 353
Saussaeo. 353
Labbaeo. 355
J. Jac. Hofmanno. 358
Joan. Launojo. 360
Hub. Loyens. 394
Joh. Georg. Graevio. 396
Brantio. 397
Frehero. 403
Joann. Andr. Quenstedio. 405
Oleario. 405
Joann. Chilian. Eccardo. 406
Sannazario. 428
Joann. Pierio Valeriano. 428
Bernia. 430
Batto Parmensi. 436
Hadriani VI. & aliorum ad eum Epistolae. 441
Monumenta ad Hadriani VI. familiam pertinentia. 509

AD

AMPLISSIMUM ET NOBILISSIMUM

VIRUM

# CASPARUM BURMANNUM,

JURISCONSULTUM, SENATOREM ULTRAJECTINUM, ETC.

CUM EDERET

## ANALECTA HISTORICA

DE

## HADRIANO SEXTO.

Quibus egregias Adnotationes adjecit.

Si mihi sufficeret validas in carmina vires,
Quamque potest, ferret si mihi Phoebus opem;
Tu mihi, quem teneris colui studiosus ab annis,
Quem puero certus conciliavit amor,

***** Dulce

Dulce decus, BURMANNE, meum, mea gloria, grato
(Sic ego sim felix!) multus in ore fores.
Perque tuas laudes irem titulosque tuorum:
Te canerem, soboles digna Parente tuo.
Annue quaerenti BURMANNUM dicere mitis,
Tuque fave coeptis aequus, Apollo, meis.
Non secus atque ignes inter vaga Luna minores,
Inter tot patriae sidera pulchra micat.
Egregias dotes operis celebrare, quod edit,
Conantem placido lumine, Phoebe, vide.
Non opus hoc series annorum diruet unquam,
Vastabit nunquam temporis ulla fuga.
Dum monstrat cunas Hadriani, monstrat & urnam,
Quae cineres tanti civis & ossa capit:
Eximii praeclara viri dum facta recenset:
Dum memorat laetas difficilesque vices:
Nobile Trajectum, tua fata domestica tangit.

Civis

Civis erat, ne tu diffiteare, tuus.

Illuſtrat noſtros veteresque fideliter annos
Hiſtoriae priſcae fax, columenque novae.
Quae ſit origo, docet, ſacrorum, Roma, tuorum:
Explodit, quae tu numina vana colis.
Unde tot errores, nataeque tot, indicat, Hydrae,
Monſtraque, quae terris incubuere diu.
Monſtra ferit; ſaevas armis praeſentibus Hydras
Contundit, ſummi fulmen amorque Dei.
Romanas turres quatit, & reducit in Orcum
Pontificum mores, Pontificumque ſcholam.
At Chriſti reſponſa tui, BURMANNE, tueris,
Quaeque Dei pleni jura dedere viri.
Servandi per quas miſeri, formandus in artes
Saepe legat juvenis Teque Patremque tuum.
Non mentituri quamvis credantur amoris
Doctorum ſaevae pignus habere minae;

Rarius his usus Christus tamen. Esse sed hujus
Moribus utendum, qua decet, arte doces.
Aspera verba movent odium. Moneamur amice.
Christus erat trepidis portus & ara reis.
Quare agite, o Fratres, hunc commendate laborem.
Omnibus & vobis utilis esse potest.
Fas mihi, fas utinam vestra mihi dicere pace!
(Cur metuo, noceam ne mihi, vera loquens?)
Spernitis, exceptis paucis, monumenta prioris
Temporis, & crambe vos repetita juvat.
Quae vulgare solet ventosus Agyrta quotannis,
Vulgus & indocti putida scripta legant.
Miretur tenuis, specie consueta moveri,
Vilia plebs: nobis fercula lauta placent.
Utque Magistrorum vanas contemnimus iras,
Quasque ferunt, nati bella ciere, minas;
Sic fastidimus chartas, BURMANNE, cacatas.

Non

Non emimus fumos, gens Pharisea, tuos.

Omne ferunt punctum (sic jam cecinere priores)

Qui prodesse bonis, quique placere volunt:

Sive notis clarant divina volumina doctis,

Sive necis celebrant commoda, Christe, tuae.

Justus, justitiae Deus unicus auctor, ut esset,

Morte dedit poenas Filius, orbis amor.

In te transcripsit, quae nos tormenta manebant,

Sanguine dux parti, Christe, decusque gregis.

Ad te confugiunt causam quicunque salutis.

Et dant submissas ad tua crura manus,

Inque tuis meritis veniae, certamque beatae

Spem vitae, quam non auferet hostis, habent,

Tu servas, cupidisque tui manifesta favoris

Pignora das: miseros melle favisque juvas.

Felices, quos ipsa manent coenacula coeli,

Pandit ad astra quibus lucida Christus iter!

Ite, Deo laeti dignas persolvite grates,
   Donaque sic meritis debita ferte focis.
Idque jubent Mystae, quibus est parere necesse.
   Scilicet hi summi nuncia turba Dei.
Exuite ingenitas, clamant, fraudesque dolosque;
   Et pretium pietas grande sit ipsa sui.
Sis bonus o facilisque tuis, Deus, oro, ministris.
   Sub tua, te, multos jura, favente, trahant.
Tempora mutari priscum videamus in aurum.
   Simplicitas redeat, nec violanda Fides.
Tradis ovile quibus, mansurum finge magistros
   In decus & mores numine, Christe, tuos.
Rivi mellis eant, & lactis flumina passim.
   Prata salutiferum nectar amoena bibant.
Ipse gregem cura, Dux summe, boumque labori
   Dexter ades: vires sint, bone Christe, merae.
Egregiamque tuis BURMANNIS debeat artem,

Jussus

Juſſus oves paſcet qui tibi cumque tuas.

Vix unquam gens ulla dedit tot lumina clara,
  Quot BURMANNA, Dei foeta favore, domus.
Alme Pater, ſerva BURMANNOS mitis, & auge
  BURMANNOS titulis muneribusque novis.
Ille, toga magnus, patriae pars optima Patrum,
  Utilior cuivis, quam ſibi, quamque ſuis,
Ille meus, Pylii, CASPARUS, Neſtoris annos
  Vivat, honor docti praeſidiumque chori.
Perge, Vir illuſtris, culti monumenta laboris,
  Et lucem faſtis Tu dare perge novam.
Perge ſequi, CASPARE, tui veſtigia Patris,
  Quo melius terris fata dedere nihil:
Cui nihil aequandum doctrinis Belgica tellus,
  Moribus aequandum nil meritisque tulit:
Cui Pudor & noſtro Candor rariſſimus aevo
  Inveniunt ullum vix, Probitasque, parem.

Non

Non ego, si PETRUM servabunt mitia fata:
Di, metuam, testor numina vestra, mori.
Pacta Deus claris virtutibus astra recludat,
Cum satur aetatis, cumque laboris erit.

ABRAHAMUS ARNOLDUS VAN TOLL.

# VITA
# HADRIANI SEXTI
## PONTIFICIS MAXIMI,

AUCTORE

## GERARDO MORINGO

THEOLOGO;

# CORNELII MUSII DELPHI

## PHALEUCIUM.

Quamvis ſit populis aperta multis
Vita, ut conſpicuo loco peracta,
Nulla ut poſteritas tamen requirat
Sexti Pontificis pia Hadriani
Geſta, & tot celebres viri labores,
Inſignis ſtudiis ſacris Moringus,
Et linguis Latiisque Doricisque,
Haec ſcripſit modico, ac libro diſerto.

## EJUSDEM DISTICHON.

Quod vivet Sextus virtuti debet, & iſti
Ultra victuro ſecula mille libro.

## HADRIANI SEXTI PONT. MAX.

## TUMULUS.

Quo Romanorum Sextus Pater atque Sacerdos,
Hoc etiam pietas conditur in tumulo.

REVERENDISSIMO
IN
CHRISTO PATRI,
AC
PRINCIPI LONGE CLARISSIMO,
DOMINO DOMINO

# ERARDO A MARCA,[1]

TITULO
SANCTI CHRYSOGONI ECCLESIAE
ROMANAE PRESBYTERO CARDINALI,
ARCHIEPISCOPO VALENTIAE,
EPISCOPO LEODIENSI,
DUCI BULONENSI,
COMITI LOSSENSI ETC. ETC.

# GERARDUS MORINGUS.

## S. P. D.

*Demiraberis scio, Princeps illustrissime, quo tactus impetu, homo nulla neque fama, neque fortuna, nec ulla, ut arbitror, ratione Celsitudini tuae cognitus, ad Te, virum tanti culminis, scribere ausim, quod alii multi tum per se tum per alios Tibi commendatissimi,*

****** 2 *non*

1 *Erardo a Marca.*] Pontificis hujus Leodiensis vitam ac res gestas descripsit Joannes Chapeaville, in tom. III. Gestor. Pontific. Leodiens. pag. CCXXXV, & seqq.

*non niſi ſubtrepide, & vix etiam ſic auſint. Sed admirari, ut ſpero, deſines, ſi qua huc impulſus cauſſa ſim, audire dignaberis. Aliquanto abhinc tempore, ſepoſitis paulisper ſtudiis aliis, vitam Hadriani Pont. Sexti ſcripſi, qui tempeſtate noſtra vir clariſſimus, & in omni laudis genere confeſſione ſapientum, imago longe pulcherrima fuit, in quo, ſi in alio ullo noſtrae memoriae, ad liquidum conſtitit id, quod quidam habet,* ſuos cuique mores fortunam fingere. *Nam praeſidio morum doctrinaeque potiſſimum fortunam nactum eſſe, notius reor, quam ut verboſius debeat demonſtrari. Scripſi, inquam, non compendio, quemadmodum ab aliis nonnullis factum eſt, ſed ducto ordine ab ineunte ferme pueritia ejus, per omnes aetatis gradus, ad ſupremum usque vitae diem, non quidem ea ſtyli majeſtate, qua decuit & volui, ſed qua potui, & qualis a Theologo inculto, qui de literis amoenioribus, ut de Nilo canes, biberit, & fugerit, eſt expectanda. Scripſi quoque non mea fide, qui rebus narratis non interfui, ſed aliena, ſicuti ſcilicet a viris probis & ſpectatis accepi, qui olim familiarem cum eo conſuetudinem habuere, & rerum fere omnium ejus in aula Caroli, in Hispaniis, & Romae denique geſtarum, praeſentes arbitri, domeſticique ſpectatores fuerunt, ſemoto interim ſtudio favoreque, commemoratis ingenue, quae laudi data, minime rurſus ſuppreſſis, quae vituperio fuere. Tametſi id quoque longe modeſtius, quam locutuleji quidam, neſcio qua de cauſſa virum exoſi, quorum* [1] Battus *quidam* Parmenſis *quandam de ejus defuncti relicta fama epiſtolam edidit, latinam quidem illam ac terſam, ſed adeo impudenter mendacem, ut ipſa mentiendi impudentia, dicam an inſcitia, vel apud malevolos ſibi fidem abroget. Quid os impurum eo impulerit, nihil eſſe aliud reor, quam id, quod Comicus habet:* Mala mens, malus animus. *Eam lucubrationem cum in animo eſſet evulgare, non abſurde facturus videbar, impellentibus etiam amicis, ſi non ſub alterius, quam nominis tui auſpicio id facerem, ſive ut operi, alioquin humilitate auctoris obſcuro futuro, fulgore magnitudinis tuae, quali non alius quisquam uni-* ver-

[1] *Battus quidam Parmenſis.*] Hujus epiſtolam plenam calumniis exhibet Wolfius tom. II. Lection. Memorab. pag. cxci. & nos quoque eam ad calcem hujus opuſculi producemus.

*verſam hanc noſtram inferiorem Germaniam illuſtrat, aliquid luminis gratiaeque accederet, ſicut ſaepe alias, rebus per ſe parum gratioſis, ab externo quopiam lenocinio gratiam mutuamur, ſive ut ob oculos poſito, quo pacto dotes Hadriani opera Principum ad ſummos honores fructumque emerſerunt, itidem tua Celſitudo, quemadmodum egregie facit, aliique tui ordinis, quos fortuna eo loco poſuit, unde dare magis beneficia, quam accipere contingat, bonae ſpei ingenia benigne provehant, & provehere ne ceſſent. Si enim ea laus penes Principes profanos olim fuit, quorum Caeſar Julius omnes Romae Medicinam profeſſos, artiumque liberalium Doctores civitate donavit, Pompejus etiam Rhodi & Athenis Philoſophiae Profeſſores ſingulos talento proſecutus eſt, Veſpaſianus primus e fiſco Rhetoribus Graecis & Latinis centena annua deſignavit, auctoribus Suetonio & Plutarcho, multo congruentius eſt eandem laudem eſſe penes Principes Chriſtianos, praeſertim iniquiſſimis his temporibus, quibus funditus ferme everſis moribus, omnino neceſſarium eſt, adminiculo ſapientum ſerioque eruditorum res nutantes ſtabilire. Sed & illud me movebat, quod haud alius ullus ad praeſens in mentem veniebat, qui ita probe in plerisque praeconiis Hadrianum exprimeret, ut P. T. Proinde ſi ſimile gaudet ſimili, juxta vetuſtate tritum proverbium, perſuaſi mihi non ingratum fore, ſi velut alteram tui imaginem ante oculos tibi ſubjicerem, in qua apertius luculentiusque, ut natura comparatum eſt, virtutes tuas conſpiceres, quam oculis in temetipſum deflexis poſſis. Hadrianus autem judicio omnium vir ſapientiſſimus erat, cultor pacis & concordiae diligentiſſimus, ab omni denique factione tumultuque remotiſſimus, ut ex iis liquebit, quae ab eo geſta in Hiſpaniis narrabimus: & in Te quoque, Princeps optime, nonne elogium iſtud ad amuſſim convenit? qui ſtatim principatui initiatus, ſopito armorum furore, ſublatisque bellis, tum externis, tum internis, quibus ditio jam tua ſub anteceſſoribus fato quodam prope immedicabiliter conflagrarat, jucundiſſime omnia in priſtinum refoviſti: neque refoviſti modo, verum etiam annis jam plus minus triginta eo in ſtatu firme retinuiſti, multa ſaepe diſſimulans, multa conſulto transmittens, quae alios fortaſ-*

*ſis non injuria laceſſiviſſent; niſi quod pax etiam durius redempta, Tibi ſemper potior viſa fuit, quam quodvis bellum vel optimo jure ſuſceptum: fortaſſis quod ſemper oculis obverſaretur verbum illud Auguſti, qui facile arma capeſſentes comparare ſolebat piſcantibus hamo aureo, cujus abrupti detrimentum vix ullae capturae lucro ſarciatur, auctor eſt Sextus Aurelius Victor. Nonne quoque Tui benificii eſt, quod toties Leodii, & alibi a perditis quibusdam concepta conjuratio, nulla tamen hactenus processerit, oppreſſa videlicet in initio ſui, velut in herba, quod ajunt, illa tua ſingulari ſolertia? Ad haec Hadrianus Hiſpanias a ſuperſtitionibus impiisque dogmatibus, quibus ea regna propter permiſtos Judaeos & Mahometanos valde obnoxia ſunt, perſtrenue vindicavit, & num etiam Tu vigilantiſſme ditionem Tuam, quantum potuiſti, a peſtilentiſſimo illo Lutheranae ſuperſtitionis fermento ſemper illibatam ſervaſti? & ſicubi aliunde furtim irrepſiſſet, quanta maxima potuiſti celeritate repurgaſti, nullo habito inter ſontes diſcrimine, ſive plebji, ſive generoſi, profani ſacrati forent, omnes eadem tractans pertica. Quod ipſum ſi alibi quoque factum fuiſſet, non eo ſuccreviſſet virulentum lolium, quo ſuccreviſſe videmus. Jam vero Hadrianus primus, ni fallor, Germaniam hanc noſtram dignitate ſummi Pontificatus ornavit, & ſublimitas Tua ditionem Leodienſem honore galeri punicei decoravit. Unde plurimum ei tum exiſtimationis, tum dignationis ubivis gentium comparatum, paucos eſſe opinor, qui ignorent. Adde, quod Hadrianus rigidiſſme diſciplinam familiarem habuit, ſuis in omni genere modeſtiae honeſtique conſervatis, ſubmotis iis, unde quovis modo gravitas domus ejus labefactaretur. Et tua quoque prudentia, nonne familiam in omni genere ſeveritatis retinet? juventute purpurata, quam ob ingenii cultum rerumque peritiam tuo magiſterio capeſſendam adſciviſti, ſumma integritate habita, vetitis longioribus epulis, compotationibus, luſu, cantu, & id genus aliis virilis animi inſidioſis peſtibus, ut aulam tuam recte quis officinam ſeveriorum morum appellaverit, quae alibi ſentina omnium vitiorum juſtius appelletur. Et ne multa, ſicuti in Hadriano, ſi vita productior contigiſſet, fides illius verbi Biantis plenius probata fuiſſet,*

*isset, ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσι, Magistratus virum arguit, ita in te ad praesens plenissime comprobatur, nisi quis non videat omnia munere tuo tam sacra quam profana in ditione tua florere, Clericos, si usquam alibi, in observantia esse, nobilitatem in honore, plebem in obsequio, judiciis reverentiam, legibus auctoritatem constare. Ne commemorem urbes aut parum munitas, abs te opibus pene invincibiliter confirmatas, arces in tutelam totius regionis, vel ab imo solertissime extructas, vel semirutas sumptuosissime reparatas, aedes sacras pretiosissimis ornamentis donatas, collegia uberrimis reditibus annuis locupletata, & alia infinita, quae otiosum foret narrare, quia nota sunt omnibus. Equidem certe, quemadmodum olim res Judaica sub Salomone, Macedonica sub Alexandro, Romana sub Augusto, Francica sub Carolo Magno, in summo fastigio fuit, itaque quo pacto res Leodiensis altius subvehi queat, quam nunc est Te Principe, vecta vix video, id quod magis posteri fatebuntur, bonis, quae nunc suppetunt, ut rerum vices sunt, demedio sublatis, praesentes quoque ingenue fatentur, nihil aeque sollicite scilicet comprecantes, ac ut Te Principe isto in Rempublicam animo, isto mentis vigore, isto rerum flore, in multos adhuc annos frui liceat, reliqua pene omnia vota Deo remissuri, unum hoc si impetrent. Tu igitur, Princeps clementissime, quae Tua in aliis humanitas est, aegre, quaeso, ne feras, si in praesentia chartaceo hoc munusculo Celsitudinem Tuam salutavero. Fateor exiguum est, & perpusillum quod offertur, si modulum offerentis & gloriam nominis Tui contempleris, tamen amplum satis fuerit, uti spero, si magnitudinem ejus, cujus memoria subjicitur, inspexeris, & praesertim si sapientissimo Tuo judicio rem ipsam probare sis dignatus. Quod si factum fuerit, delectabit me vehementer in hoc negotium impensus labor, utpote non irritus, sin minus, consolatus ipse me,*

A T I V

*me, accuſabo non conſilium, ſed fortunam, quodque in praecipiti conatu, non voluntas gratum faciendi, ſed eventus mihi defuerit. Divina benignitas Amplitudinem Tuam in multos annos diu incolumem, ac Reipublicae ſalutarem ſervet. E Monaſterio Benedictinorum apud Divi Trudonis Anno* MDXXXVI. *Quarto Nonas Octobris.*



J. Wandelaar delineavit. J. Houbraken sculp.

# HADRIANUS VI PAPA

## ULTRAJECTI NATUS 11 MART. MCCCCLIX
## DEFUNCTUS XIV SEPTEMB. MDXXIII.

Inclyta Trajectum, sedis decus adspice rarum
Romanae, puerum quem tua fovit humus.
Cui pietas apicem, gentique innata Batavae
Simplicitas, Italo triste fremente, dedit.
Pontificem sed Roma probum, doctumque gravata,
Sancta piis vetuit reddere jura diu.
Flaminis et casti properata morte, vacanti
Nomina restituit flagitiosa throno.



# VITA HADRIANI SEXTI PONTIFICIS MAXIMI.

## AUCTORE GERARDO MORINGO THEOLOGO.

### CAPUT I.

*Hadriani natales, Parentes, & educatio.*

Hadrianus in Germania inferiore [1] natus eſt, in urbe longe celeberrima, cui Trajecto nomen eſt, ut etiam ex celebritate loci natalis

1 *Natus eſt*] Natus eſt Hadrianus anno MCCCCLIX. die II. Martii, ut colligi poteſt ex inſcriptione ſepulchrali, & non die XXVIII. Februarii, ut Halma in Theat. fœd. civit. In urbe noſtra Trajecto, ut recte auctor noſter, & Sweert. Athen. Belg. pag. XXXV. & XCV. Sleidan. III. comment. Polan. I. Hiſt. Conc. Trident. p. XXIII. Gomecius lib. IV. de reb. geſt. Franc. Ximen. Chytraeus lib. VII. Hiſt. Saxon. Barland. Chron. Brab. cap. CLXXX. Vernulaeus III. Acad. Lovan. cap. X. & Valer. Andr. Bibl. Belg. ubi merito ridiculos eos facit, qui in ſuis ad Alfonſi Ciacconii hiſtoriam Pontificum additionibus natales Hadriani, majoresve ejus, Italiae vindicant. Andreas enim Victorellus in addit. ad Ciaccon. in vit. Adrian. VI. refert opinionem cujuſdam *Matthiae Belintani* Sadolienſis Theologi, exiſtimantis Hadrianum Italum natum, & educatum annis aliquot in pago Salodienſis agri, Brixienſis dioeceſis in Italia, *Renzano* nuncupato. Ridicula certe ſententia contra aperta omnium ſcriptorum teſtimonia, & amore patriae, cui Hadrianum noſtrum vindicare volebat, excogitata. Male quoque Juſtinianus lib. XII. Hiſt. Venet. p. m. CCLV. eum gente *Hiſpanum*, ſeu *Flamingum* dicit. Videndus diligentiſſimus Bayle in Dictionario, ubi notat errorem cujuſdam ſcriptoris Germani, qui eum ridiculo errore *Derthuſenſem Germanum* facit, ut & aliorum, qui eum Hiſpanum, vel in Italia natum adſir-

lis aliquid ei acceſſiſſe ſplendoris intelligas. [1] Ea urbs proxime Hollandiam, quae olim Batavia appellabatur, cui item aliquando attributa fuit, ſita eſt milliariis, niſi fallor, quinque ab Oceano Occidentis, uno vero a flumine Rheno, cujus ibi unus meatus (nam in plures diffunditur) Lecca hodie nominatur, cui etiam ſtagno committitur, eoque propter commoditatem acceſſus, rebus omnibus, praeſertim ad victum pertinentibus, in primis affluens, ut propter annonae utilitatem, multo ibi minoris, quam in plerisque civitatibus regionum aliarum, vivas. Cathedra ibi Epiſcopi eſt, numerus Eccleſiaſticorum permultus, ſacerdotia magnifica & opima, ut opes incolarum magna ex parte his ſubnitantur. Tenet eam jam dignitatem non minus genere, quam moribus nobilis, D. [2] Georgius ab Egmonda, quem ſpes ingens eſt, non minus eam ornaturum illis ſuis clariſſimis dotibus, quibus ex aliis ſui ordinis inſigniter emicat, quam ab ea ornetur. Quod ut faxit Deus Opt. votis omnibus enixe precamur.

Genus Hadriano fuit non amplum quidem illud aut clarum, quamvis rurſus nec ſordidum. [3] Pater Florentius erat, mater Gertrudis, homines

adfirmant. Generaliter *Germanum*, non deſignato loco, ubi primam lucem adſpexit, eum vocat Capacius lib. II. Hiſt. Neapolit. cap. XVIII. natione *Flandrum* eum pronuntiat Blazius Ortizius in Itiner. in princip. & Onuphrius Panvinius in Roman. Pontific. p. CCCLXI. Uti quoque dicitur in anagrammatismo, quod exhibet Locrius in Chron. ad ann. MDXXIII. nempe, ut Locrius ibidem monet, Flandriae nomine late ſumpto. Melius *Batavum* eum appellat Surius in comment. rer. in orb. geſtar. ad ann. MDXXII. p. CXIV. & CXIX. uti quoque Cynth. Jo. Baptiſt. Gyraldus de Ferrar. & Ateſtin. Princip. pag. XLVII. in Theſ. Ital. tom. VII. ubi eum *Batavum*, & quidem *barbarum* nuncupat, pro more ſcilicet Italorum iſtius temporis, notatus ideo a patre meo optimo Petro Burmanno in praefatione tomo iſti praefixa, quaſi non deceret *Barbaros*, id eſt, *Belgas* & *Germanos* iſtis virtutibus inſtructos eſſe, in quarum poſſeſſione ſolos Ciſalpinos benigna natura collocavit. Et mirum, quod in loco, ubi primum editus eſt Hadrianus, adſignando, tam varia tradiderint ſcriptores, cum ſemper ſe Trajectinum profeſſus ſit, & etiam in monumento illo ſplendido & magnifico, quod *Enchefordius* ipſi poſt mortem extruxit, aperte Trajectinus dicatur, & adhuc hodie hic Trajecti oſtendantur aedes, in quibus natus eſt.

1 *Ea urbs.*] Urbis Trajecti origo, ſitus, populi mores, religionis initia, varia denique populi fortuna, deſcripta legi poſſunt apud Hortens. lib. I. Rer. Ultraj. Sweert. Athen. Belg. pag. XXXV. Alting. notitia Belgii Infer. alioſque.

2 *Georgius ab Egmonda*] Fuit hic Johannis Comitis Egmondani filius, & annos XXIII. Epiſcopalem ſedem obtinuit. vid. Suffrid. Petr. append ad Hedam de Epiſc. Traject. ad ann. MDXXXVI. Hujus eruditionem cum pietate conjunctam, egregie commendare auctorem noſtrum Moringum dedicatoria Epiſtola in Eccleſiaſten, notat Buchel ad h. l. Suffridi. Ejus teſtamentum hic in templo majori in choro ſuperiori ſupereſſe me monuit Clariſſimus Drakenborchius.

3 *Pater.*] *Florus*, ſive *Florentius* nominatus fuit Hadriani pater, unde a patre Hadrianus noſter in juventute pro more iſtius ſeculi dictus eſt *Hadrianus Florentii.* vid. Sweert. Athen. Belg. p. XCIV. Miraeus Elog. Belg. in Hadriano ſexto. a Barlando in Chron. Brab. cap. CLXXX. male vocatur *Hadrianus Florentius.* Et Belgis id eo tempore familiare fuit, niſi ex nobiliſſima & illuſtriſſima deſcenderent familia. vid. & Seckendorf. Hiſt. Lutheran. lib. I. ſect. LVI. §. CXL. Quale autem fuerit familiae nomen ab his auctoribus non additur. Valer. Andr. aliique, patrem Hadriani *Florentium Boeijens* nuncupant, verum neque illud familiae nomen, cum *Boeijens*, quaſi *Bodewini* filius dictus fuerit. Et memorabile, quod nullus illorum temporum ſcriptor Hadriano familiae nomen adſcripſerit. Poſteriori tamen aetate plurimi Hadrianum ſibi vindicare conati ſunt, ex quibus praeſertim duo

# DEDELIORUM STEMMA.

Nicolaus Dedel, die Bedell vel d' Edell, Praefectus aggerum Lopicenſium, & Praetor Lopicenſis ann. MCCCLVII. MCCCLXVIII. MCCCLXXII.

Tidemannus Dedel, ux. Margaretha, filia Jacobi Lamberti filii, jus civitatis Trajecti adquirit ann. MCCCLXIV.

Tidemanus Dedel, ux. Wendelmoet ab Oeſtrum filia Nicolai, circa ann. MCCCCX. & MCCCCXXVI.

Janus Dedel, Philippo Burgundiae Duci a ſecretis. ejus mentio MCCCCLVII. MCCCCLXI. ux. Beatrix a Ryswyk, Jani filia, Domina in Rysoort & Strevelshoeck.

Janus Dedel, Dominus in Rysoort & Strevelshoeck, inveſtituram accepit anno MCCCCLXIX.

Machtildis Dedel, mar. Aegidius Valkeſteyn, Praefectus & Praetor in Putten. contractus antenuptialis initus 3. Januarii MCCCCLXXXV. poſtea fuit Domina in Rysoort & Strevelshoek.

Adriana Dedel, dicta Ryswyck, mar. Wolfardus ab Amſtraet, filius Alberti.

Heylwich Dedel.

Margaretha Dedel.

Duvina Dedel, mar. Janus Uytenbogaert

Machtildis Dedel, conventualis in Gano, obiit anno MCCCCXCIII.

Wendelmoet Dedel.

Gerborga Dedel, obiit anno MCCCCXXVIII.

Lambertus Dedel, uxor Eliſabetha filia Gerardi Gepels, vivebat adhuc anno MCCCCXVI.

Gerardus Dedel, ux. Jutta a Zyll, memoratur ann. MCCCCXVI. MCCCCXL. MCCCCXLI. Senator Trajecti ann. MCCCCXI. MCCCCXXII. MCCCCXXVI. S. a Leuwen in Batavia Illuſtrata p. MCLXXXVIII. ubi tamen male, forte errore typographico, memoratur annus MCCCCXVI. loco anni MCCCCXXVI. jam obierat anno MCCCCXLVI.

Godardus Dedel, ux. I. Thoryen Ruyſch, filia Jani Petri filii, & Alfardae a Lichtenberch. MCCCCLX. ux. II. Eliſabetha Poth, filia Jacobi & Catharinae van Vlaenderen. Ipſe fuit Senator Trajecti MCCCCXLIX. Scabinus MCCCCLXIX non MCCCCLXIV. ut S. a Leuw. ibid. iterum forte errore typographico. obierat jam anno MCCCCLXXXVI.

ex I. ux.

Gerardus Dedel, Abbas coenobii in Ooſtbroeck. obierat jam anno MDIII.

Adrianus Dedel, memoratur MCCCCLXIV. obiit S. L. MCCCCLXXXV.

Janus Dedel, S.L. MCCCCXCVII.

Gertruda Dedel, Abbatiſſa S. Servatii Trajecti. obiit I. Aug. MDXVII. Matth. Fund. Eccl. p. CCLVII. CCLXVII. quae male Gertrudis van Erdell, dicitur in Hiſtoria Episc. Traj. p. XC.

Jacobus Dedel.

Margaretha Dedel.

Eliſabetha Dedel.

Johanna Dedel.

ex II. ux.

Jacobus Dedel, ux. Cornelia a Weſterholt, filia Luberti, filii Wolferdi. obiit ann. MDVII.

Godardus Dedel, ux. Paſſchina Poth, filia Jacobi & Tymannae Boll.

Jacobus Dedel, Scabinus Trajecti. ux. Margaretha de Beer, filia Wouteri & Alidae Douwer, obierat jam anno MDLXXXIV.

Alida Dedel, nubit anno MDLXXV. Florentio Foeyt, filio Wilhelmi & Bartae van Wyngaerden.

Godefrida Dedel, S. L.

Wendelmoet Dedel.

Paſſchina Dedel, mar. Jacobus van Hove, poſt cujus obitum anno MDCXXXII. emit praedium equeſtre Amelisweert. obiit XXVI. Novemb. MDCXLIII.

Margaretha Dedel.

Eliſabetha Dedel, Abbatiſſa in Coenobio S. Eliſabethae Schoonhoviae.

Margaretha Dedel, Abbatiſſa apud S. Claram Goudae.

Jacobus Dedel, Canonicus D. Mariae XX. Julii MDVI. obiit XIX. Jan. MDXXXI. terrae mandatus in templo D. Mariae, ubi ejus epitaphium adhuc ſupereſt.

Wilhelmus Dedel, ux. N. N. MDXXV..

Juſtus Dedel, uxor N. Leuwen van Leyden anno MDLX.

Maria Dedel, mar. Iſacus van Swanenburch, ex quo Swanenburchii, Leuwii, Heemskerckii, Grotii & alii.

Wilhelmus Dedel, Curator ſocietatis Indiae orientalis, ux. Ida van der Duſſen, filia Brunonis van der Duſſen, Conſulis Delphenſis anno MDLXXX.

Juſtus Dedel, Scabinus Hagae Comitum, ux. Oedilia Stalpert van der Wielen, filia Jacobi & Mariae Pauw.

Jacobus Dedel, uxor Eliſabetha Pauw.

Adrianus Dedel, uxor Chriſtina van Raveſteyn.

Jacobus Dedel.

Janus Dedel, ux. Eliſabetha van Ring.

Maria Dedel.

Cornelius Dedel, ux. Anna van Dintel.

Bruno Dedel, uxor Bavina van Outheusden.

Jacobus Dedel, Advocatus Fisci in India Orientali.

Johannes Dedel, tribunalis Hollandiae Praeſes, ux. Iſabella de Vogelaer.

Johannes Dedel, rationibus Comitatus Hollandiae exigendis praefectus, ux. Emerentia xan Beveren, filia Caroli, privati patrimonii Principis Arauſionenſis procuratoris, & cui munus recenſendorum militum injunctum erat, & Margaretae Goudswaert.

Johannes Dedel.
Carolus Dedel.
Jacobus Dedel.

Wilhelmus Dedel, primus a tabulis, ſive (uti appellant) Graphiarius tribunalis Hollandiae. ux. Sophia van Montfoort.

Johannes Dedel.
Philippus Dedel.

Nicolaus Dedel, Juris Anteceſſor Leidae, ux. Maria van Bleyswyck.

Theodorus Dedel.

Wilhelmus Dedel, ab actis, ſive (uti vocant) Graphiarius ſupremi Hollandiae tribunalis, ux. Eliſabetha Quartelaar.

Cornelius Dedel, Centurio.

Johannes Dedel, Conſul Hagae Comitum, ux. N. Hudde.

Wilhelmus Dedel.

Machtildis Dedel.

Cornelia Dedel.

Maria Dedel.

Margaretha Dedel, nubit anno MDLXXV. N. van Wermont, unde Wermontii, Meermannii, Hoogeveenii, aliaeque principes familiae Leidae.

Petrus Dedel, ducit anno MDLXXX. Alettam van Wermont.

Maria Dedel, maritus Chriſtianus Haſius.

Arnoldus Dedel, ux. Maria Treſlong Jani filia.

Maria Dedel, anno MDX. Leidae nupſit Jano van Sonnevelt, ex cujus filia Maria, nupta Brunoni Spruyt van Krieckenberch, provenerunt Oem van Wyngaerden in Hollandia, Tuyl van Serooskercken in Zelandia & Trajecto, Oeſtrum in Gelria, Rede van Nederhorſt in Trajecto.

Janus Dedel, Canonicus D. Mariae die XXV. Apr. MCCCCXCIV. Salvatoris MDXVII. obiit XXIV. Martii MDXIX. Sepultus in templo D. Mariae, ubi ejus epitaphium adhuc conſpicitur. fuit familiaris Hadriano Papae.

Eliſabetha Dedel, mar. Janus Rodenborchius.

Jacobus Dedel.

Mr. Wilhelmus Dedel.

Nicolaus Dedel, ux. I. Margaretha Ruyſch, filia Jani Domini in Pylſweert, & N. Lange. ux. II. Hillegonda, filia Diderici Domini in Honswyk. memoratur ab anno MCCCXCIX. ad MCCCCXXXIX.

ex. ux. I.

Janus Dedel, Scabinus Trajecti anno MCCCCLI. Piſcariorum ſummus magiſter (overſte ouderman) anno MCCCCLV. memoratur apud Matth. de Fundat. Eccleſiarum pag. CCXXXV. obiit MCCCCLXIII.

Eliſabetha Dedel, mar. Janus van Malſen, filius Jani & filiae van Heusden.

Wendelmoet Dedel, obiit anno MDIV.

ex ux. II.

Arnoldus Dedel, memoratur ab anno MCCCCXXXIII. ad MCCCCLXIII. ux. Alida de Ruwiel, filia Jani, filii Swederi de Ruwiel, obiit MCCCCLXIII.

Cornelius Dedel, extra patriam degens MCCCCLXV.

Wendelmoet Dedel, monialis in monaſterio Abrahami Dole, ſive undecim millium virginum anno MCCCCLXV. obiit MDIV.

Oedilia Dedel, monialis S. Caeciliae. obiit XV. Decemb. MCCCCXXXIV. Matth. Fund. Eccl. p. CCLXXXVIII.

Agneta Dedel.

Arnolda Dedel.

Wendelmoet Dedel.

Alida Dedel, quae cum tribus praecedentibus ſororibus peſte extincta eſt ann. MCCCCXXXIX.

Timannus Dedel junior, uxor Margaretha N. memoratur anno MCCCCXXXIII.

Timannus Dedel, ux. Sophia van Damaſſche, filia Henrici & N. Wouwenraet. Senator Trajecti ann. MCCCCXLIII. MCCCCXLV. & MCCCCXLVII. Cereviſiariorum magiſter (ouderman) anno MCCCCLXXIV. obiit MCCCCLXXXIII memoratur apud Matth. Fund. p. CCXXXV. & CCXXXVI.

Arnoldus Dedel, obiit MCCCCLVII.

Johannes Dedel.

Oelanda, vel Oeolandis, vel Jolandis Dedel, mar. Albertus Proeys, filius Alberti & N. Braem van den Velde, obiit ann. MCCCCXCVII.

Wouda Dedel.

Gysbertus ſpurius, memoratur anno MCCCCLXI.

Lambertus Dedel. MCCCCXLV.

Janus Dedel, ux. N. N. proavus Hadriani Papae, juxta S. a Leuw. in Batav. Illuſtr. p. MCXXVI.

Bodewinus Jani filius, memoratur ab anno MCCCCXL. ad MCCCCLXIX. uxor Gouberga N. obierat jam anno MCCCCXLVI.

Cornelius Bodewini filius, concubinam habuit Margaretham, Wouteri filii Gysberti filiam, ex qua filium. uxor Maria N. ex qua liberos habuit. memoratur ab ann. MCCCCXLVI. ad MCCCCLXXIV.

Florentius Bodewini filius, ux. Gertruda N. memoratur anno MCCCCXLVI. obierat anno MCCCCLXIX. uxoris mentio ann. MCCCCLXXXIV.

Nicolaus Florentii filius, uxor Agatha, ex qua liberi, memoratur ab anno MCCCCLXIX. ad MCCCCLXXIV.

Janus Florentii filius, memoratur ab anno MCCCCLXIX. ad MCCCCLXXIV.

Adrianus Florentii filius, adhuc minorennis ann. MCCCCLXXII poſtea Papa.

Janus Bodewini filius, uxor Margaretha N. ex qua liberi. memoratur ab ann. MCCCCLXIX. ad MCCCCLXXVI.

Antonius Bodewini filius, ux. N. N.

Janus Antonii filius, Bodewini Nepos, natus annos XIX. Canonicus Eccleſiae majoris per reſignationem Hadriani Papae die XXVIII. Maji MDXXIII. obiit XV. Jan. MDXXXVIII. Scutum ejus gentilitium dicitur fuiſſe quadripartitum, primo & quarto loco habuiſſe tria lilia, ſecundo & tertio loco tres uncos, ut vocant, Lupinos.

duo Hadrianum ex suis proavis descendisse contendunt, scilicet *Rodenburgii* & *Dedelii*. Quod *Rodenburgios* adtinet, communicavit mecum vir reverendus *Johannes Rodenburch*, verbi divini in pago *Blauwecapel* dicto prope Trajectum, minister fidelissimus, duas *Rodenburgiorum* genealogias, ubi pater Hadriani nostri dicitur *Florus a Rodenburch Adriani filius, minister cerevisiarius Trajecti*, & duos filios *Hadrianum* & *Albertum* suscepisse dicitur. Verum, cum ignoretur a quo stemma illud confectum sit, & cum omni auctoritate destituatur, nos non multum fidei ei adtribuere audemus. Quod enim conditor ejus Papam Rodenburgiis vindicare conatur, nulla auctoritate nixus, eodem jure, quo ponitur, rejici potest. Deinde non convenit inter utramque genealogiam; altera enim, quae insignia depicta habet, *Albertum* Florentii filium, Hadriani Papae fratrem, procreasse dicit *Adrianum* & *Martinum*, altera vero eundem *Albertum* vocat *Adriani* filium. Si probare possemus Hadriànum nostrum ex Dedeliis descendisse, forte huic errori caussam dedisse videretur, quod Elisabetha Dedelia, filia Godardi, qui anno MCCCCLXIV. hic Trajecti senatoriam dignitatem obtinuit, nupta fuerit Jano Rodenburgio, uti tradit Simon a Leuwen Batav. Illustr. pag. MCLXXXVIII. Quae Elisabetha & Papa Hadrianus ita ex duobus consobrinis orti fuissent, ut indicat Dedeliorum genealogia. Quod *Dedelios* adtinet, majori hi jure Hadrianum sibi vindicare videntur. Certe Simon a Leuwen in Batavia Illustrata p. MCXXVI. nominat quendam *Janum Dedelium*, Hadriani nostri proavum. Possidet vir amplissimus Daniel Baro de Milan Visconti, Senator Trajectinus, indefessus etiam in ipsa senectute patriae antiquitatis indagator, chartas quasdam ineditas autographas, in quibus Hadriani parentes memorantur. Has describendas dederat vir Amplissimus celeberrimo nostro Drakenborchio, qui mihi earum copiam fecit, & nos eas infra ad calcem hujus opusculi totas exhibebimus. Et licet in illis nulla familiae mentio, cum tamen ibidem quoque proavus ejus *Janus* dicatur, & Hadrianus semper *Dedeliorum* insignibus usus fuerit, Hadrianus noster ex *Dedeliorum* familia descendisse dicendus videtur. Ita certe conjicit vir Doctissimus Arn. Drakenborchius, Historiarum & Eloquentiae in Academia nostra Professor, qui quidquid subsecivi temporis ipsi datur, in evolvendis rebus gestis nostrorum proavorum, & indagandis antiquitatibus patriis, conficiendisque illustrissimarum, quae olim in patria nostra floruerunt, & adhuc vigent, familiarum genealogiis, alacriter & indefesso studio impendit. Qui quoque stemma *Dedeliorum*, quod exhibemus, ex MSS. Bucchelii, aliisque, confecit. Hadrianum vero iisdem insignibus usum, quibus *Dedelii*, docet & nummus aureus, vulgo ducatus, ab Hadriano cusus, quem possidet vir Amplissimus Daniel Baro de Milan Visconti, & quem nobis humanissime pro more suo conspiciendum dedit. *Dedelii* enim, scilicet qui ex Jano Dedelio descenderunt, semper tribus uncis pro insignibus usi sunt, quibus Leonem, insigne familiae Boukhorstiae, cui cognatus erat, addidisse Hadrianum, nos docet Sim. a Leuw. Bat. Ill. p. MCXXV. Qui ibidem adducto loco Brantii ex Historia sua Reformat. magistratus Trajectinos rogatos ab Hadriano de ejus illustribus natalibus testimonium dedisse adfirmat. Quod an umquam factum sit dubito, saltem nulla ejus mentio in actis magistratuum istius temporis, & licet omnes Curiae nostrae angulos perscrutatus fuerim, illud invenire nequivi. Fuit certe nobilissima, antiquissima & clarissima apud Ultrajectinos nostros *Dedeliorum* familia, cujus plerique summis semper honoribus in civitate nostra perfuncti sunt, verum ex ea prognatum nostrum Hadrianum adfirmare non audeo, cum solus Simon a Leuwen illud, nulla tamen auctoritate nixus, nobis persuadere conetur. An enim verosimile videtur, si Hadrianus *Dedeliis* natales suos deberet, familiae nomen omissurum fuisse? cum in actis magistratuum nostrorum simpliciter tantum vocetur *Meyster Aryaen Florisze van Utrecht*; praesertim cum per totum seculum decimum quintum & sextum, ante & post Hadriani nostri natales, vix annus fuerit, quo familia haec non senatores civitati nostrae dederit, neque ullum inveniam, qui cognomine patris, verum ubique familiae agnomine insignitur. Non ignoro, familiare eo tempore fuisse filios cognomine patris nuncupare, verum si ex illustri gente descenderent, ut certe *Dedeliorum* fuit, semper fere familiae nomen additum repperi. Accedit quod Hadrianus se semper simpliciter *Adrianum a Trajecto* nuncupaverit, & in Epistola quam scripsit *Johanni Dedel*, Canonico S. Salvatoris & B. Mariae, quam nos inter ejus epistolas exhibebimus, eum tantum vocat *Dominum & confratrem suum*, nulla mentione cognationis facta. Si vero ipsi cognatus fuisset, sine dubio illum quidem cognatum vocasset. Urgere autem nolo aliquam quoque differentiam intercedere inter insignia *Dedeliorum* & Hadriani, cum unci in *Dedeliorum* insignibus a dextra, in Hadriani vero ab adversa parte depingantur, cum artis Heraldicae periti saepissime talem mutationem ab iis, qui ex eadem familia prognati sunt, factam observarunt. Mihi ergo, si verum fateri licet, cum nullus scriptor, qui seculo decimo sexto floruit, & res Hadriani litteris consignavit, meminerit eum ex *Dedeliorum* familia descendisse, cum tamen eo tempore illa quam maxime, & praesertim Trajecti clareret, donec meliora edoctus ero, nondum plane constare, quale familiae nomen fuerit,

nes perquam probi & religiosi, qui honesto [1] quaestu sibi victum comparabant, quorum alter, nimirum pater, ei morte subductus fuit, adhuc admodum puero. Mater itaque, quia sibi soli curam pueri relictam videbat, protinus nihil antiquius habuit, quam eum ad optima quaeque instituere. Monebat temperare a mendacio, a furto, a rixa, a pugna, a commercio pravorum, aedes sacras frequentare, sacerdoti sacrificanti religiose ministrare, concionibus sacris attente interesse, & quod inde memoriae mandasset, bona fide, cum reposceretur, domi reddere, & reliqua ejus notae, quae officiosi parentes tenellos liberos monere solent, gnara in omnem usque vitam tenacissime adhaerere, quae rudibus illis annis, veluti a nova testa primum perbibita essent. Contigit aliquando ut forte fortuna in via nummum offenderet, quem sublatum cum domum laetus detulisset, opinatus, qui mos est pueris, hoc quoque matri

lubens confiteor. Parentes ejus fuisse Trajectinos patet ex litteris ineditis, quas autographas possidet vir amplissimus Daniel de Milan Visconti, & apud Canonicos duodecim Apostolorum terrae mandatos docet Aurelius, verum quale familiae nomen gesserint, cum frustra ibi quaeratut, nos publicis & fidem merentibus instrumentis destituti, adfirmare non audemus. Quia tamen hodie vulgaris est opinio, eum ex gente & familia Dedeliorum descendisse, nos stemma Dedeliorum hic produximus, ut habeant ita, qui illud adfirmant, quo magis sententiam suam stabilire possunt.

1 *Quaestu.*] Mire variant scriptores in describendo artificio, quo sibi, suaeque familiae, prospexit *Florentius* Hadriani pater. Multi eum faciunt sericarium, notante celeberrimo Hazaeo in Biblioth. Bremens. cl. V. fascicul. I. diss. VI. alii, ut Du Chesne, tapetarium sive aulaeorum opificem, vel ut Wagenzelius, pannorum sericorum textorem, ut & Onufr. Panvin. Roman. Pontific. pag. CCCLXI. & Boissard. tom. III. Icon. pag. XIX. Celeberrimus Perizonius sequi videtur Baconem Verulamium, qui in Historia Henrici Septimi pag. MXXXVII. eum facit cerevisiarium. Memorabilis est Epistola Clar. Harckenrothii ad Celeb. Hazaeum, quae legitur in Bibl. Brem. cl. V. fasc. I. diss. VI. ubi adducit testimonium cujusdam Hardenbergii Theologi, & verbi divini ministri quondam apud Embdanos, defuncti anno MDLXXIV. qui propria manus scriptione in principio libri, cui titulus *Adriani sexti Pontificis magni quaestiones* in VIII. reperti in Bibliotheca consistoriali Embdae, haec exaravit: *Testatur Hardenbergius SS. Theologiae Doctor & Professor, hunc Papam Hadrianum fuisse cognatum suum, quod Lovanii certissimis testimoniis probavit. Fuit autem Papa hic filius cujusdam Flori, viri depauperati in Dalssen, pago inter Hardenbergam & Zwollam, qui Trajectum proficiscens, didicit artem sellas, & sagittas, & fusos, & similia utensilia, & factus est nuntius, seu minister societatis sellariorum van der STOELDREJER GILDE.* Et in fine, postquam alia adhuc quaedam de familiae ejus insigni adnotasset, addit: *Haec scripsi Lovanii, ut illic tunc notoria, ut & verissima sunt.* Verum, licet non dubitemus, quin talis adnotatio ibi reperiatur, parum tamen fidei ei adtribuimus. Constat enim Hadriani proavos jam Trajecti habitasse, ibique suas aedes habuisse, imo ibi natos, uti auctor Historiae Episcopatus Trajectensis, quae nuper Belgice prodiit part. I. pag. D. adfirmat. Accedit, quod Hardenbergius narret, Hadrianum nostrum Lovanii enutritum in domo Sancti Antonii, cum, ut recte monuit Cl. Hazaeus, in domo Standonica studiis operam dederit. Deinde male insignia Hadriani refert, & dicit ejus familiae insignia fuisse duos piscales hamos, cum sint tres unci. Constans & pervulgata opinio est, patrem Florentium fuisse naupegum, vel, ut Matth. tom. VI. Anal. veter. aevi pag. CCCLXXXIX. navicularii famulum. vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. Struvius tom. III. Act. litter. Brantius lib. II. Histor. Reformat. Celeberrimus Graevius in oratione in quinquagesimum Academiae Trajectinae natalem, & Halma In Theatro foeder. civitat. qui dicit Trajecti monumenta exstare, unde patet Florentium naupegum fuisse. Utinam vero monumenta ea prodidisset Halma! ego ea reperire nequivi. Quidquid sit, constat certe Florentium re non admodum lauta usum fuisse, verum honesto artificio victum sibi quaesivisse. Et omnes scriptores in eo consentiunt Hadriani parentes fuisse pios & religiosos, opibus tamen non abundantes, unde *parentes modicos* vocat Mallinkrot de Pont. Roman.

*Swol-*

matri laetum fore, adeo male affecit piam foeminam, contra quam ratus erat, ut e veſtigio ad locum, ubi illum offenderat, ipſam ducere, & inibi reponere coactus fuerit, ut vel a puero diſceret non imminere alieno, & res inventas non poſſe vindicari ab inventoribus, ſalva juſtitia. Neque enim ad alios mores fingere filium potuit egregia foemina, atque quibus ipſa eſſet. Ut autem ipſa tota pia & religioſa erat, in aedibus ſacris frequens, in precationibus adſidua, Dei & Divorum ejus reverentiſſima, ita his ipſis inſtitutis, quantum poterat, etiam filium eruditum voluit.

## CAPUT II.

*Hadrianus prima elementa diſcit, & Swollam mittitur, ut Latinae linguae rudimentis erudiretur.*

Quinquennis prima elementa mira celeritate didicit, tenuitque non ſine admiratione praeceptoris. Ferunt, cum praeceptor explorandi gratia, ut moris eſt, quodnam cuique elemento nomen eſſet, aliquando ex eo rogaret, & ille ad rogata omnia probe reſponderet, eum laetum propere domum regreſſum, libellum elementarium veluti contemptim abjeciſſe, patrique admirabundo, tum adhuc ſuperſtiti, quidnam hoc ſibi vellet requirenti, confidenter reſpondiſſe, praeceptorem a ſe elementorum nomina, non ſe a praeceptore doceri debere, utpote quae praeceptore longe exactius teneret. Quo audito, Praeceptor delectatus indole pueri, eum & in primis deliciis deinde habuit, & joci cauſſa Magiſtrum Hadrianum appellavit, quod nomen puero diu poſtea vulgo manſit. Mox adoleſcentulus pari felicitate ea, quae ad Grammatices, linguaeque Latinae rudimenta pertinerent, [1] Swollae abſolvit

1 *Swollae.*] Partim Trajecti, partim Swollae, ea, quae ad Latinae linguae rudimenta pertinent, feliciter abſolviſſe, tradit & Valer. Andr. Bibl. Belg. & ex eo Struvius tom. III. Actor. litterar. & ibi eum uſum fuiſſe inſtitutione *Antonii Liberi* Suſatenſis, qui ea aetate celebris juventutis ſcholaſticae moderator erat, ex Hamelmanno tom. I. oper. pag. CCCXL. docet Hazaeus loco ſupra adducto. de quo *Antonio Libero* vid. Hamelmann. tom. I. oper. pag. LXXXIX. & CCLXXXV. & CCCXXIII. Veriora tamen ſunt, quae tradit Vernulaeus lib. III. Acad. Lovan. cap. X. & Revius Hiſtor. Daventr. lib. II. pag. CXXXI. ſcilicet, eum Daventriae prima rudimenta abſolviſſe, quos ſecutus eſt celeberrimus Perizonius Hiſtor. ſeculi decimi ſexti ad ann. MDIX. ubi notat eum praeceptorem habuiſſe *Alexandrum Hegium*, qui natione Weſtphalus, primus in Belgio litteras graecas cum Rudolpho Agricola & Rodolpho Langio excitavit, & exeunte ſeculo decimo quinto Scholae Daventrienſis moderator fuit, cui per triginta annos praefuit, & ex cujus diſciplina plurimi viri docti prodierunt, ut *Eraſmus*, *Buſchius*, *Murmellius*, aliique. vid. append. Epiſtol. Eraſmi XCIV. CCCCX. & CCCCXI. & Sweert. Athen. Belgic. p. CXVI. de quo videndi Valer. Andr. Biblioth. Belgic. Revius lib. II. Hiſtor. Daventr. pag. CXXIX. Hamelmannus d. l. & pag. XCIV. & ſeqq. & pag. CLXXIII & CCLXXXIV. & Burchard. comment. de vit. Herm. Buſſchii p. CXXXVIII. Hadrianum Delfis apud Hieronymianos in prima aetate prima rudi-

vit, (ea ſchola trivialis eſt, haud ita longe a Trajecto, ut iis locis ſatis celebris) ut exiguo tempore condiſcipulos, non aſſequeretur modo, verum etiam longo intervallo a tergo relinqueret, jam tum ſpecimen praebens, quantum momenti facturus eſſet in diſciplinis gravioribus, ingenio videlicet adultiore, uſuque rerum confirmatiore. Siquidem a puero ſemper ita ſe geſſit, ut veluti extra ordinem poſitus, non unus e numero ab omnibus haberetur, ſemper aliquid eximium praeſtans ſuper caeteros: quae res ei in omnis aetatis gradu, cum multos laudatores, tum item aemulos peperit, ut invidia ritu ignis ſemper alta petit.

Ferunt matrem ejus, quo tempore Swollae agebat, inter alia complura pietatis officia, ſaeviente hyeme, ligna, aliaque ad inclementiam temporis ſuſtentandam neceſſaria, pauperibus ſuppeditare ſolitam, ut hoc officio conciliata divina benignitas, e diverſo ſibi unice charum filium ab injuria temporis tutum redderet. Quod ſicuti a pia quadam ſimplicitate proficiſcebatur, ita vehementiſſimi materni adfectus indicium erat, numquam non de fruge & ſalute filii ſolliciti.

## CAPUT III.

*Lovanium miſſus recipitur in Gymnaſium Porci. Magiſter artium renunciatur. Hadriani ingenium acerrimum.*

Latine callens, quantum ſatis eſſet ad diſciplinas alias, jactisque qualibuscunque rudimentis Dialectices, ut in ludis illis trivialibus moris eſt, mittitur Lovanium. [1] Ea nobilis Academia in Ducatu Brabantiae eſt, nulla aliarum regionum, quodcumque ſtudiorum genus reſpicias, ulla ex parte inferior. Dicas eſſe ſerio eruditorum omnis generis fertiliſſimam officinam. Theologi ſunt gravitate morum, religione ac ſanctimonia vitae, zeloque Chriſtianae fidei eximii. Id quod hactenus cum permultis aliis indiciis, tum vero hoc uno luculenter oſtenderunt, quod [2] primi ferme omnium Lutheri dogmatibus ſtrenue obviam iverint. Ad

rudimenta didiciſſe, tradit qui nuper antiquitates Delfenſes Belgice edidit pag. CLVIII.

1 *Ea nobilis.*] Haec verba adducit Vernul. Acad. Lovan. cap. IV. Inſtituta eſt Academia Lovanienſis ann. MCCCCXXVI. a Johanne IV. Duce Brabantiae, impetratis ab Imperatore & Martino V. Pontifice immunitatibus. Pontus Heuterus lib. IV. rer. Burgund. ad ann. MCCCCXXVI. Sweertius Athen. Belgic. p. III. & LXXX. Gomecius lib. IV. de reb. geſt. Franc. Ximenii. Academiae Lovanienſis inſtituta, facultates, collegia, privilegia &c. ex profeſſo deſcripſerunt Valerius Andreas in libro, cui titulus *Faſti Academiae Lovanienſis* & Vernulaeus in Academia Lovanienſi, & idem Vernulaeus in miſcellaneis orationibus IV.

2 *Primi ferme omnium.*] Ita quoque Vernulaeus lib. II. Acad. Lovan. cap. II. Lovanienſes Theologi Lutherum haereticum declararunt anno MDXIX. Mutius in Chron. lib. XXXI. non tamen inſcio Hadriano noſtro, tunc Cardinali & in Hiſpania moranti, quo-

Ad haec, non in vanis argumentis tempus conterentes; sed in ipsis litteris divinis, in patribus Ecclesiasticis, & iis, quae ad rationem vitae faciunt, versantes. 1 Jurisperiti sunt, praeter excellentem eruditionem, etiam sinceri, neque vel sordibus vel muneribus obnoxii. 2 Medici quoque non ipsa theoria modo, sed usu quoque & praxi egregie praestantes. 3 Philosophi denique non nugivendi aut sophistae, ut alibi, sed ipsa germana Philosophia, quae ad disciplinas serias postea usui sit, plurimum valentes. Nihil autem necesse habeo dicere de 4 litteris amoenioribus, de linguis item Graeca & Hebraea, quas ibi florere, si usquam alibi in Germania, & in dies singulos magis vigescere, res ipsa aperte declarat. Quo cum venisset, quia mater prae angustia rei familiaris, ad studia persequenda necessarios sumptus in loco tam remoto aegre suppeditabat, sollicitatis amicis sibi victum gratis comparavit in *Gymnasio*, quod tum 5 *Porci* appellabatur, hodie 1 *Standonicum* nomen habens, ab

quocum rem communicarunt, & cujus sententiam rogarunt, a quo confirmati censuram emiserunt, ut refert Sleidan. lib. II. ad ann. MDXX. & Hadriano adscribit Erasmus, quod articuli in Lutherum satis moderati fuerint. epist. MCLXIII. vid. & append. epist. DXI. non vero articulos tantum in Lutherum ediderunt, verum & libros ejus, ut impios, & irreligiosos, & incendio dignos, damnarunt. Sleidan. d. l. & Polan. lib. I. Hist. conc. Trident. p. XV.

1 *Jurisperiti.*] Celeberrimos JCtos olim habuit Lovaniensis Academia, qui summa cum fama & eruditione Jurisprudentiam ibi docuerunt, inter quos eminent Nicolaus Everhardus, Peckius, Wamesius, Leoninus, Zoezius, Perezius, Tuldenus, Gudelinus, aliique, quos enumerat Vernulaeus II. cap. IV. & III. cap. XI.

2 *Medici.*] v. Vernul. lib. II. cap. V. & III, XII.

3 *Philosophi.*] v. Vernul. lib. II. cap. VIII. & III, XIII.

4 *Litteris amoenioribus.*] Litterae Latinae, Hebraicae & Graecae, Lovanii docentur in Collegio *Buslidiano*, sive *Trilingui*, ita dicto; a tribus his linguis, quibus studiosi in eo erudiuntur. Humaniores autem litterae in collegio *Vaulxiano*. Quae Collegia describuntur a Vernulaeo lib. II. Acad. Lov. cap. X. & Collegii *Trilinguis Buslidiani* exordia ac progressus oratione descripsit Andreas Valerius, cum professionem linguae sanctae Lovanii auspicaretur, impressa Lovanii anno MDCXIV. Institutum est anno MDXVIII. ab Hieronymo Buslidio, Francisci Archiepiscopi Vesontini fratris & haeredis. vid. Chytraeus lib. VI. Hist. Saxon. pag. DLXXXIX. Johan. Bertelius Historia Luxenburgens. pag. CLXXXIV. Locri Chronicon pag. DLXXVIII. & Gilbertus Cognatus descript. Burgundiae pag. XVI. qui tamen male eum facit Archiepiscopum Bisontinum, cum fuerit ejus frater. Hujus quoque meminit Janus Secundus lib. II. ep. I. ad Aegidium Buslidium Hieronymi fratrem.

*Nec satis esse putas factum memorabile fratris,*
*Illius aeternâ noti super aethera famâ,*
*Pridem Pierides vitreis Heliconis ab undis*
*Ad patrios qui duxit agros, posuitque superba*
*Marmore laurigeris habitatula splendida Musis,*
*Lovanii Decus, & terrae ornamenta Brabantae,*
*Quae nunc cum populis merito certare Latinis*
*Audet, & ingenuis felix contendere Grajis,*
*Et sancta Hebraeum mysteria pandere vatum.*

De hoc Collegio multa quoque habet Erasmus, qui juxta Miraeum elog. Belgic. cl. VIII. in Conrado Goclenio, auctor fuit Hieronymo Buslidio, ut collegium hoc conderet. vid. Erasm. epist. CCCV. CCCXIV. CCCLXII. DLXXXIV. & DLXXXVII., ubi docet, male quosdam habuisse institutum hujus Collegii, qui subvertere volebant, nisi conatus illorum cohibuisset Adrianus noster, tunc Cardinalis. vid. & ep. MCXXXVIII. MCLXVI. & in append. ep. CXCV. CXCVI. CCX. & CCXXIV.

5 *Porci.*] Varia collegia instituta sunt Lovanii, & dicuntur, in quibus certa pecuniaria summa annua ex conditorum testamentis praebetur alumnis, quae si alimentis non sufficit, de suo addere debent, quod victui deest. Val. Andr. Fast. Acad. Lovan. pag. CCLXXXVI. Hujus autem Porcensis Collegii initium ipsis Academiae incunabulis adscribendum est, & auctorem habet *Johannem Widoe*, qui condita primum Academia, domum suam

ab inſigni collegio vicino, olim a venerabili viro inſtituto D. *Joanne* cognomento *Standonck*, ſacrarum litterarum Profeſſore laureato, nulli Lutetiae ſua aetate pietate ſecundo, quod interim eo ſuccrevit, ut *Standonicum* nomen jam utrique commune ſit. Is enim vir prudenter animadvertens, quanti in omnem reliquam vitam referret, novellam aetatem principio ad bonam frugem admoveri, benignitate Principum, apud quos propter opinionem [2] pietatis plurimum poterat, cum ipſe abdicatis omnibus, ſponte nihil poſſideret, ejusmodi aliquot collegia diverſis in locis inſtituit, unum Lutetiae, hodie celeberrimum, alterum Lovanii non incelebre, Mechliniae quoque unum, & unum Valenzenis apud Hannonios, [3] iis quidem legibus, ut qui eo reciperentur, cum litteris & doctrina, tum vero piis moribus informandos ſeſe dederent, ad eſum piſcium, ad obedientiam & caſtitatem, & ad quasdam alias religioſas ceremonias, per quantum temporis ibi degerent, adſtricti. Quod ſi cui inde alio viſum eſſet migrare, id poſſet libere, ſine infamia, aeque futurus ſui juris ut antea. E quibus certe collegiis [4] plurimos inſignes, tum doctrina, tum probitate viros, & prodiiſſe, & quotidie prodire, omnibus utique, qui vel Lutetiae vel Lovanii aliquamdiu egerunt, probe cognitum eſt.

Habuit hic vir praeſtantiſſimus poſtmodum Hadrianum inter primos amicos & familiares, captus videlicet ſingularibus dotibus ejus, & integritate vitae. De victu igitur, & reliquis neceſſariis ſecurus, omni & cogitatione & cura ſtatim ad Philoſophiam ſe contulit, & tempore non ita multo eos ibi progreſſus fecit, ut eminens inter reliquos, qui per

qua-

ſuam ad ſcholae uſum reliquit, quae cum e regione Porci ſylveſtris eſſet, *Schola* ſive *Paedagogium Porci* adpellata eſt. vid. Val. Andr. d.l. pag. CCLVI. Et in eo gymnaſio quatuor ſunt humaniorum litterarum ſcholae & duae Philoſophicae, & doctiſſimi non tantum, verum ſummis honoribus & dignitatibus conſpicui viri, ex eo prodierunt, quos enumerat Vernulaeus lib. II. Acad. Lovan. cap. VII. In Hadrianum, qui ex hoc collegio provenit, hoc epigramma habet Grammaye Lovan. pag. XXII.

*Trajecti decus, Heſperiam recturus utramque,*
*Progrederis Grudium, magne Hadriane, memor.*
*Fortunatum ideo Porcum vocat orbis, ob unum*
*Qui datus eſt tanto duxque paterque gregi.*

1 *Standonicum.*] Vel a collegio vicino, quod extruxit *Johannes Standonk*, vel potius, quia ipſum Paedagogium ejusve pars, ubi ſcilicet domus Standonicae hortus erat, vendita Hadriano noſtro, tunc domus Standonicae viſitatori, ceſſit pauperibus Standonicis. Val. Andr. & Vernul. dd.ll. Hoc ergo in collegio liberalibus artibus ſedulo operam dedit Hadrianus noſter, optimo inſtituto, antequam ſe ad alias diſciplinas conferret; noverat enim, ut recte notat Val. Andr. pag. CCXXXIX. ex ea humaniori doctrina fructum uberrimum Eccleſiae provenire.

2 *Pietatis.*] Meminit hujus *Johannis Standonk* Erasmus epiſt. LXXIV. verum non tanti eum fecit, ut auctor noſter, vocans eum *Anſtititem gravem, hominem impudentiſſime levem, & inſaniſſimum, & qui ipſi inimiciſſimus erat.*

3 *Jis quidem legibus.*] Vota, quibus adſtringuntur, qui in collegium Standonicum recipiebantur, vid. apud Vernul. lib. III. Acad. Lovan. VII.

4 *Plurimos inſignes.*] Eos enumerat Vernulaeus lib. II. Acad. Lovan. cap. VII. & lib. III. VII.

Quatuor

1 quatuor Gymnaſia, quae *Paedagogia* ibi appellant, eidem ſtudio tum operam navabant, cum titulo 2 magiſterii donandus eſſet, jure inter primos locum obtinuerit: id quod proclive ei erat, tum per memoriam, quam fideliſſimam habuit, licet de ea queri ſubinde ſolitus ſit, tum per ingenium, quod nimirum acerrimum, atque adeo plane divinum ſortitus erat, non ſolum diſciplinis omnibus capiendis abunde ſufficiens, verum ad quidvis etiam aliud penitiſſime perſpiciendum, mirifice promptum. Quo fiebat etiam, ut poſtea in rerum adminiſtratione verſans, in negotiis difficillimis & obſcuriſſimis, ubi alii plane conſilii inopes haerebant, protinus conſilium aliquod fidum & ſolidum pro tempore invenire, ſubitoque quid facto, quid omiſſo opus eſſet, expedire potuerit. Ad quod item referas licet, quod poſtea annum egreſſus quinquageſimum feliciter & Gallice didicerit, & Hiſpanice, & ex bona parte Italice, cum ſenectus ad nova diſcenda tardiores reddere ſoleat. Porro in ſtudendo 3 ſumma erat adtentione, ut nihil praeteriret, quamtumvis abſtruſum & reconditum, maxima etiam adſiduitate, ut nullis aut delinimentis, aut delitiis, a libris avocari potuerit, & quicquid temporis rebus aliis ſuffurari dabatur, id litteris impendebatur. Mira denique, ſine qua nihil vires ingenii valent, frugalitate per omnem denique aetatem fuit. Tametſi non tam prolixe ac intente, quam caute ſtudebat, ſemper ratione virium & valetudinis habita.

## CAPUT IV.

*Hadrianus Philoſophus celeberrimus evadit.*

Caeterum poſt ſuſceptum Magiſterium, in Philoſophia haeſit annis adhuc aliquam multis, interim quicquid ea facultas cognoſcendum inſpiciendumque haberet, ſtudioſiſſime perluſtrans, per magnam item gloriam idem in Gymnaſio, cui 4 Falconi nomen eſt, profeſſus, ut ſectas

1 *Quatuor Gymnaſia.*] Quatuor Gymnaſia, ſive Paedagogia illuſtria Lovanium habet, quorum alumni ſubſunt Gymnaſiarchae, ſive Regenti, ſingulis Gymnaſiis tali Regenti praepoſito, qui & oeconomiae & diſciplinae praeeſt. Haec ſunt *Lilii*, *Porci*, *Caſtri & Falconis*, quae ſingula ab inſignibus nomen ſortita dicuntur. Vid. Vernul. lib. II. Acad. Lovan. cap. VII.

2 *Titulo Magiſterii.*] Hadrianus noſter magiſter artium renunciatus eſt anno MCCCCLXXXVIII. vid. Valer. Andr. Faſt. Lovan. pag. CXV.

3 *Summa erat.*] Summam induſtriam & diligentiam Hadriani, cum ſtudiis operam daret, praedicant fere omnes ſcriptores, qui de eo quid poſteritati tradiderunt. Imo tanta dicitur ipſi fuiſſe diſcendi cupido, ut ſaepe viſus fuerit, nocte ad ellychnos in templis aut computis collucentes, legendi deſiderio acceſſiſſe, ut ex Naudaeo notat Struvius tom. III. Actor. litterar.

4 *Falconi.*] Vid. Val. And. faſt. Lov. pag. XCV. In caeteris enim tribus collegiis litterae & artes liberales docebantur, in hoc vero Logica, Phyſica,

ſectas omnium Philoſophorum, omneque genus Philoſophiae exactius teneret, quam quiuis aliorum, qui tum Lovanii in ea diſciplina celebres erant. Nihil excipio, nec Dialecticen, nec Phyſicen, nec Ethicen, nec quamvis aliam partem, ne Sophiſticen quidem. Omnia perſpexerat, non minus fucata, atque vera. Praecipue vero in Mathematica pollebat, cujus artis vel intricatiſſimas argutias citra negotium, nullius uſus opera, plene percipere, perceptasque cum admiratione omnium clare explicare potuit. Ex quo factum eſt, ut quum vir undecumque doctiſſimus [1] *Harmolaus Barbarus*, a Venetis ſuis legatus ad Fredericum Imperatorem, filiumque ejus Maximilianum, tum apud Belgas agentes, miſſus, Lovanium viſendae Academiae gratia divertiſſet, petiiſſetque adduci ſibi quemquam in ea Academia Philoſophia praeſtantem, cum quo ipſe Philoſophus de ea ipſa diſciplina commentaretur, hunc demonſtratum ſibi accerſiverit, & perſpecto juvenis eleganti ingenio, ſingularique eruditione, ac caeteris animi & corporis dotibus, mirifice eum complexus ſit, & frequenti congreſſu per quantum temporis illic commoraretur, impenſe delectatus fuerit, adeo ut petita ejus geneſi, neſcio quid de eo jam tum magni praeſagiret. Sed & inde deſceſſurus, cum Hadrianus petita non transmitteret, ſive pudore, ſive quia non tam cito hominem diſceſſurum putabat, ſcripſit ad eum ſua manu his verbis: *Nativitatem tuam, quam pollicitus es, perſtolatur Hermolaus.* At vero ſi Hermolaus praeſcire vel per

ca, & Metaphyſica alumnis praelegebantur. Vernulaeus lib. II. Acad. Lovan. VII.

1 *Hermolaus Barbarus.*] Fuit hic vir doctiſſimus, & qui in Italia Latinam linguam jam pridem ſquallentem, & multa barbariei rubigine exeſam, ad priſtinum nitorem revocare conatus eſt. Variis elogiis a *Bembo*, *Marſilio Ficino*, *Angelo Politiano*, *Juſtiniano*, *Eraſmo*, aliiſque ornatus. vid. Eraſm. ep. cc. CCXII. DCLXXI. DCCXXX. & in append. LXXXIX. Qui a Paulo Langio in Chron. Citizenſi ad ann. MCCCCXIIII. dicitur *Orator*, *Poëta & Hiſtoricus ſummus.* A Republica Veneta legatus miſſus fuit ad Fredericum Imperatorem, & Maximilianum Regem Romanorum, coram quibus diſertiſſimam & elegantiſſimam orationem habuit, qua Frederico & Maximiliano Regi Romanorum electo congratulatur, vid. Crantzius XIII. Saxon. II. ubi eum vocat *virum propter litteras memoria ſempiterna dignum.* & addit, eum hoc tempore a Frederico muneratum aurea militum dignitate. Haec autem oratio legitur *in Orationibus clarorum hominum, vel honoris officiique cauſſa ad Principes*, vel *in funere de virtutibus eorum habitis* pag. XXXIX. quae editae ſunt a Rhetoribus Academiae Venetae ann. MDLIX. & exſtat apud Freher. tom II. rer. German. p. CCCCVIII. ubi habita fuiſſe dicitur ann. MCCCCLXXXVI. cum Hadrianus annum aetatis ageret XXVII, ac nondum magiſter artium creatus foret, quod obtinuit ann. MCCCCLXXXVIII. ut pagina praecedenti vidimus. Et eum diſertiſſimum oratorem fuiſſe probat & altera oratio, quae ibidem legitur pag. C. in funere *Nicolai Marcelli*, Venetiarum Principis. Eruditionem ejus quoque probat labor in Plinium, quem, innumeris locis corruptis, emendatum edidit, de quo vid. omnino Eraſm. d. epiſt. DCCXXX. Equeſtri dignitate fuerat donatus, & Reipublicae Venetae ad Innocentium VIII fuit Orator, & Patriarcha Aquilejenſis creatus, obiit Romae anno MCCCCXCIV. Nonnulli eum Cardinalem ab Innocentio VIII creatum dicunt, alii vero eum deſignatum, non tamen declaratum putant. vid. Andr. Victorell. in addit. ad Ciaccon. de vit. Pont. in Innocent. VIII. ubi plura ejus elogia exhibet. & Chaſtaigner Nomencl. Sanct. R. E. Cardinal. pag. CIII. ubi ſcripta ejus recenſentur. plura de eo vid. apud Jovium elog. viror. doctor. pag. XLVI. ubi & ſcripta ejus recenſet. & Cael. Calcagnin. lib. IV. pag. LI. & CCCXXIII. Vivem. III. de tradend. diſc. p. CCCCLXXXIII. Crinit. de

per ſomnium potuiſſet eum, cujus tum indolem tantopere exoſculabatur, ad rerum apicem & ad locum, quo major in terris non eſſet, aliquando perventurum, quali obſecro verborum honore virtutes illas, dotesque tum pulcherrime germinantes, paulatimque altius altiusque emergentes, proſecutus fuiſſet. Sed & iſtud quoque ex diverticulo.

## CAPUT V.

*Theologiae & Jurisprudentiae operam dans, ſummus Theologus & Jurisconſultus evadit. Libri quos ſcripſit.*

Philoſophia autem humana egregie inſtructus, ut diximus, ad divinam, id eſt, [1] Theologiam, animum transtulit, in qua & conſenuit, & reliquam totam vitam tranſegit: Sic tamen, ut quotidie bonam partem in leges Caeſarias & Pontificias ſeponeret. Porro hic quoque progreſſu temporis eo evaſit, ut non Lovanii modo, verum etiam in toto orbe Chriſtiano (abſit verbo invidia) inter Theologos & Jurisperitos, certe quorum nomina tum orbi cognita fuere, [2] vix parem habuiſſe exiſtimetur. Siquidem evolverat omnes, tum veteres, tum recentiores, *Cyprianum*, *Hieronymum*, *Ambroſium*, *Auguſtinum*, & reliquos, qui tum habebantur. Rurſus *Thomam*, *Scotum*, *Bonaventuram*, *Paludanum*, & quotquot tandem ejus notae ſunt. Jam interpretes omnes juris, *Baldum*, *Bartholum*, *Panormitanum*, *Alexandrum*, aliosque ejus farinae omnes, quos longum foret recenſere, ut mirum fuerit, tam multiplicibus omnis generis lectitandis auctoribus ipſum parem eſſe potuiſſe incolumi valetudine. Verum ad hoc plurimum ei adjumento fuit, quod ſtudia, ut ſupra adtigimus, lege quadam & ordine regebat, numquam lucubrando a coena, niſi ex aliqua urgente neceſſitate, numquam etiam aut perraro intentionem animi ad defatigationem producendo, gnarus ſcilicet, nihil aeque nervos ingenii labefactare, &

de honeſt. diſcip. xv, ix. 1, vii. Bembum Hiſtor. Venet. 1. pag. xvi. Boiſſard. tom. 1. Icon. pag. clxxvii. Elſſii Encomiaſt. Auguſt. p. cclxxxiii. Pier. Valer. de Litterat. infelic. p. cclxiv. Montfaucon. Palaeograph. praefat. pag. xii. & Magiri Etymologicon. De exilio & ſcriptis ejus videndus & Alcyon. de exilio lib. 1. pag. lx.

1 *Theologiam.*] In Theologia operam dedit Lovanii collegii St. Spiritus alumnus. Valer. Andr. Bibl. Belg.

2 *Vix parem.*] Egregium elogium ipſi dixit Martinus Dorpius Theologus Lovanienſis, in epiſtola inſcripta Menardo, & praefixa Quodlibeticis quaeſtionibus Hadriani. *Non*, inquit *nugacis poëticae, ſed Philoſophiae, ſed ſacroſanctae Theologiae, ſed Juris Canonici dicam an civilis, certe utriusque lumen Hadrianus Florentii, Cancellarius noſtrae Academiae. Ecquis enim in cincera & Philoſopho digna Dialectica hoc uno argutior, quis naturae miracula novit exploratius? Porro ut Theologiam interim ſubticeam, in qua nemo herbam ei, ut proverbio dicitur, non porrigit, quis quaeſo utriusque juris conſultior, quis mora-*lis

& Spiritus illos cerebri, quae veluti ſtudiorum inſtrumenta ſunt, exhaurire. Quamquam non ſtudia modo, ſed etiam alia pene omnia, vice quadam & ſpatio diſpenſabat. Siquidem, ut infra apertius dicemus, ſtata hora ſtrato ſurgebat, ſtata Deo precibus litabat, ſtata cibum capiebat, ſtata cubitum ibat, ſtata denique conveniendi ſui copiam faciebat. Quo inſtituto laboribus ſtudiorum & functionibus omnibus, ad quas poſtmodum adſcitus fuit, licet operoſiſſimis, non modo par fuit, ſed etiam ſuperfuit, ſine omni noxa & incommodo. Caeterum vis ſcire, quantus in Theologia & Jurisprudentia fuerit, ne multis morer, lege ſcripta quae reliquit, & praeſertim opus illud inſigne, [1] in *quartum ſententiarum Petri Lombardi.* Fallor, ſi quid multis ſeculis in eo genere ſolidius videris ac eruditius, quod tamen extremam lineam nondum paſſum erat, ſed ab amicis nominis ejus ſtudioſioribus, & fortaſſis metuentibus, ne alioquin in apertum non prodiret, ei clam ſubductum, & praelo datum fuit, ut aperte [2] *Badius* teſtatur in epiſtola operis ejus liminari. Lege item *Quaeſtiones* [3] *Quodlibeticas*, ut appellant, opus etiam judicio peritorum exactum. Videas illinc eum non legiſſe, quae legit curſim & defunctorie, ſed adtente & cum judicio. Videas litteras ſacras denſe incul-

*lis Philoſophiae tenacior?* Et Hadrianum *magnum ſine controverſia Theologum* quoque pronuntiat Erasmus ep. DCCXLVI.

1 *In quartum.*] Quo Eccleſiae Papalis ſacramenta explicantur, & dubia circa ea diſcutiuntur. Val. Andr. Biblioth. Belgic. pro genio iſtius aevi, quo magis laborabant ediſcendis & interpretandis diſtinctionibus vanis, & doctrina ſcholaſticorum iſtorum Theologorum, quam interpretandis ipſis ſacris ſcripturis. vid. & Miraeus elog. Belgic. in Hadriano VI. & Auctar. de ſcriptor. Eccleſ. §. DXXXVI. prodiit hoc opus Pariſiis anno MDXII. & MDXVI. in fol. anno MDXXVII. in VIII. & alibi.

2 *Badius.*] Qui dicit, Hadriano abſente, & legationem apud Hiſpaniarum Regem obeunte, commentarium hunc editum.

3 *Quodlibeticas.*] Quas edidit ann. MDXV. & prodierunt Pariſiis anno MDXVI. in fol. & alibi. vid. Miraeus de Scriptor. ſeculi decimi ſexti §. XXX. & opus illud laudat Chaſſanaeus Catal. glor. mundi part. I. pag. LXXVI. *Vidi*, inquit, *& legi quodlibeta ab Adriano compoſita, quae mihi videntur recto tramite, & recta via ordinata, & videtur ex ſuis dictis inſequi veritatem, non diſcurrendo per mendicata ſuffragia.* Et ibidem Hadrianum *virum doctiſſimum & probiſſimum* vocat. Praeter haec opera, dum Cardinalis & Epiſcopus Derthuſenſis eſſet, ſcripſit *Computum hominis agonizantis* ad *Adrianum ab Helweghen*, conſiliarium & Quaeſtorem Ducis Brabantiae Lovanii. Item ſermonem de *ſeculo pertuſo*, ſive de *ſuperbia*, qui ſermo prodiit Antverpiae anno MDXX. Pontificatum vero adeptus, edidit *regulas Cancellariae Apoſtolicae*, quae prodierunt ibidem anno MDXXIII. aliaque ſcripſit, quae recenſent Valer, Andr. Biblioth. Belgic. Sweert. Athen. Belgic. Revius lib. II. Hiſt. Daventr. p. CXXXII. Chaſtaygner Nomenclat. Cardinal. pag. CXVI. Jacob a S. Carolo Bibliothec. Pontific. lib. I. pag. CVII. & Miraeus d. l. qui quoque dicit, varias Hadriani epiſtolas ad Carolum V. Franciscum I. ad S. R. E. Cardinales, & alios, tum ſacri tum politici ordinis proceres datas, Mſſ. extare ſuo tempore apud *Ludovicum Torrium*, Conſiliarium Regium, & magiſtrum rationum Inſulis in Gallo Flandria. Falluntur autem egregie illi, qui ipſi adſcribunt *commentarios de Linqua Latina*, aliaque opera ab Hadriano Cardinale conſcripta, quem errorem commiſerunt Boiſſard. tom. III. Icon. Morhovius Polyhiſt. cont. IV, IX. §. XXIII. Hamelmann. tom. I. oper. pag. CXXVII. & CCCXL. Brantius lib. II. Hiſtor. Reform. & nuper Funcius in tractatu de *Adoleſcentia Latinae linguae* in programm. §. VIII. & Halma in Theatr. foederat. civitat. in Adriano, & ii qui Rempublicam eruditorum hodie Belgice edunt menſ. Julii & Aug. anni MDCCXXV. pag. XVIII. Longe enim hic Hadrianus Cardinalis diverſus fuit a noſtro, de quo pluribus agemus ad Jovium cap. V.

*Sive*

inculcatas, multis in locis optime enarratas, accommodate ad rem praesentem adhibitas, & eundem ad modum Patres Ecclesiasticos. Videas leges Pontificias simul & Caesareas profunde admodum discussas, juxta germanum earum sensum probe explicatas, non violenter tortas. Videas denique quaestiones inde argute motas, argumentationes objectas simul & dilutas. Et quod perrarum apud alios nostri seculi est, plurima quae disserit, nova sunt ab ipso tum primum excogitata.

## CAPUT VI.

### *Hadriani doctrina, animi & corporis dotes.*

Sed quid tenuitas nostra operum eorum laudes praedicet? Praedicabit abunde posteritas, apud quam, si quid conjectum auguror, etiam in secula permansura sunt, tanto majore auctoritate, quanto majorem in talibus antiquitas addere, quam novitas solet. Non jam moror verba, sed res cognitu dignas, quarum ibi doctissimum penu habes. Idem testari possunt responsa, quae in archivis ejus etiamnum hodie Lovanii visuntur, ad innumeras quaestiones, quas variis ex regionibus, varii ad eum consilii gratia transmittebant: Idem etiam testabuntur commentaria ejus in *Proverbia Salomonis*, si modo excusa forent. Postremo id ipsum praeclare ostendebat in gymnasio aut profitens aut disputans. Diceres numquam audisse te neque clarius quidquam, neque altius, neque copiosius. Eum thesaurum rerum profundebat, quas ita quoque adhibitis similibus, quae ad manum habebat, verisimiles reddebat, ut eas coram & ante oculos positas existimares. Imo vero reluctanti etiam auditori propemodum persuadere potuit id, quod vellet, quod nemo recte negaverit solius ejus esse, qui plene exacteque quidvis cognitum habet. Nam quae ipsi alte satis non tenemus, quo pacto, quaeso, alte aliis explicemus? Proinde auditorio semper celebri profiteri solet, adfluentibus non vulgaribus modo & juvenibus, sed viris barbatis, vere doctis & honoratis. Jam vero in disputationibus nihil fingi potuit acutius, sive objicientis personam, [1] sive solventis sustineret, protinus tribus ver-

[1] *Sive solventis.*] Haec confirmat Vives lib. v. de tradend. discipl. pag. DXXIV. ubi dicit: *Ego Hadrianum Florentinum illum, qui postea factus est summus Pontifex, quum adhuc esset Decanus Lovaniensis, in publicis saepe disputationibus, quaecumque auctorum dicta a disputantibus citarentur, interpretantem pro se audivi, numquam adspernantem, etiamsi ex iis essent, qui adhuc vivunt, nempe Jacobi Fabri, aut Erasmi Rotterodamensis* vid. Possevini Biblioth. Select. lib. 1. cap. 1.

verbis ipſum rei momentum tangebat, ut adverſario etiam ingenioſo & erudito vix relinqueret, quod rurſus probabiliter ingereret. Argumentationes quoque minimi ponderis, quaeque ab aliis propoſitae, frigidae plane & enerves viſae fuiſſent, ſic ſaepe fucis quibusdam, vel ex Philoſophia, vel aliunde, petitis, excolebat, ut plus, aut certe non minus ſpeciei haberent, quam quae vere acres & nervoſae eſſent, quod itidem hominis vere docti eſſe nemo abnuat. Porro plurimum etiam ei auctoritatis ad perſuadendum, ſive docenti ſive diſputanti, adferebat ipſa dignitas formae, condita comitate gravitas morum, [1] totiusque oris & corporis fatalis quaedam gratia. Siquidem [2] ſtatura erat procera, corpore neque obeſo plus ſatis, neque gracili, fronte aliquantum depreſſa, oculis lucidis laetisque, malis oblongis quidem illis, ſed rubore quodam tenui probe honeſtatis, naſo aliquantum adunco, ſed non ſine venuſtate. Ad haec, vultu modeſto, & ad ridentis ſpeciem nonnihil formato, geſtibus item ſedatis, parique libra lepidiſſime ſuſpenſis. Diceres ſponſam eſſe, quoties vel in ſuggeſtu ſtantem, vel in publico incedentem videres, ita decore compoſitos oculos in quod decebat, intentos habebat. Aderat ſermo lentus, majeſtatisque plenus, vox ſuavis & placida, & quae facile aures penetraret. Vis eloquendi & referendi etiam quidvis, quantumlibet prolixum, & quidem ex tempore mire expedita, absque ulla videlicet aut praecipitantia, aut haeſitatione. Neque deerat in totum ſermonis nitor, ſiquidem & ſi nitorem illum eximium, & per omnia terſum, qualem in ſcriptoribus hujus temporis videre eſt, aſſecutus non fuerit, tamen legendis optimis quibusque Theologis veteribus, nonnullis quoque ex Ethnicis, ſicuti in myropolio moratus, etiam aliud agens, tamen poſtea qualemcunque inde odorem refert, ita obiter & in tranſcurſu tolerabilem adſecutus erat, ut certe faſtidium effugeret, id quod [3] pro conditione illius ſeculi, ac pro mori-

1 *Totiusque oris.*] Modeſtia multa in ore, multa in verbis & dignitas, quanta deſiderari ad gratiam poſſit, ipſi adſcribitur a Lokhorſtio in epiſtola, quam edidit Lappius poſt Hedam & Bekam in append. pag. IX. & quam nos infra ad calcem hujus opuſculi exhibebimus.

2 *Statura.*] Corpus procerum & erectum cum gracilitate non indecora, faciem candidam, & vivam plenam dignitatis, gratiae, & majeſtatis ipſi fuiſſe dicit Lokhorſtius d. l. Eadem autem, quae Moringus, habet & Valer. Andr. Bibl. Belgic. & Struvius tom. III. Actor. litterar. & eodem fere modo deſcribit eum Battus Parmenſis, impius & ſceleſtiſſimus iſte Hadriani noſtri calumniator, apud Wolſium tom. II. lection. memor. CXCI. *Hadrianus*, inquit, *erat procera ſtatura & recta, gracilento corpore, facie oblonga & prominenti, & maxime decora, niſi frons depreſſa in verticem plus juſto recederet. Oculos habebat parvos, non tamen prorſus caeruleos, ut bona pars Germanorum, ſed habebat ſplendidos & hilares, & ſuperciliis admodum obtectos, habebat naſum aquilae roſtro non abſimilem, ſed obeſum, nec ita prorſus aduncum. Malae oblongae, ac prominentes, & naturali rubore perfuſae totum vultum maximopere honeſtabant. Ipſe incedebat rectus, & cum magna venuſtate loquebatur, ut procul dubio diceres, illum fuiſſe natum ad imperandum.* vid. & Blazius Ortiſius in Itinerar. cap. XL.

3 *Pro conditione iſtius ſeculi.*] Seculo enim iſto, neglectis elegantiorum litterarum ſtudiis, ii, qui Theo-

moribus eorum, quibus cum tunc versabatur, satis esse censebat. Vanissimos quippe ducebat, qui vel totum, vel praecipuum otium in comparanda eloquentia, discendisque linguis, collocarent, de comparanda sapientia prorsus securi, censebatque magis curas ad cognitionem rerum convertendas, quod nimirum ea publice privatimque in agendis sapere, nuda vero eloquentia, solum inania verba fundere contingeret. Plurimum tamen illos commendabat, qui sapientiam cum eloquentia conjunxissent.

His omnibus commendatus, mirum dictu, quantum apud omnes sibi fidei peperit, ut si alius quispiam eadem, aeque vere aeque solide disseruisset, tamen duplo minori id efficacia fecisset. Quibus accedens incredibilis quaedam affabilitas, morumque facilitas, praeterea obvia omnibus humanitas, & benignitas, mirifice ei apud omnes etiam gratiam & amorem adquirebant, ut aegre fieret, qui vel ingredientem videret, vel loquentem audiret, vel ex incidente negotio conveniret, quin protinus in admirationem hominis arcana quadam vi raperetur, felicemque se existimaret, cui aliquo pacto, aut notitiam jungere cum eo, aut amicitiam daretur, atque id etiam tum contingebat, dum infimae sortis esset, nulla prorsus dignitate evectus. Ita omnes quodam quasi fato ad magna destinatum divinabant, neque fieri posse, ut tam rarae virtutes diu in obscuro sine honore jacerent. Et ejus alioquin natura

Theologiae operam dabant, omne tempus in Scoto, Lombardo, aliisque scholasticis ejus farinae doctoribus evolvendis, eorumque doctrina perdiscenda, impendebant: quos saepe Erasmus facetissime perstringit, & in quos vehementer, data occasione, invehit. Ita exempli gratia in Epist. LXXXVI. dicit: *Eos negare hujus disciplinae* (scilicet Theologicae) *mysteria percipi posse ab eo, cui quidquam omnino commercii sit cum Musis aut cum Gratiis, dediscendum esse, si quid bonarum litterarum attigeris, removendum si quid hauseris ex Helicone.* vocans porro eos *Theologastros, quorum crebellis nihil putidius, lingua nihil barbarius, ingenio nihil stupidius, doctrina nihil spinosius, moribus nihil asperius, vita nihil fucatius, oratione nihil virulentius, pectore nihil nigrius.* & ep. CCVII. *Theologiam professi sunt hactenus, qui a melioribus studiis pertinacissime solent abhorrere, quique suam inscitiam hoc felicius tuentur, quod id faciant praetextu pietatis, ut indoctum vulgus ab his persuasum credat religionem violari, si quis illorum barbariem coeperit incessere.* & epist. CCXXXV. *Qui praeter illiteratas litteras, & frigidas aliquot quaestiunculas nihil didicerunt.* vid. & ep. CCCXXIX. & DCCXLVI. & passim. Mores ergo seculi istius secutus, flores eloquentiae cultioris contemnere solitus erat Hadrianus, ut Jovius, & ex eo Struvius tom. III. Act. litter. dicunt. non tamen tanto fastidio, ut alii ejus temporis Theologi. Hinc Erasmus dicit, quod licet Hadrianus numquam admodum faverit bonis litteris, non tamen adeo devotus hostis fuerit, quam quidam, qui se non incolumes fore putabant, nisi oppressis bonis litteris epist. CCCCXX. *Et licet Scholasticis disciplinis faveret, (quod non mirum cum in iis a teneris unguiculis educatus, longo intervallo omnes praecederet) ita tamen favebat, ut apud eum esset prima pietatis ratio, satis etiam aequus & candidus erga bonas litteras & linguas.* ep. MCXCV. Imo fatetur Erasmus, se numquam potuisse sustinere impressionem hostium conjuratorum contra bonas litteras, nisi Hadrianus tum Cardinalis, hoc edidisset oraculum: *Bonas litteras non damno, haereses & schismata damno.* epist. MCLXXVI. Non mirum ergo videri debet, quod Hadrianus noster, qui in evolvendis, & nocturna diurnaque manu versandis Scholasticorum istorum libris, totum se dederat, horridum & fere barbarum stilum sibi comparaverat. Hoc vitio seculi, quo vixit, adscribendum est.

*Episco-*

tura talis dexteritatis erat, ut ad omnium ingenia, magnatum, plebejorum, divitum ac pauperum, componere ſe cum gratia poſſet. Qua in re etiam illud mireris, quod poſtmodum ad alta ſublatus, nihil prorſus de moribus his demutarit, aeque perpetuo comis, humanus, benignus, ſubmiſſus, [1] Epiſcopus, Cardinalis, & Pontifex denique maximus, ut fuerat nullo omnino honore praeditus, atque adeo nudus Hadrianus, quum multis vel minima acceſſio patrimonii mire criſtas erigat. Imo vero ne in miniſtros quidem, dum jam per fortunam eos haberet, alius umquam fuit, atque ſi paris conditionis, non eorum dominus eſſet. Neque metuebat, quod plerique, qui faſtui ſuo obtentum quaerunt, ne familiaritas contemptum pareret. Quin etiam ut indole tota laeta erat, non dedignabatur ſubinde, ſi quando reſpirare vellet, ad effuſiora joca, ridiculasque fabulas, apud eos deſcendere, permiſſa item in ſe libertate cavillandi, ac etiam per occaſionem ſe, ſuaque ſerio reprehendendi, vel ſine juſta cauſſa, magis ſcilicet fidem eorum animumque in ſe, quem noſſet, ſpectans, quam quid inconſideratius forte in ſe nota dignum cenſerent. Neque usquam liberius animum laxabat, neque verius reficiebat, ut fateri ſolebat. Quamquam ea e diverſo miniſtrorum urbanitas erat, ut quid tempore locoque domino deberetur, non eſſent immemores. Si quando tamen ſuorum quempiam pro re nata corriperet, id ſatis ſevere faciebat, ut ſerio loqui, minime ludi facile poſſet intelligi, ipſe interim in ſe aeque tranquillus viſus. Tametſi eum ipſum, ſi aſperitate correptionis moeſtiorem, nimisque dejectum conſpiceret, non raro ſibi prior reconciliabat, quaſi ipſe hominem laeſiſſet, non ab eo potuis laeſus eſſet.

## CAPUT VII.

*Hadrianus impenſis Margarethae, viduae Caroli ducis Burgundiae, Theologiae Doctor creatur, & ab ea Parochiam accipit.*

Sed de dotibus ingenii, corporisque ejus, ſatis jam dictum eſt. Reſtat, ut exequamur, quem ex iis fructum retulerit, & quomodo per has primum emerſerit. Id autem primum fuit per illuſtriſſimam foeminam [2] Margaretam Anglorum Regis filiam, tum ex Carolo Burgundiae

1 *Epiſcopus &c.*] Paſſim eo nomine ab auctoribus laudatur Hadrianus noſter, quod, licet ad ſupremum honoris faſtigium evectus, ſemper tamen eadem animi moderatione ſibi conſtiterit. vid. Miraeus Auctar. de ſcriptor. Eccleſ. §. DXXXVI. & elog. Belgic. in Hadriano VI. & Aurelius in praefat. Apocalyps.

2 *Margareta.*] Vid. & Val. Andr. in Biblioth. Belgic.

diae Duce defuncto marito viduam. Ea insignis virago, persuasum habens praeclara ingenia plurimum reipublicae prodesse posse, si essent qui foverent, proferrentque, inter reliquas multiplices laudes, quod lubenter inopiam pauperum recrearet, quod monasteria jacentis disciplinae passim erigeret, etiam eam habuit, quod miro studio viros eruditos, modo simul pios, aliqua eis digna fortuna exornaret. Itaque inter reliquos pietate simul & doctrina sibi commendatos, etiam Hadrianum provehere studuit, & primum suis impensis 1 honore Theologicae laureae honestandum curavit, cum Collegio Theologorum jam omnium reliquorum vetustissimo, annis plurimis praeses fuisset. 2 Mox non ambienti, curam Ecclesiae oppiduli cujusdam apud Zelandos, cui nomen 3 Goederzee, adjecit sub stipe annua minime poenitenda. Quam adeptus ille, non quod multi solent, fecit ut curam haberet sine cura, lac consumeret, lanisque se contegeret, ut Propheta habet, & oves susceptas non respiceret, sed frequenter quotannis suos invisens, quae officiosi pastores concreditis ovibus impendere solent, sedulo impendebat, sacris confessionibus eorum auditis, sacrosancta synaxi ministrata, 4 verbo divino praedicato, si quid usquam corrigendum esset, in melius correcto. Interea vero dum abesset, vicarium ibi habuit, 5 virum spectatae tum probitatis, tum doctrinae, fere Theologiae Baccalaureum,

Belgic. & Fast. Acad. Lovaniens. p. XCV. Haec Margareta Eboracensis erat soror Eduardi IV. Anglorum Regis, quam Carolus ann. MCCCCLXVIII. uxorem duxerat. vid. Pont. Heuter. lib. V. rer. Burgundic. quam foeminam omnibus virtutibus, quae in mulierem cadere possunt, ornatam pronuntiat Suffridus Petri in Append. ad Bekam in Carolo Burgundo.

1 *Honore Theologicae laureae.*] Donatus pileo, laureaque Doctorali anno MCCCCXCI. die XXI. Junii. Valer. Andr. Biblioth. Belgic. Secutus mores istius seculi, quo nemo doctus habebatur, nisi Doctoris titulum adeptus esset, quam vanitatem deridet Erasmus epist. XCII. & summa cum laude Theologiam Lovanii docuit, ut testatur Launoius epist. IV. pag. CCCI. & bis sceptra Academica tenuit. & Rector magnificus fuit anno MCCCCXCIII. & MDI. Vernulaeus lib. I. Acad. Lovan. cap. VI. & Erasmus quoque ejus auditor fuit. ut ipse testatur epist. CXXXIII. Quae autem requiruntur in eo, qui in Academia Lovaniensi Doctor renuntiari vult. & quibus ritibus Doctoratus insignia conferuntur, videri possunt apud Vernulaeum lib. II. Acad. Lovan. I.

2 *Mox non ambienti.*] Juxta canones, qui ultro ambiebat, vel importunus se ingerebat, proculdubio erat repellendus. vid. Crodogang. Metens. Episc. regul. Canon. cap. LXIX. apud Dachier. tom. I. Spicil. edit. prior. & hoc Hadriano tam inopinatum est visum, quam postea Pontificatus summus per singulos officiorum & sacrorum ordines evadenti inexpectatus fuit, ut dicit Jovius cap. II. Hanc autem Parochiam accepit, cum ageret annum XXXII. aetatis, & ita legitima aetate; requirebatur enim annus XXV. aetatis in eo, cui Parochialis Ecclesia conferenda erat. juxta can. licet de Election. & Elect. potest in 6.

3 *Goederzee.*] Indicatur Goerée. Hanc Parochiam a Caesare Maximiliano, ut Hollandiae Comite, in eum collatam legimus in Antiquitatibus Australis Hollandiae nuper editis pag. CCCL. in VIII.

4 *Verbo divino.*] Pertinebat enim ad officium sacerdotis Parochialis per se, vel per alios, exponere populo diebus dominicis & festivis praecipua capita religionis Christianae, *simpliciter ac distincte, ne velamen ignorantiae deinceps praetendere quisquam posset.* juxta can. VI. concil. Albiens. Apud. Dachier. tom. II. Spicil. pag. DCXXXIII.

5 *Virum spectatae.*] Optime fecit Hadrianus, quod talem virum Vicarium constituerit, cum ea quae requiruntur in Parocho, in Vicario quoque requirantur. Clementina unica de officio Vicarii

reum, cui [1] uberem laborum mercedem deſignabat, quaeque ad honeſtam mundamque vitae tutelam, non tam ſufficeret, quam ſupereſſet, ne homini anſam daret, aut inſuetis oneribus ſubditos aggravandi, aut ſacramenta, ferme dixeram pretio divendendi, ſicuti hodie, pro dolor! multis in locis eſt conſpicere cum gravi laicorum offendiculo, juſtiſſimaque eorum, qui audiunt, indignatione. [2] Quamquam quod abeſſet non ob id fuit, quia alibi ſuavius ageret, ſed quoniam praeſentia ejus tum propemodum Lovanii neceſſaria erat, ac pro raris adtributis ipſi ingenii bonis, illic magis commodaturus Eccleſiae univerſali videbatur, publice litteras ſacras, reliquamque Theologiam profitendo, rudiores, qui & ipſi aliquando animorum curam habituri eſſent, ad officium informando, Academiam, quae hujusmodi viris tanquam columnis nititur, cordatis conſiliis adjuvando, ob quas & ſimiles, ſi ob ullas cauſſas, parocho alibi ſedem habere licere eruditos non negaturos reor.

## CAPUT VIII.

*Decanus Lovanii creatur. Hadriani vivendi ratio, ſobrietas & caſtitas. Canonicos fruſtra ad caſtitatem adducere tentat. Veneno ideo pene interemptus. Summa ejus apud probos auctoritas.*

Non multo poſt Lovanii [3] Decanus fit Collegii inſignis Canonicorum ad [1] Divi Petri, qui honor eſt ut eo loco non exiguus, cum aliis

carii. de officio Vicarii videri poteſt tot. titul. in 6.

1 *Uberem.*] Cum qui altari ſervit, de altari vivere debeat. can. extirpandae X. de praebend. & dignitat.

2 *Quamquam quod abeſſet.*] Proprie enim & juxta canones Parochus, ut gregis ſibi crediti diligentius curam gerere poſſet, in Parochiali Eccleſia perſonaliter reſidere, (uti Canoniſtae loquuntur) tenetur. can. licet. de Election. & Electi poteſtate in 6. Ita tamen, ut Ordinarius (id eſt, Epiſcopus loci vid. Exrravag. de praebend. & dignit.) diſpenſare poſſit, ſi cauſſa ſontica adſit. d. can. & can. Ordinarii de Officio Ordinarii in 6.

3 *Decanus.*] Decani dicuntur, qui Canonicorum collegiis praeſunt, in quibusdam locis dicti *Praepoſiti*, *Priores*. vid. Jan. a Coſta ad lib. I. tit. III. Decretal. cap. VIII. Hadrianus autem noſter paulo poſtquam Theologiae Doctor renuntiatus eſſet, eoque titulo S. S. Theologiae Profeſſor, deinde notante Valerio Andrea, *ob incomparabilem ſacrarum diſciplinarum ſcientiam, ac prope divinam caſtiſſimi animi moderationem, communibus Canonicorum ſuffragiis pronuntiatus eſt Decanus, & eo nomine Academiae Pro-cancellarius.* Progreſſibus ejus in doctrina & virtute, quod hunc honorem adeptus ſit, adſcribit quoque Miraeus Elog. Belgic. in Hadr. VI. & Auctar. de ſcript. Eccl. §. DXXXVI. & Sweertius Athen. Belgic. pag. XCV. Occaſionem autem, qua hanc dignitatem conſecutus eſt, tradit Valer. Andr. Faſt. Acad. Lovan. pag. XCV. ſcilicet, quod *Johannes de Thimo* Decanus, ſenio gravis, hanc dignitatem ceſſerit Hadriano. Caeterum Decanus Lovanienſis vocatur quoque noſter Hadrianus in Actis Magiſtratuum Trajectinorum anno MDXI. ubi ejus interceſſione vinculis liberaverunt *Wilhelmum Turck*, qui filius Gerardi Turck, Capitanei caſtri de Buren, & Margarethae filiae Comitis Egmondani, rapta & poſtea ducta *Johanna*, ſive *Joſina de Nyenrode*, (ut ex ſtemmate Turckiorum, quod confecit vir celeb,

aliis plerisque nominibus, tum vero quod auctoritatem dicendi juris annexam habet, quod munus suo tempore non erudite minus quam integre tractavit. Ad haec, quod cum alia quadam praeclara dignitate [2] conjunctus est, quem [3] *Cancellariatum* vulgo appellant, quem gerenti jus est eruditos post confecta studiorum praescripta spatia, suae quemque facultatis donare insignibus, praesertim Doctoratus & Licentiae, ut adpellant. Eo gradu auctus, non ignarus ad persuadendum plus facta valere quam verba, quod a clero suo exacturus erat, ipse prior praestare coepit. Si quando antea, tum vero sobrius, in victuque frugi fuit, neque luxui, neque voluptati sese dedit. Mensam habuit elegantem magis quam splendidam. Si quando convivas acciperet, neminem ad potum urgebat, neminem ad idem poculum invitabat, neque in eam legem praebibi sibi a quoquam sustinebat, ne a magnatibus quidem, aut amicis singularibus, quibus hoc negare parum civile videri potuit; qui tamen mos apud [4] Germanos solennis est, sed longe dissimilis ab eo, unde primum profluxisse creditur. Putatur enim primum profluxisse a Graecis, qui in amicitiae signum sibi mutuo quidem praebibebant, sed poculo primis modo labris admoto, deinde alteri, cui vellent, oblato. Nunc vero vulgo res in rabiem abiit, cum nihil neque corpori, neque animo magis pestilens sit. Malebat igitur Hadrianus hac in parte nonnullis superstitiosior esse, quam cuiquam mali speciem praebere, aut facti sui praejudicio furorem detestabilem approbare videri. Neque temere ultra horam accumbebat, etiamsi convivas magnos haberet, atque interim fere adhibito lectore, qui aliquid e litteris sacris recitaret, ut non minus mente, quam ventre convivae delectarentur; sed id tantum ad tempus, ne lectio longior cuiquam fortassis molestiae esset, & tamen

celeb. Arn. Drakenborchius, patet) Nyenrodii Dominus, *Florentium Egmondanum* Iselsteiniae Dominum in bello isto, quod ille cum Trajectinis gerebat, adjuvans, expugnata a Trajectinis arce Nyenrodia, captus & in carcerem detrusus erat. Acta sic se habent: *Des Saterdags na St. Jansdach decollationis. Belieft by den Raide, dat men myn Heer van Gaesbeeck ende Meyster Aryaen, Deken van Loeven, te lieve, by den anderen Staten als nu sel moegen gunnen Willem Torck of te moegen komen, ende in een huys gesekert te worden, ter tyt alle gevangenen na vermoegen des tractaets d' een tegen den anderen vry gelaten werd, behoudelycke oick dat hy den Staten sulke oirvede doen sel in zegele ende brief, dair die Stat ende Staten mede verwairt moegen zyn.*

1 *Divi Petri.*] Templum hoc Divi Petri multis sacerdotiis dotatum erat a Lamberto Comite, quae sacerdotia distribuebantur in ejus Academiae Theologiae Magistros. vid. Gomecius lib. IV. de reb. gest. Franc. Ximen.

2 *Conjunctus est.*] Juxta decretum Martini quinti Pontificis in eodem diplomate, quo Academiam Lovaniensem confirmavit. Vernulaeus lib. I. Acad. Lovan. cap. VII.

3 *Cancellariatus.*] Hic honos secundus est in Academia Lovaniensi, & Cancellarius in omnibus publicis conventibus proximum a Rectore Magnifico locum habet. De iis autem quae ad ejus munus pertinent, videri possunt Jovius Elog. Hadr. VI. cap. II. Vernulaeus lib. I. Acad Lovan. cap. VII. & du Fresne in Glossario.

4 *Germanos.*] Duos libros Critices Christianae *de ritu bibendi super sanitate Principum aliorum* scripsit *Joan. Fridericus Matenesius* SS. Theol. Licentiatus, & in Academia Coloniensi Historiarum ac Graecae linguae Professor. ubi maxime invehitur in Germanorum bibacitatem, & digni sunt certe qui legantur.

tamen foras vocatus, ſubinde aliquanto diutius accumbebat in gratiam ejus, qui vocaverat. Quod inſtitutum ſemper deinde ſecutus eſt in aula, in Hiſpaniis, & Romae denique, quantum licuit. Perrexit quoque ſui ſimilis eſſe pudicitia, nullus umquam vel geſtum petulantiorem in eo notavit, vel verbum laſcivius a loquente audiuit. Sed nec obſcoeni aliquid quisquam coram eo proloqui auſus fuit, cum alioquin honeſta joca libenter & ipſe diceret, & ab aliis audiret. Neque ab ipſo modo vitio alienum ſe praebuit, ſed ab omni etiam vitii ejus ſpecie, probe ſciens, facta quidem eorum, qui in turba latent, tenebras habere, qui vero aliquo faſtigio eminent, velut in luce poſita, omnium oculis expoſita eſſe, ideoque non a crimine modo, verum etiam a criminis ſuſpicione remota eſſe debere, ut nemo bonus dubitet, [1] ita purum ab ea labe e vita exceſſiſſe, ut in eam venerit. Quibus moribus cum eſſet, nihil antiquius habuit, quam ut ſuos quoque ad eosdem adduceret. Hortabatur enim eos ſedulo ad vitae frugalitatem, quoties in conventu ſolenni ad eos verba faceret. Arguebat graviter, ſi quos malae frugis, bibaces, aleones ſciret, & praeſertim, qui [2] amicas domi prope uxorum loco haberent, quos dirimere

1 *Ita purum.*] Caſtitatem ejus ſingularem omnes fere uno ore praedicarunt, & nemo eam in dubio vocavit, niſi inſignis ille famae optimi Hadriani detrectator *Battus Parmenſis*, qui eum cum jam papale ſolium adſcendiſſet, in Vaticano clam mulierem forma egregia praeſtantem habuiſſe, & ejus amplexu uſum fuiſſe calumniari non erubuit. Verum cum tota ejus epiſtola atrocibus calumniis & mendaciis, quibus famam Hadriani noſtri conſpurcare conatus eſt, referta ſit, parum auctoritatem ejus moramur. Non enim Hadrianum noſtrum hoc vitio tantum contaminatum notat, verum & ut avaritia inſignem, maſculae Veneri deditum, magica arte, & aliis dedecoribus contaminatum, & ut Papam ſceleſtiſſimum depingit. Neque mirum hoc videri debet, ut adnotat Parens meus optimus Petrus Burmannus in praefat. tom. I. Theſ. Ital. pag. XI. cum eadem eſſet omnium fere ejus ſeculi Italorum indignatio, qui indigne ferebant ſummae rei praefectum fato quodam *Barbarum*, ut eum paſſim vocant, ubi porro optime Pater venerandus Hadriani famam a calumniis Jovii, aliorumque vindicat. Et memorabile, quod omnes uno ore antequam Hadrianus Papatum adeptus eſſet, pietatem & caſtitatem ejus praedicarunt; verum cum Papalem cathedram adſcendiſſet, Itali propter rationes ſtatim adductas talem Pontificem in ſublimi illo ſolio collocatum indignantes, ut eum poſteritati inviſum redderent, caſtitatem ejus, aliasque virtutes in dubium vocarunt. Imo Poetae quidam, quos a Leone in ſummo honore habitos, oderat, ut poſtea videbimus, famam ejus conſpurcare conati ſunt, & nefandae libidinis, quae ut recte Impp. Conſtantinus & Conſtans in L. XXXI. C. ad L. Jul. de adult. *proficit neſcire*, reum eum omnibus perſuadere voluerunt. Quo pertinet carmen illud a celebri Italo Poëta Berni compoſitum, quod mecum ex inſtructiſſima ſua Bibliotheca communicavit vir humaniſſimus & eruditiſſimus Petrus Vlaming, Amſtelodamenſis, Poëtices laude florentiſſimus. Quod carmen, nos infra cum epiſtola Batti Parmenſis exhibebimus.

2 *Amicas domi.*] Jam enim Soter Papa conſtituerat, ne aliqua foemina, de qua ſuſpicio haberi poſſet, apud aliquem Clericum in hoſpitio maneat, ſub poena excommunicationis. vid. Compil. Chronologic. ad ann. CLXIX. Ne Diabolo inſidianti, & ſaevire cupienti detur occaſio, uti dicit Cyprianus lib. I. ep. XI. Hinc Clericis non licebat ſubintroductam vel extraneam mulierem, ne quidem pro occaſione neceſſitatis, faciendae veſtis, vel ordinandae domus cauſſa, habere, juxta can. X. & XI. conc. Turonici ſecundi. vid. Cyprian. libell. de ſingularitate Clericorum. niſi, quae fugeret ſuſpiciones, ut matrem, ſororem, aviam, filiam, neptem; in his enim *nihil ſcaevi criminis aeſtimari foedus naturale permittit*, ut dicitur ab Honorio in L. XLIV. C. Theod. de Epiſcop. Eccleſ. & Cleric. de quibus *nefas eſt aliquid, quam natura conſtituit, ſuſpicari*, uti traditur in lib. IX. canon.

mere viribus omnibus contendebat. Sed in re longe honeſtiſſima tantum difficultatis habuit, obnitentibus quibusdam e ſenioribus ac potentioribus, & praeſertim non ſuppetente auxilio, ſine quo hujusmodi non temere confici queunt, ut negotium magna ex parte infectum relinquere debuerit. Quin imo parum abfuit, quin per eam ipſam cauſſam veneno perierit. Id concubina unius e Canonicis, a quo ad prandium vocatus erat, holuſculo ejus, quod primum omnium menſae inferri ſolenne eſt, indidiſſe putabatur. Nam ſimul atque holus illud ſumpſiſſet, totus cohorrere ac immutari coepit, mox etiam graviſſima febri adflictari, cujus impetu adeo proſtratus fuit, ut quamvis ſtrenua opera Medicorum aliquanto poſt ab ea fuerit allevatus, tamen priſtinum robur plene non collegerit, niſi poſt aliquammultos annos.

Medicus erat M. Petrus, cognomento *Spirinx*, vir artis ſuae confesſione omnium, peritiſſimus. Is ſe plane curaſſe eum (ut verbis ejus utar, quantum accepi) ex capitulo de Arſenico ajebat, profeſſus haud obſcure, fuiſſe toxicum, quod hauſiſſet. Quapropter dum ſpem nullam fructus conſpiceret, nihilque aliud ſibi quam odium, & malevolentiam quaeri intelligeret, in totum conatu ſuperſedit, ſatis habens ſignificaſſe ſibi diſplicere, poſtquam aliud praeterea non poſſet, praedicans tamen culpam

canon. Hibernens apud Martene tom. IV. anecdotor. p. III. vid. Novell. CXXIII. CXXIX. & CXXXVII. Idque variis conciliorum decretis ſancitum, quod commune & frequens illud vitium Clericis fuiſſe, arguit. Sic can. III. conc. Nicaeni. can. III. conc. Arelatenſ. II. can. XIII. conc. Carthag. III. can. XXVII. conc. Illeberit. can. X. conc. Agathenſ. can. III. conc. Turonici I. can. XXXI. conc. Aurelian. I. can. III. conc. Toletani II. can. IV. conc. Aurelian. III. can. III. conc. Aurelian. VI. can. III. conc. Hiſpalenſ. I. can. I. conc. Matiſconens. I. can. XLI. conc. Toletani IV. can. XV. conc. Bracarenſ. I. can. III. conc. Cabilonenſis. can. II. conc. Romani primi ſub Zacharia Papa. can. VIII. conc. Sueſſionens. can. XLIX. conc. Moguntiaci. can. IV. conc. Andegavens. can. III. conc. Nannetens. can. X. conc. Turonici II. can. XVI. conc. Arvernenſis I. can. III. conc. Arvernenſ. II. can. I. conc. Lugdun. III. can. XX. conc. Rhemenſ. II. can. IV. Synodi Auguſtanae. can. IX. conc. Pictavienſ. can. X conc. Claromontani. can. I. conc. Londonienſis habiti anno MCVIII. & can. X. conc. London. celebrati anno MCC. can. IV. conc. Pariſienſ. can. XII. conc. Budenſis. can. VII. conc. Bituricens. & capit. Ahythonis Epiſcopi Baſileenſis cap. IX. cujus & epiſtolam exhibet Dachier. tom. VI. Spicileg. pag. CXXVIII. videndus hic omnino Gothofredus ad L. XLIV. C. Theod. de Epiſc. Eccleſ. & Cleric. Itaque neque extraneam neque ſubintroductam mulierem ſecum habere permiſſum erat. *Extranea* vero dicebatur, quae nullo ſanguinis jure, vel matrimonii vinculo tenebatur. *Subintroducta*, quia clam & contra canones eam domum ducebant Clerici, vel ſubintroducebant. vid. Mendoza de confirmand. concil. Illiberitan. lib. II. cap. LIII. & Hildebrand. de Hierach. veter. Eccleſ. §. CXXXVIII. & ſeqq. & de Haereſibus pag. LI. & de Nuptiis veter. Chriſtian. pag. XVII. Imo poſtea cum ipſis ſororibus & propinquis, ne licentia ſororum vel propinquarum mulierum quisque ſolus familiarior habeatur ad perpetrandum ſcelus, habitare vetitum. can. IV. conc. Bracarens. III. & can. X. conc. Moguntiaci II. vide & conſtitutiones Riculfi Sueſſionum Epiſcopi XIV. Et mulieres illae, quae contra Eccleſiae leges Clericis cohabitabant, in Hiſpania ab Epiſcopis olim venundabantur in ſervas; pretium vero pauperibus erogabatur, uti ex diverſis conciliorum in Hiſpania celebratorum canonibus oſtendit Garſias Loaiſas ad can. X. conc. Toletan. IX. Merito igitur Hadrianus noſter hoc incontinentiae vitium, tot Conciliorum decretis prohibitum, a Clericis ſibi ſubjectis, arcere voluit.

pam eam non tam Decanis collegiorum, qui jam obstinatos & in sordibus illis inveteratos exciperent, quam Episcopis, eorumque Vicariis praestandam, qui quoscumque sine delectu, quantumvis probrosos & infames, ad ordines & beneficia admitterent, nulla aut exigua [1] in retroactam vitam inquisitione facta. Sed tanti quidem apud improbos auctoritas ejus erat; apud probos vero & cordatos longe secus habebat. Perraro aliquid in publicis Academiae conciliis referebatur, in quo sententia ejus non longe plus quam caeterorum probata fuerit, plures quoque suffragatores habuerit. Consulebant eum Theologi, consulebant Jurisperiti. Si cui Parocho, si cui Sacrifico, si cui Monacho, dubii quid incidisset, eum adibat, & religio erat de responsis ejus vel ambigere. Ad haec si quae controversia, si quae simultas inter partes, quas nemo conciliare posset, componenda esset, haud alius ad id felicior habebatur. Ubi non praetermittendum quod dictitare solet, magnum indicium esse ex aequo finitae controversiae, cum pars utraque de definitione quereretur. Jam vero si qui ab inferioribus judicibus, sive odio, sive gratia, sive imperitia, sive alia ratione minus juste secum actum autumarent, protinus caussas provocatas ei recognoscendas dari curabant. Itaque sententias parum attentas, etiam magnorum virorum, rescissas non raro ad aequitatem correxit, non sine eorum offensa; sed veritas ei potior, quam gratia erat. Neque demum facile vel ego narravero, vel alii crediderint, qui non viderunt, quantum id temporis publice privatimque profuerit docendo, scribendo, consulendo, & modis aliis multis, quantaque auctoritate floruerit, confluentibus ad eum, velut, ad oraculum, undecunque hominibus ex Hollandia, Flandria, Hannonia, Zelandia, aliisque regionibus finitimis. Per idem tempus subinde sacras ad plebem conciones habuit neque sine gratia, auditorio quoque multo crebriore, quam eorum, qui id muneris ex professo tractabant. Sed hic non aeque, ut in caeteris eminebat, quia deerat exercitatio, quae cum in aliis omnibus, tum in ea re plurimum momenti habere cognoscitur.

## CAPUT IX.

### *Hadrianus Collegium Lovanii instituit.*

Circa eadem etiam tempora aedificare splendidas illas aedes coepit, quas hodie visere est Lovanii, licet tantis sumptibus adhuc satis impar esset, cavillantibus ob id per risum nonnullis, quibus facultates ejus

1 *In retroactam.*] Juxta enim antiquas Ecclesiae leges & Canones nemo in clerum cooptandus erat, nisi antea diligenti examine instituto, in ejus vitam & mores inquisitio facta esset. vid. can. XXII.

ejus probe notae erant, fieri aliter non posse, ut quae inchoasset, absolveret, nisi paucula, quae haberet, divinitus velut miraculo augerentur, multis itidem id in ambitionem, studiumque gloriae vertentibus. At ille, sive spe vires majores complexus, sive fisus non defuturos, qui honestissimo conatui, etiam ipsi progressum fortuna denegante, tempore manus adjicerent, praesertim ubi constaret, quid spectaret, neglectis quae ab aemulis malignius jactarentur, alacriter in incepto perrexit, & tandem feliciter ad exitum perduxit. Ita res erat, animus ei magnus inerat, sed citra insolentiam. Neque eas aedes tam suis usibus moliebatur, [1] quam instituendo Collegio, ubi sacrarum litterarum studiosi liberalibus artibus jam probe instructi, quibus per angustiam rerum proferre litterarum studia non liceret, securi de victu, Theologiae vacarent. Quam institutionem usque adeo cordi habuit, quoniam sciret quantum inde frugis ad Ecclesiam Catholicam manare posset, ut quaecumque conquirere, sibique detracta reponere posset, illuc destinare videretur. Neque jam extreme aegrotanti cura rerum harum praesentium ulla propior fuit, quod vel ex eo liquet, quod in eum usum propemodum legavit quidquid in regionibus his inferioribus habuit, aut in pecunia praesenti, aut in nominibus. Atque hoc est Collegium, quod hodie sub doctissimo simul & integerrimo praeside [2] D. *Tilmanno Clerico a Geldrop*, Theologiae Licentiato, & amplissimae spei Theologis, florere videmus. Faxit Deus, floreat ita perpetuo. Fama fert [3] *Bernardinum Carvajalem* Hispanum Cardinalem sanctae Crucis,

xxii. conc. Carthag. apud Gratian. can. nullus ordinetur dist. xxiv. quod examen Episcopus subire debebat. vid. Novell. cxxxvii. cap. i. Morum enim & vitae anteactae maxime habenda erat ratio. can. si quis viduam dist. l. can. qui in aliquo dist. li. can. prius dist. lv. & can. cum in cunctis x. de Electione.

1 *Quam instituendo collegio.*] Jam enim aedes has antea ex bonis ante Pontificatum adeptis quidem dotaverat, verum non nisi ultimo vitae tempore in collegium *Pontificium* inde dictum, convertit. vid. Miraeus Elog. Belgic. in Hadriano sexto. Sweert. Athen. Belgic. pag. xcv. & Val. Andr. Fast. Acad. Lovan. pag. ccciii. ubi videri potest Hadriani ultima voluntas coram Theodoro Hezio, qui ipsi a secretis erat, condita. Summo enim amore & honore, cum jam supremam dignitatem consecutus esset, semper Academiam Lovaniensem prosecutus fuit, unde omnem doctrinam & eruditionem hauserat, quod quoque probant ejus diplomata, quibus & jura singularia illis concessit, & ab aliis concessa confirmavit, quae recenset Vernulaeus lib. iii. Acad. Lovan. i. Licet autem plura talia collegia Lovanii exstructa legantur, eminere tamen inter illa dicitur hoc collegium Pontificium, quod *augustum* vocat Miraeus Auctar. de script. Eccles. §. dxxxvi. *Amplum* Sweertius Athen. Belgic. pag. xxxv. & *egregium* Id. pag. lxxx. Leges autem, juxta quas alumni vitam instituere debebant, recenset Vernulaeus iii. Acad. Lovan. vii.

2 *Tilmanno.*] Hunc *Timannum Geldropianum* vocat Miraeus elog. Belgic. class. iv. pag. xlvi. in cujus funere orationem habuit Adamus Sasboldus. vid. Val. Andr. Bibl. Belgic. in Adamo Sasboldo.

3 *Bernardinum Carvajalem.*] Fuit hic Placentinus Hispanus, artium & Theologiae Magister. Romam veniens Sixto quarto a cubiculis fuit, postea ab Innocentio octavo Carthugeniensis Episcopus, & ab Alexandro vi. Cardinalis creatus fuit, & varias legationes obiit. Defecit autem a Julio Papa cum Frederico Sanseverinate, Francisco

Crucis, ac Patriarcham Hierofolymitanum, cum legatus a latere ab Julio fecundo Pontifice maximo ad Germanos miffus, in operofiffimis iis aedibus Hadriani aliquando diverfaretur, non fatis demirari potuiffet, quin imo vehementer fui pertaefum, quod homo infimae prae fe fortunae, opus adeo magnificum adgredi aufus effet, & conatum adeo pium ad effectum perducere potuerit, ipfe Cardinalis, vir tanti faftigii, neceffitatibus aliis interclufus, inchoare [1] ne quidem poffet, cum jam olim id meditatus effet.

## CAPUT X.

*Hadrianus a Julio Papa Romam evocatus, eo tendere nequit, quia a Maximiliano praeficitur ftudiis Caroli Caefaris. Aliud collegium inftituere meditabatur, quod tamen variis de cauffis abfolvere nequivit. Pauperum amator.*

Ferebatur autem hic Bernardinus peritus litterarum facrarum, eoque cum ex confuetudine aliquanti temporis etiam Hadrianum iis ipfis litteris, reliquaque Theologia unice excellere comperiret, perfpectis fimul tum animi, tum corporis ejus clariffimis ornamentis, mirifice hominem

cifco Borgia, Guielmo Brifoneta, & Renato Bria Cardinalibus, qui Pifis celeberrimum illud concilium convocarunt, ubi generalis conventus Chriftianorum, Maximiliani Imperatoris, Ludovici XII. Regis Galliae, & Cardinalium nomine indictus. & Julius Papa ad cauffam dicendam vocatus fuit, vid. Ferron. lib. IV. Rer. Gall. Guicciard. lib. IX. & X. Hift. Ital. & Sleidan. lib. II. comm. ad ann. MDXX. Cujus concilii Ptaefes fuit Bernardinus, uti tradit Coccinius de Bellis Italicis pag. m. CLXXI. edit. Bafil. MDXLIV. Et quidam addunt Julium in hoc Concilio a Pontificia dignitate amotum, & Bernardinum hunc Papam creatum fuiffe: certe Bernardinum fpe obtinendi Papalem fedem hanc viam ingreffum fuiffe, tradit Guicciard. lib. X. hift. Ital. vid. & Jovius lib. II. de vita Leonis decimi, ubi dicit eum fuiffe *inter Cardinales genere, litteris, & multis legationum honoribus clarum, caeterum natura admodum ventofum, & perditum ambitione.* Cauffam horum Cardinalium contra Julium Papam, edito libello, *Philippus Decius*, qui celebris eo tempore Papiae Jurifconfultus erat, defendit. vid. Jovius elog. viror. doctor. pag CVII. Julius autem ideo hunc Bernardinum cum fibi adjunctis & amicis Cardinalibus, dignitate Cardinalitia orbavit, & concremare, fi capere poffet, decreverat, & datis litteris ad Ferdinandum Catholicum Hifpaniarum Regem, ab eo petiit, ut Carvajalum diris folenniter a Chriftianorum coetu feparatum, facerdotiis quae in Hifpania obtinebat, dejiciat, atque pari ignominia infamem, & a regnis fuis alienum pronuntiet: qui, ut placeret Papae, eum Pontificatu Seguntino privavit. Gomecius lib. V. de reb. geft. Franc. Ximenii. Leo autem decimus poftea hunc Bernardinum Romam venire juffit, a quo cum gratiam peteret, & pallinodiam cantaffet, in gratiam receptus & reftitutus fuit Caroli Regis favore, & in locum Seguntinae Ecclefiae, Placentinae Epifcopatus ipfi datus. Gomecius lib. VI. & Jovius lib. III. vita Leonis X. Obiit autem Romae, ibique fepultus eft anno MDXXII. vid. Ciaccon. in Innocentio VIII. Alexandr. VI. Julio II. & Leone X. ibique addit. Andr. Victorell. & Guicciard. lib. XI. Hift. Ital. & Jacob a S. Carolo in Biblioth. Pontific. lib. II. pag. CCLXXX. ubi fcripta ejus recenfet. & Alcijon. de exilio lib. I. pag. LX. Epitaphium ipfi Romae pofitum legitur apud Chaftaign. Nomencl. S. R. E. Cardinal. pag. CV.

1 *Ne quidem poffet* ] Totum fere hoc caput defcripfit Valer. Andr. faft. Lovan. pag. CCCII.

*Caefare*

minem complecti coepit, & a peracta legatione in urbem regressus, adeo adhuc in memoria habuit, ut per summum verborum honorem studiosissime Julio commendarit, ut ob id Pontifex conditionibus amplis eum Romam ad usus suos peculiares invitarit, quas utique lubens amplexus fuisset, quantum in se erat. Nam si Lovanio discedendum fuisset, ubi jucundissime inter sibi notos eruditos versabatur, nusquam lubentius procul dubio quam Romae inter ecclesiasticos agere libuisset. Sed occupatus erat a [1] Caesare Maximiliano, qui eum Carolo nepoti jam Caesari, tum patre Philippo Castellae rege recens orbato, [2] praeceptorem destinarat, quem graviter offensum iri metuebat, si conditionem, quam Princeps tantus obtulisset, contumaciter recusasset, & ob id etiam iniquiorem fore Academiae Lovaniensi, a qua commendatus erat, id quod maxime doluisset. Meditabatur & aliud collegium, priore hoc absoluto, in quod jam nunc multa operi necessaria compararat, in primis aream amoenam non minus quam amplam, una cum hortis amoenissimis, multum ad haec materiae ad trabes ac tigna, & reliqua, quae diu postea in ea ipsa area fuit visere. At vero consilium illud per multiplicia negotia alio avocantia, quae tum magis indies increbescebant, tum per abitum ejus in Hispanias, ubi mille etiam curis aliis distringebatur, & maxime per inopinatum obitum ejus in Pontificatu, turbatum fuit, qui nisi ita subito incidisset, etiam illud haud dubie absolvisset, ac ita censibus annuis, aliisque necessariis instruxisset, ut de priore illo jam tum ex parte fecerat, plenius autem facturus progressu temporis. Si quidem erat alioquin natura ad aedificandum propensior, & in ordinando quid quoque loco rectius, quid secus in aedibus poneretur, & ad reliqua ejus artis excogitanda mire solers, eamque vanitatem (nam sic adfectum eum adpellabat) [3] sibi innatam ajebat, ut aegre

1 *Caesare Maximiliano.*] Amitam Margaretham e Belgicorum Consiliariorum sententia Carolo nondum septenni Hadrianum praeceptorem dedisse, dicit P. Heuterus Rer. Belgic. lib. VIII. in princ.

2 *Praeceptorem.*] Ex universa patria Caesarem avum duos elegisse, quibus primam nepotis aetatem Principe dignis moribus & litteris instituendam traderet, scilicet Guielmum Ceverium & Hadrianum nostrum, dicit Barland. Chron. Brabant. cap. CLXXIII. Quos ambos vocat *viros sapientes & incorruptos, & qui in recte instituendo adolescente frequenter fidelem ac strenuam operam navaverunt, nec privatum emolumentum, sed patriae utilitatem spectarunt.* Quod recte dicere potuit de nostro Hadriano, verum quam vera sint in Ceverio, postea patebit. Hadrianum vero Caroli praeceptorem fuisse, testatur ipse Carolus in Charta anno MDXI. quam habet Mattheus Tom. VI. Analect. Veteris aevi pag. CCCLXXXIX.

3 *Sibi innatam.*] Hinc in patria urbe Trajecti quoque aedes sibi exstrui curavit, quae adhuc hodie conspiciuntur, vulgo *het Pausbuys* cognominatas, quas diu ante Pontificatum adeptum, cum ne per somnium quidem de summo Pontificatu sibi imponendo cogitaret, aedificari jussit. De quibus in epistola quadam ex Madrito scripta anno MDXVII, XVI. Julii ad M. Joh. die Edel, Canonicum S. Salvatoris & D. Mariae, Hadrianus jam Cardinalis in haec verba scripsit: *Etiamsi summus Pontifex essem, domum aedificare vellem, & in Trajecto aliquando residere.* Quam epistolam nos infra inter ejus epistolas producemus.

aegre posset reprimere, nisi defectu pecuniae. Quamquam quantum ad collegia pertinet, non tam suo adfectui ea in re morem gerere voluit, quam sicut supra adtigi, ut esset adolescentibus bonae spei, ubi liberi expeditique ab omni rerum externarum cura, studiis sacris intenderent, ut suo tempore etiam ipsi e dotibus suis fructum ad Ecclesiam Catholicam referrent. Nam eam ob caussam adolescentes etiam quoscumque bene ingeniatos summo favore fovebat, per omnem occasionem ad cultum studiorum excitando, per proposita praemia, per exempla, per laudes denique saepe palam, in certaminibus scilicet illis scholasticis, quibus praeerat, saepe privatim semotis arbitris, dum agere cum iis liberius liceret. Adde, quod multis, quos tenues sciebat, libros necessarios de suo suppeditabat. Multis quoque pecuniam in victum, & in alia necessaria providebat, ne quo modo plantaria illa novella, e quibus omnia sperari posse in Ecclesia sciebat, defectu cultus ad frugem non emergerent. Sed eum adfectum non studiosis modo adolescentibus, verum etiam egenis aliis exhibebat, quos vere tales sciret, praesertim quibus a nullis succurreretur. Ferunt eum nonnumquam quidquid praesentis pecuniae haberet, incunctanter in eum usum effudisse, nihil plane de se sollicitum, quia fortassis illud *Salomonis* crebro occurrebat, *Qui dat pauperi non indigebit, qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Neque si ipse non habebat unde succurreret, eblandiri precibus a ditioribus pudebat, Qua pietate consecutus est, ut a pluribus non secus atque pater amaretur. Porro ut in egenos & studiosos benignus esset, cavebat tamen quantum poterat, ne quid ea occasione aeris alieni contraheret, etiam si crediderim detracturum non fuisse id oneris, modo miseris aliter consuli non potuisset. Alioquin natura in omnem usque vitam ab laqueo illo abhorrebat, haud ignarus scilicet *Salomonem* eumdem dicere: *Qui mutuum accipit, servum esse foeneratoris.* Et si aliquando urgente necessitate, ut varii incertique casus incidunt, mutuum acciperet, non sustinebat tamen accipere nisi ab amicis, neque iis quibuslibet, sed tantum perspectis, quibus scilicet citra ruborem debitorem esse liceret. Neque quod acceperat, tum demum reddebat dum jam flagitaretur, sed sponte, & ut primum per facultates ac sine incommodo magno potuit, & tum pecunia numerata, quae haberi poterat, electissima.

CAP. XI.

## CAPUT XI.

### *Hadriani cura domestica & vivendi ratio.*

Atque inde fuit, quod Oeconomis suis, numerosiore jam per fortunam facta familia, severe mandare solebat, ne quid ullo pacto in usus aut domesticos aut alios suo nomine compararent, cujus non statim in ipso vestigio etiam pretium solverent, objurgatis graviter, quos hac in parte negligentiores comperisset. Quo item pertinebat, quod domi lata lege caverat, si quis quid casu postulante caussa sua erogasset, illud a se reposceret intra triduum, quantum temporis si praetermisisset, is de suo solveret. Rursus quod quotidie de cujusque diei expensis rationes audiebat, & singulis quibusque mensibus, de omnium ejus mensis dierum expensis, idque etiam postmodum in Pontificatu observabat, multis hoc in calumniam rapientibus, tanquam indicium sordidi animi, & rem tanta fortuna indignam. Verum non hoc sua caussa, quo malevoli trahebant, sed potius ministrorum faciebat, quos videlicet ea ratione arcere voluit, ne quid creditorum inscio sibi conflarent, simul ne ex contractatione alieni, quidquam sibi labis allinerent, quemadmodum in amplis dispensationibus usu venire quotidie conspicimus. Argumentum erat quod ei rei non ita sollicite intendebat, ut propterea aut seria, aut illa, quae alioquin acturus esset, omitteret, sed tantum defunctorie plerumque, scilicet jamjam cubaturus, aut etiam jam cubans, ac tum etiam sic, ut si somnus accederet, nollet propterea interpellari. Quid quaeris? satis habebat ministris materiam negligentiae adimere, & ea ratione in officio continere, qua mente & alii nonnulli potentissimi Principes, disciplinam domesticam, vel in minimis severissime rexisse produntur, quamvis alibi effusissimi. Sed quis omnium sycophantiis satisfecerit? Eadem fere sua aetate in consuetudinem duxit, surgere plerumque media nocte, aut certe paulo post, soluturus pensum precum, quas *Horarias* appellamus, quas capite aperto in loco congruo magna cum religione, tum intentione exprimebat, id quod ii probe norunt, qui id temporis de familia ejus fuerunt. Precibus absolutis paulisper recumbebat, mox primo mane denuo surgebat operaturus sacro, quod quidem a suscepto sacerdotio vix ullo die intermisit, ne itinere quidem, aut gravissimis occupationibus distentus, nisi aliquando per adversam valetudinem, aut per solutum pharmaco jejunium. Peracto sacro, amicos, aliosque sui copiam postulantes, admitte-

mittebat, & postea in latiore administratione constitutus, totum se decidendis negotiis commodabat. Neque hunc vitae ordinem umquam intermisit, ne in Pontificatu quidem, in quo tamen servari potuisse minime videbatur, ut hoc nomine proceribus Romanis, Cardinalibus, Episcopis, aliisque, quibus id non ita moris erat, summae admirationi fuerit. Necesse enim est mirifice frugi minimique cibi fuerit, qui salva valetudine, singulis noctibus somnum interrumpere potuerit, id quod in paucissimis, qui res externas tractant, comperias. Sed magis mirum, quod inter tot occupationum fluctus, ad Populos, ad Principes, ad Regna pertinentium, ac inter tam multiplices occasiones, quae haud dubie plerisque aliis mentem omnem varie distraxissent, habilis esse ad quotidianum sacrum potuerit, rem divinam plane & coelestem, quae mentem sibi uni intentam & a permistione rerum omnium aliarum prorsus defecatam postulat. Indicium erat ingenii prompti & expediti, quod ilico sine negotio rem, quae in manibus erat, penitus perspicere potuerit, ubi aliis tenuioris venae ad aliquot usque dies fortassis, aut etiam septimanas, demorandum fuisset. In negotiis autem conficiendis, & quibuscumque aliis, quae incumberent, transgrediendis, minime cessator erat. Neque prolatabat ex die in diem, more pessimo multorum, quin imo quietus esse non potuit, nisi omnibus, quantum fieri posset, absolutis. Quamquam in Pontificatu a multis de tarditate culpabatur, ut suo loco latius explicabimus. Negotiis absolutis, aut sacris precationibus se dedebat, aut salutare aliquid secum legebat, aut utile quippiam in publicum componebat, aut alio denique honesto exercitii genere frugifere tempus transmittebat, non ignorans, iners otium segetem ac materiam omnium vitiorum esse, dicente scriptura, *In desideriis est omnis anima otiosi.* Haec igitur de eo priusquam in aulam Caroli accerseretur, dicta sint, in quibus & si quaedam etiam narrabuntur, tamen id factum est leviter & obiter, propter vicinitatem scilicet eorum cum aliis inibi narratis, ut propterea rerum ordo confundi dicendus non sit, neque idem verbosius bis dici. Postea vero eadem in tempore fusius ac ex professo narrabuntur.

CAP. XII.

## CAPUT XII.

*Hadrianus Praeceptor Carolo datus, egregiis praeceptis eum instruit. Carolus nimis cito disciplinam Hadriani deserit, cujus postea poenituit.*

Reliquum est exponere, quo pacto primum in aulam transierit, quaeque ibi gesserit, eique evenerint. Transiit itaque in aulam accitu Maximiliani Caesaris. Is eum Carolo nepoti, ut dictum est, pueritiae, aut primae potius adolescentiae formatorem dederat, cum id muneris ad aliquot annos *Ludovicus Vacca* Hispanus antea obiisset. Nam quamvis multi praeclaris dotibus & ipsi praediti, [1] id officii ambirent, sollicitatis ob id enixe amicis, quoscunque possent, tamen quia tum Hadrianus [2] longe super caeteros fama & celebritate nominis floreret, & nemo felicius adolescentulum ad mores viro principe dignos, instituturus videretur, is omnibus praelatus est. Huc igitur cum immigrasset, gravissime de abitu ejus ingemiscente schola tota Lovaniensi, quae jam sibi acephala esse, torpida, & plane mortua videbatur, statim exspectationi, quae de se erat, satisfacere studuit. In primis acceptum alumnum, ad omne genus pietatis & virtutis hortatus est. Monuit non fidere in amplissimis opibus, in strepitu comitum, in delatis passim honoribus, in prospero rerum cursu, & id genus aliis, quae omnia levi momento intercidere possent, licet a vulgo

1 *Id officii ambirent.*] *Repudiatis*, inquit Matamorus de Academiis & doctis viris Hispaniae in Academia Valentina, *qui se ambitione protulerant, vel amicorum studio producti, ingenium variis artibus ostentabant.* vid. & Jovius cap, III.

2 *Longe super caeteros.*] Tanta enim jam tum erat nominis & famae ejus celebritas, ut nemo cum Hadriano nostro conferri posset; *Singulari enim morum gravitate conspicuus, Theologus eximius, eruditionis ac probitatis nomine commendatus, ille solus dignus & idoneus existimabatur, qui Carolo informandae pueritiae praeficeretur*, dicit Chytraeus in orat. de Carolo V. vid. & Sleydan. III. comment. Launojus epist. IV. pag. CCCI. Surius comment. rer. in orb. gest. ad ann. MDXXII. pag. CXIX. *Idque factum*, inquit Martinus Dorpius, in epistola praefixa Quodlibeticis quaestionibus, *citra ullam vel levissimam ambitionis notam, decernentibus Maximiliano, ejusque filia Margaretha, ut a quo Principe tam innumerabilis populi salus pendebat, is a tali viro institutus, dignus evaderet majorum imaginibus, tot Imperatoribus, tot Regibus, tot fortissimis Ducibus, & tantarum rerum successione, ut Alexandro magno ditionibus major, non minori Aristotele uteretur praeceptore.* Et egregium ipsi quoque elogium dixit Pontus Heuterus lib. VIII. in princ. rer. Belgic. *Hadrianus Carolo datur praeceptor, Ultrajectinus, vir tenuissimae fortunae, e media plebe natus, sed qui felici litterarum studio ad supremum Academiae Lovaniensis honorem pervenerat, sacerdotiaque aliquot opima ob vitae probitatem meruerat, omni hominum generi ac conditioni admirabilis factus, quod a pueritia ad mortem usque vitam laudabili innocentia transegisset, qua hominum opinione clarior factus, tandem per celeberrimos sacrorum honorum gradus, fato suo innixus, ad summum Pontificatum pervenit. Et quanquam ea non esset in Hadriano litterarum elegantia, quam seculum istud, raris ingeniis omni disciplinarum genere instructissimis fertilissimum, requirebat, ac suspiciebat; in scholasticis tamen concertationibus ad admirationem exercitatus, quum Theologiae cyclopaediam absolvisset, nil ignorare vulgo existimabatur, dignus proinde judicatus, cui tanti Principis institutio committeretur.*

go hominum magni fierent; ſed ante omnia in Deo Opt. Max. quod ille eſſet, cujus beneficio Reges regnarent, & legum conditores juſta decernerent. Ille, qui de gente in gentem regna transferret, & cuncta ſub ditione ſibi poſita haberet. Ab illo igitur ſapientiam poſtularet, per quam impendentes ditiones, ſuo tempore rite gubernaret. Neque exiſtimaret ſi quid flagitioſe feciſſet, id impune habiturum apud Deum, quamvis apud homines fortaſſis haberet. Imo vero tanto acrius juſto judici ſupplicium daturum, quanto pluris in malam partem notari Principum, ac in luce hominum verſantium, quam privatorum & obſcurorum facta, referret. Et eum ad modum in reliquis, adoleſcentulum impenſius longe ad cultum virtutis, ſtudiumque honeſti inſtruxit, quam ad alia, quae propius ad Principes pertinere vulgo putantur. Pudefiam, niſi ſic ab iis accepi, quibus ille tum miniſtris praecipuis utebatur, ne quis induſiſſe nos adfectibus, aut aliquid de noſtro admenſos cavilletur. Neque ſi vel puerilius laſcivire, vel geſtu, aut ſermone ſolutiorem videret, conniventer indulgebat, uti faciunt, qui adulando incrementa ſibi captant apud Principes, ſed libere caſtigabat, magis fidei rationem habens, & quid ille in poſterum probaturus eſſet, quam quid in praeſentia. Id quod Carolus poſtea aetate grandior ingenue fatebatur, aliquoties magnopere ſibi gratulatus, qui tam fidelem in ipſo aetatis tyrocinio ingenii fictorem habuiſſet, ut quod jam tanto ſtudio fidem Catholicam adſerat, tantoque ardore fines verae religionis propagare contendat immenſo ſuo ſumptu & ſudore, & omnia ſumma moderatione & aequitate adminiſtrare cupiat, quodque ab omni falſo dogmate ſemper purus & integer conſtiterit, Princeps vere *pius* & *Catholicus*, ut elogium ejus habet, non abſurde ad iſtam praeceptoris inſtitutionem ſecundum Deum optimum referre liceat. Certe hinc illam ejus laudatam vocem in conventu Germaniae Principum Wormaciae profectam nemo dubitet. Cum enim Principem quemdam, cujus nomen honoris gratia non edo, dira quaedam execrantem, & neſcio quae horrenda impudentius evomentem audiret, converſus ad quemdam Procerum, cum quo una, ni fallor, Hadriano olim operam dederat, *Qua fronte*, inquit, *praeceptor noſter tuliſſet, ſi eum ad modum execrantes nos olim audiviſſet?* Subindicans haud obſcure magni referre, ad quae primis annis fideliter inſtituaris. Et tamen non ſic per omnia excolere indolem ſibi crediti adoleſcentuli Hadrianus potuit, ut cupiebat, obſtantibus [1] quibusdam ex primariis aulicis majoris tum quam ipſe eſſet auctoritatis, qui dictitabant futurum Principem [1] magis ad imperium tractandum parari debere,

1 *Quibusdam ex primariis.*] Praecipue *Cevrio*, ut integra adoleſcentis poſſeſſione frueretur. vid. Jov cap.

bere, quam ad litteras, hoc eſt, magis exerceri debere armis, decurſione equeſtri, arte gladiatoria, & ejus notae aliis, quae in aetate provecta aliquando magis uſui futura viderentur: quaſi vero Plato non dixerit, *ita demum fore felicem Rempublicam ſi aut leges philoſophentur, aut Philoſophi regna capeſſant.* Quo fiebat, ut maturius ſtudiis ſuperſederit, quam ad qualemcumque & tolerabilem eruditionem capeſſendam eſſet neceſſarium, de quo tamen poſtmodum adultus, non raro doluiſſe traditur. Ferunt eum [2] cum aliquando Genuae quempiam orationem latinam habentem audiret, neque quid ſibi vellet ſatis adſequeretur, altius ſuſpirantem dixiſſe: *Succurrit nunc, quod olim praeceptor Hadrianus ſegniori mihi ad ſtudia ſubinde inculcare ſolebat, nimirum fore aliquando, ut puerilis illius incuriae non parum poeniteret, id quod nunc malo meo, licet ſerius, experior.*

## CAPUT. XIII.

### *Hadrianus plura ſacerdotia accepit, & an ipſi licuerit plura beneficia ſimul poſſidere?*

Interea honores & [3] ſacerdotia quaedam magnifica acceſſere, non ſine admiratione, & fortaſſis offenſione aliquorum, qui eum diverſum facere incuſabant, [4] atque aliquando docuiſſet. Docuiſſe quippe, non eſſe fas

cap. III.

1 *Magis ad imperium* &c.] Guielmus enim Croviacus, Cheurae ac Areſchoti Dominus, Caroli nutritius, ut adoleſcentem ſolus poſſideret, eum a litteris avertere, militaribusque artibus exercere, ac peditem equitemque omni armorum genere a pueris inſtruere cupiebat. & ſucceſſivis horis Hiſtorias lingua Francica & Hiſpanica ſcriptas (has enim cum Belgica ac Germanica addiſcebat) legendas puero ptoponebat, tum quod antiqui Hiſtorici majorum pace belloque geſta impolite narrarent, tum quod Latinorum Hiſtoriographorum ſublimitatem, copiam ac artem, nondum adſequeretur Carolus, uti refert Pontus Heuter. lib. VIII. rer. Belgic.

2 *Cum aliquando Genuae.*] Carolus enim Genuam adpellans, cum Legati eum latina oratione adloquerentur, & ille nihil intelligeret, exclamaſſe fertur *Hadrianus mihi quidem dixit.* vid. & Jovius cap. III. vid. & Sweert. Athen. Belgic. pag. CLIII. Camerar. medit. Hiſtor. vol. III. lib. IV. Pontus Heuter. lib. VIII. rer. Belgic. & Bayle in dictionar.

3 *Sacerdotia.*] Praeterquam enim quod eſſet Decanus Lovanienſis, fuit quoque Antverpiae ad D. Virginem Decanus, Ultrajecti ad S. Mariam Canonicus, & Theſaurarius, ibidemque ad S. Salvatorem Praepoſitus, & in Eccleſia majori Canonicus. Val. Andr. Biblioth. Belgic. & Revius Hiſt. Davent. lib. II. p CXXXI. & juxta Brocchium XVI. Octob. MDV. admiſſus eſt in Eccleſia Majori ad praebendam vacantem per mortem M. Jo. ter Molen, ex collatione Capituli & XXII. Decembr. anno MDVIII. ad ſupplementum vacans per mortem Decani Veno, VIII. Julii anno MDXI. ad Capitulum. & ut idem Brocchius, qui in Eccleſia majori MſS. adſervatur, habet, Praepoſitus St. Salvatoris admiſſus eſt XVII. Junii anno MDXIX. ſuccedens Wilhelmo de Montfoort. vid. Bucchel. ad Hedam pag. CCCVII. & qui nuper edidit Hiſtoriam Epiſcopatus Trajectenſis tom. I. pag. CXCIII. in VIII. juxta acta Capituli S. Mariae, Canonicus & Theſaurarius factus eſt anno MDXI, XXIV. Martii, loco Bonifacii, ſive Facii Epiſcopi Ceſenatenſis, Cardinalis Presbyteri St. Sabinae. Canonicatum obtinuit ex collatione Capituli, Theſaurarius vero renuntiatus ab Epiſcopo Frederico Badenſi.

4 *Atque aliquando docuiſſet.*] Doctrinam ſuam, quam

[1] fas cuiquam multa habere beneficia, ſed uno aliquo ad honeſtam mundamque ſuſtentationem vitae ſufficiente, quietum ac contentum eſſe debere. In quo merito ne eum, an immerito culparint, equidem non habeo dicere cum Hiſtorici perſonam hic potius, quam Cenſoris agam. Non ignoro, homo fuit, qui judicio falli potuit, credens ſibi habere licere, quae aliis non ita liceret, tum propter dotes, quas ſibi praeter caeteros adtributas conſpiceret, quasque eo majore auctoritate in publicum ſe expromere, ampliore mque iis viribus auctus, in Eccleſia Catholica utilitatem praeſtare poſſe, ſibi perſuaderet, tum propter functiones, ad quas in aula adſcitus erat, quae neceſſitatem majoris familiae, graviorumque ſumptuum quotidianorum imponerent. Multa praeterea alia in medium produci poſſunt ad ipſius defenſionem non parum facientia. Quamquam ſi vere aeſtimemus, re penitus introſpecta, nondum video ſatis, cur hoc nomine tantopere male audire debeat. Conſtat namque eruditis omnibus, habere multa beneficia non ex genere eorum eſſe, quae ſic mala ſunt, ut nulla ex cauſſa bona aut licita fiant. Imo contra liquet ex eorum eſſe numero, quae cauſſa aliqua accedente, bona utique ac licita fiant. Neque vero ipſe Hadrianus uſquam diverſum aut docuit aut ſcripſit, ut ei falſo intendunt, ſed potuis contra. Legat eum qui velit in *quartum Petri Lombardi* ſcribentem, ubi de reſtitutione agens, quaeſtionem illam ex profeſſo diſſerit, ubi ejus haec habentur verba: *Cuilibet ſervitori Eccleſiae licet pro rata & pro portione ſervitii, ſtipendium vitae ſumere, ſed non immoderatum.* Ad cujus confirmationem multorum patrum teſtimonia ibi citat, Origenis, Ambroſii, Hieronymi, Bernardi. Atqui quid aliud beneficia Eccleſiaſtica, quam ſalaria quaedam ſunt, iis ſuſtentandis potiſſimum deſignata, qui de Eccleſia catholica pro viribus fructum adferentes bene mererentur. Producuntur ad haec inibi verba haec Ambroſii, illud

quam Lovanii olim docuerat, Hadrianum confirmaſſe, probat Launojus epiſt VII. pag. CCCLXX. vid. & Journ. des Scavants MDCLXXXVIII. p. CCLVIII.

[1] *Non fas cuipiam.*] Juxta enim Canones proprie nulli Eccleſiaſticum miniſterium, vel cura Eccleſiae committi debet, niſi reſideat in loco, & curam ipſam exercere valeat. Hinc *Innocentius* VI. decrevit, ut omnes Praelati, omnesque qui beneficia habebant, ad Eccleſias ſuas ſub anathematis poena proficiſcerentur. Platina in Innocent. VI. Si autem plura beneficia haberent, conſequebatur, quod omnino Eccleſiis iis, quibus praefecti erant, & quarum curam gerere debebant, adeſſe non poſſent, & ita Eccleſiae diverſae neceſſarie Paſtore orbatae eſſe deberent. Unde nulli plures dignitates Eccleſiaſticas, aut Eccleſias Paroeciales, quam unam habere licebat. vid. can. quia nonnulli & per tot. x. de Cleric. non reſident. in Eccleſ. vel praebend. can. quia in tantum x. de praeb. & dignit. & can. LXVII. regul. Canonic. Crodogangi Metenſ. Epiſc. Duas enim aut plures Eccleſias habens, alteram eligere, alteram dimittere compellendus erat. can. referente, can. praeterea ibid. *cum ſingula officia in Eccleſiis adſiduitatem exigunt perſonarum* can. ad haec licet ibid. & *irrita ſit electio illius, qui plures poſſidet dignitates atque praebendas.* can. cum jam dudum ibid. Verum, ut ſupra adnotavimus, uti ſuper reſidentia, ita quoque ſuper pluralitate beneficiorum (ut Canoniſtae loquuntur) diſpenſari poteſt, & facillime diſpenſatio impetratur. vid. can. ut quos Extravag. de Officio Jur. ordinarii.

Sic

lud Pauli 1 ad Corinth. v. tractantis, *Qui bene praesunt Presbyteri &c. Boni dispensatores ac fideles, non solum honore sublimi debent digni judicari, sed & terreno, ut non contristentur indigentia sumptuum, sed magis gaudeant fide sua & doctrina. Instantior enim fit, si non humilietur inopia, & crescit in illo auctoritas, cum videt se etiam in praesenti laboris sui fructum percipere.* Et ex intervallo haec sua ipsius verba subjicit: *Quis noxium esse dubitet in tanta necessitate Ecclesiae, quando totus fere mundus superstitionibus, haeresibus & criminibus (quia nemo occurrit, nemo resistit) obruitur, dilaniatur, & scinditur, ea inquam tempestate, qua qui habiles & idonei, atque volentes essent, penuria & egestate prohibentur, cum stipendia ipsis debita occupamus, & ambimus.* Agit autem adversus eos, qui sine modo sacerdotia corrogant. Ex quibus verbis satis liquido constat, eum in ea fuisse sententia, si quis egregiis dotibus praeditus, multum publice in Ecclesia prodesse posset, quippe qui sit vir eximie pius, eruditus, rerum peritus, prudens, facundus, & ita in reliquis, qui idem possit occurrere in impiis dogmatibus, profligare superstitiones, flagitia multa, quae passim velut agminatim inundant, efficaciter excludere, & id genus alia pia multa publice praestare; sed ut haec revera praestet, multa impedimento sunt, egestas facit, quominus verba ejus recipiantur, humilitas personae auctoritatem excludit. Siquidem ut Ecclesiastes ait: *Sapientia pauperis contemnitur, & verba ejus non audiuntur.* Hujuscemodi, inquam, viro videtur sentire non inconcessum esse, per ecclesiastica bona sibi moderatas vires comparare, quantum videlicet ad pia illa praestanda duxerit necessarium, praesertim si id non queat per bona profana, quia scilicet non suppetunt. Videat praeterea plurima alia, in eadem quaestione, eodem spectantia. Itaque cum ipse in Ecclesia Catholica tam multiplicem fructum praestiterit, Lovanii tot annis rem Theologicam publice profitendo, innumeros, qui suo tempore etiam alios in agendis instituerent, gnaviter instituendo, ea scribendo, ex quibus haud dubie fructus in Ecclesiam manabit, etiam in multa tempora. Jam innocentia vitae, velut face lucidissima, omnibus ad honestum praelucendo, in aula Principem Carolum ad omne genus virtutis, quo eum florere jam cum totius orbis bono videmus, studiosissime instruendo, Aulam ad haec totam, atque adeo regiones has omnes Germaniae ditionis Caroli consiliis fidissimis adjuvando. Universas denique Hispanias per summam prudentiam cum pace & concordia, sedatis tumultibus, quantum potuit, procurando, haereses impiaque dogmata, quibus ea regna, propter permistos Judaeos & Machometanos non mediocriter corrupta erant, fortissime depellendo, & alia innumera commoda, quanta alii fortassis mille inse-

inferioribus dotibus non adtulissent in publicum, adferendo. Et praesertim, quia haec & alia praestare non potuisset, nisi suppetentibus viribus, & maxime auctoritate, quam, ut hodie vivitur, potissimum opes tribuunt, quis quaeso ita in rerum delectu caecutiat, qui non existimet ei aliquanto plura sacerdotia habere licuisse, quam cuivis alii de medio Clericorum vulgo? Loquor in universum de omnibus sacerdotiis, & iis, quae apud Belgas agens sortitus fuit, & iis, quae postea apud Hispanos, de quibus suo loco referemus. Nisi dicemus, eum qui vineam plantat, non posse jure de fructu ejus edere; & qui gregem pascit, de lacte gregis manducare. Mereantur tantum de Ecclesia, quibus haec trahere ad exemplum visum est, quantum Hadrianus meritus est, habeant ingenium, doctrinam, facundiam, prudentiam, quas virtutes obstante egestate frugifere proferre non queant, & ante omnia, luceant sic probitate morum, non inficias ivero etiam eis licere plura quam unum habere sacerdotia, quatenus nimirum ad dotes utiliter proferendas cordatus duxerit fore satis, si per profana bona, quae desunt, id non queant, & dummodo modum servent, ne omnia [1] sic ipsi sibi solis occupent, ut aliis interim etiam dotes habentibus, nihil reliqui faciant. Neque vero quisquam dicat, labores ejus abunde satis aliunde pensatos fuisse, ut propterea ad Ecclesiam accedere non debuerit. Quin imo parce satis, ne quid amplius dicam, cum eo hac parte actum fuisset, nisi Ecclesiastica quoque adjecta fuissent, id quod domestici, rerum omnium ejus conscii, plenius dicere possunt. Sed & culpam elevat, si qua fuit, quod quae habuit, non ad luxum & strepitum contulerit, sicut plerique, sed egenis etiam benigne communicaverit. Rursus, quod ad altiora sublatus, ilico nonnulla in alios idoneos transtulerit, ut postea narrabimus. Denique utcumque est, testes idonei sunt, multos ex uno mediocri sacerdotio longe plus saepenumero reponere, quam ipse propter necessitates quotidianas, ex multis in unum congestis potuerit. Sed de his fortasse verbosius.

CAP. XIV.

1 *Sic ipsi sibi solis.*] Ex malo enim illo more, quo uni licet plures Ecclesiasticas dignitates habere, sequitur, quod interdum unus plurimorum sibi vindicat stipendia, quae multis litteratis viris, vitae puritate, ac testimonio bonae famae pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere, ut dicitur in Extravagant. de Praebend. & dignit.

Qui

## CAPUT XIV.

*Summa Hadriani auctoritas apud Carolum suspecta aulicis. In Hispaniam mittitur, ut Ferdinandum reconciliaret Carolo, quod egregie perfecit. Ab aulicis invidiose coram Carolo traductus, optime se purgat, & Derthusensis Episcopus creatur.*

Praeceptor datus Carolo, non id modo obibat, quod ejus officii proprium erat, verum etiam alia quaedam, honorata quidem illa, sed non minus operosa. Cognoscebat postulationes, libellosque supplicum, qui ex more Principi ejusque consilio offeruntur. *Magistros requestarum* vulgo adpellant. Adhibebatur quoque magnarum rerum consiliis, neque quidquam ferme gravis momenti agitabatur, ad cujus conscientiam non ipsum quoque accerserent. Jamque ad eum modum fides auctoritasque ejus in dies magis adolescebat, cum extitere penes quos tum non parva administrationis auctoritas erat, [1] qui id inviderent, metuentes scilicet, se ab illa depulsum iri, si ille pari pede sic quotidie procederet. Hinc impetum coeperunt hominem si possent, aliquo amandandi. Cujus rei tunc forte opportuna inciderat occasio. Ferdinandus Arragoniae Rex, Avus Caroli maternus, hos ipsos rerum Caroli administratores, de quibus dixi, suspectos habebat de studio in Gallos, falso ne an vero mea nihil refert, qui hoc hic non agam. [2] Qua ex re adeo a Carolo nepote alienatus erat, ejus alioquin amantissimus, ut nisi mature per quempiam magnae apud ipsum gratiae intercederetur, [3] omnia regna, quae jure patrimonii ejus erant, Arragoniae, Valen-

1 *Qui id inviderent.*] Praesertim Marchio Chevrianus. vid. Jovius cap. IV. & Pont. Heuter. lib. VIII. Rer. Austriacar. in princ.

2 *Qua ex re.*] Alias rationes refert Jovius, ut & Pont. Heuterus lib. VIII. rer. Austr. in princ. Sed praeferenda videtur Moringi propter rationes Chronologicas. Ut recte me monuit Celeb. Drakenborchius. Adrianus enim Carolo praeceptor datus, non videtur mox tantam potentiam adeptus fuisse, ut in Hispaniam statim ablegandus videretur. Quod quoque colligendum videtur ex eo, quod pagina sequenti ad *annum sexagesimum vergens* describatur. Imo anno demum MDXV. paulo ante mortem Ferdinandi Catholici in Hispaniam adpulit, teste Gomecio lib. V. de Vit. Ximen. & Loys de Mayerne Turquet dans l'Histoire gener. d'Espagne livre XXVI.

3 *Omnia regna.*] Ferdinandus enim Caroli avus maternus, Arragoniae atque Siciliae Rex, in matrimonio habuit Isabellam, Johannis secundi Hispaniarum Regis filiam haeredem, ex qua genuit Johannem, Isabellam, Johannam, Mariam & Catharinam. Johanne, cui Margareta Maximiliani filia nupta erat, & Isabella, quae Emanueli Lusitaniae Regi juncta erat, sine liberis defunctis, omnium regnorum & ditionum successio legibus patriis venit ad Johannam, quae nupta Philippo Archiduci, Maximiliani Caesaris filio, enixa est Carolum & Ferdinandum. vid. Sleidan. lib. I. comm. ad ann. MDXIX Viperanus in oratione funebri Caroli V. Marneranus de Caroli V. Imp. reb. gest. in princip. Lucius Marinaeus Siculus de reb. Hispan. lib. XXI. Franciscus Tarapha de Regib. Hispan. in fine & Chytraeus lib. IV. Saxon. pag. CCCLXVIII.

lentiae, Cathaloniae, utriusque Siciliae, ut vocant, Majoricae, Minoricae, & insularum in mari Tyrrheno, praeterito eo [1] Ferdinando fratri, ipso minori jam Romanorum Regi, relicturus videretur, vel ob id etiam lubentius, quod is [2] Hispanus natus, & in aula apud se educatus, eoque sibi charior esset. Quae res non Carolo modo plurimum offecisset, sed etiam universae Hispaniae, ut ad cujus felicitatem plurimum referre constet, regna illa firmissime cum regno Castellae sub uno Principe connexa manere. Quando ergo ad sedandum offensi Regis animum quempiam illuc mittere omnino opus erat, & ipsi accedere eo sive non audebant, sive, quia irritum fore credebant, non volebant, eo Hadrianum extrudunt. Crediderim etiam eos movisse, quod ubi Hadrianus tanto intervallo a Belgis abesset, facile se effecturos arbitrarentur, ne brevi illuc rediret. Sed Hadrianus eam provinciam caussa alumni sui, cujus rationibus in omnibus quantum posset, quam optime consultum volebat, tum studio publici boni, quod inde probabiliter nasciturum sperabat, haud gravate subiit, licet jam ad annum sexagesimum vergens, & hernia, quam olim casu contraxerat, non parum debilis. Et quemadmodum palma quanto magis premitur, eo magis surgit, ita vir praeclarus, quanto magis aemulis odiosus erat, eo majore in omnibus successu usus est. Nam in Hispanias delatus [3] summo cum honore a Rege sene, atque adeo morti proximo, accipitur, ac legationem aperiens, perbenignis auribus auditus est, ut & avum statim nepoti reconciliarit, & omnem illum metum de successore alio instituendo discusserit, cum Rex praedicaret, si alius quispiam missus fuisset, ne auditurum quidem se ullum fuisse. At res non erat sine negotio. Noluit Rex quidquam Carolo addicere, nisi certis cautis legibus, quarum una omnium odiosissima erat, nimirum ut [4] quidam eorum, qui apud Bel-

CCCLXVIII.

1 *Ferdinando.*] Testamenti enim tabulas jam confecerat, in quibus Ferdinandum nepotem omnium regnorum gubernatorem constituerat, & tria illa militarium ordinum magisteria jure haereditario ordinaverat. Quod testamentum morti proximus demum mutavit. vid. Gomecius lib. V. de reb. gest. Franc. Ximenii in fine. & Chytraeus lib. V. Histor. Saxon. pag. DLIV.

2 *Hispanus natus.*] Johanna enim Ferdinandum in lucem ediderat Compluti, ubi a Ximenio Cardinale erat baptizatus. vid. Gomec. lib. III. de reb. gest. Ximen. & Chytraeus lib. IV. Saxon. Unde Ferdinandus eum majori favore & charitate prosequebatur, ut & cuncti fere Hispanorum Principes, Gomec. lib. VI. vid. & P. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic.

3 *Summo cum honore.*] Ita & Gormecius lib. V. de reb. gest. Franc. Ximen.

4 *Quidam eorum.*] Praecipui Belgae, qui in Caroli familia, & ipsi a consiliis intimis erant, fuerunt Johannes Salvagius, Burgundiae postea Cancellarius, Hontenius Cufius, Roesius, Armastophus, Laxaus, Laurentius Gorrebotus, Carolus Lanojus, & praecipue Marchio Chevrianus, qui, ut postea videbimus, summa gratia & auctoritate apud Carolum florebat. Hunc, ut Carolus cubiculo, cui praeerat, pelleret, neque quidquam quod ad Rempublicam pertineret, tractaret, petiit Ferdinandus. vid. Gomecius lib. VI. de reb. gest. Franc. Ximen. & Histoire Generale d'Espagne par Loys de Mayerne Turquet liv. XXVI. Ubi narra,

Belgas ad id tempus res ejus procurassent, procuratione moverentur, in quorum locum alios quosdam suffici voluit. Quae omnia Hadrianus ad Carolum & ejus intimos protinus perscripsit, testatus aperte (quia ea quae scriberet, odiosa & ingrata fore sciret) dedisse quidem propterea se operam, ut rationibus aliis Regis animum inflecteret, sed nullo pacto potuisse, neque si quid conjectare posset, umquam futurum, ut Rege vivo posset. Nam eo defuncto, quod tum proxime futurum videbatur, ut eventus probavit, si quid gravius concessum esset, facile id in pristinum locum posse restitui. Se tamen nihil prorsus statuisse, quia potestatem non haberet, sed omnia integra ipsorum arbitrio, aut amplectenda aut rejicienda, reliquisse. Non poterat majore neque fide, neque industria, rem Caroli gerere vir insignis. At quid tam integre geritur, quod non pateat calumniae, aut omnium animis satisfaciat? Simul atque consiliarii ea scripta Hadriani intellexissent, mire stomachati, omnia in pejus rapuerunt, cum alia, tum vero qua parte de ipsorum remotione a gubernaculis mentio fiebat. Hinc hominem ubique infamare, ubique traducere coeperunt, tanquam fines mandatae legationis egressum, multaque malitiose contra rem Caroli & ipsorum molitum, neque obtrectandi modus ullus erat, aut modestia, adeo ut hoc nomine publicitus plane pessime audiret, multis sic rem vere habere existimantibus. Qui vero mitius sentiebant, eam culpam non fidei ipsius, quam spectatam haberent, sed inscitiae rerum & insolentiae hujusmodi tractandi adsignabant. Ille vero nullius omnino culpae sibi conscius, omniaque potius per laudem acta sibi ratus, ne somnio quidem suspicabatur futuros, qui illas suas litteras latius interpretarentur, quam pro earum fide. Cognito ergo quanta ex eis vulgo de se fabula, aut potius tragoedia, nata esset, & quam foede existimatio sua passim praeter meritum laesa, ut aequum erat, vehementer indoluit; sed nihil se indignum aut fecit, aut dixit, memor, opinor, qui magistratum gerat, ut vulgo fertur, saepe & justa & injusta audire debere. Dolebant item graviter ministri ejus, demirati esse quibus hujusmodi in publicum spargere pudori non esset, cum occasio nulla daretur, cohortantes item subinde ad rependendam vicem, ne injuria tam insignis impune transmissa improborum audaciam lacesseret magis in posterum, quam arceret. Quorum quidem ille adfectum in se non improbavit, sed monitioni non accessit. Renidenti vultu respondere solebat, allegatis illis Sapientis verbis: *Cum placuerint domino viae hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* Producto quo-

narratur, quod Hadrianus, ut Ferdinandum Carolo conciliaret, consenserit, ut Chevrianus aula pelleretur, unde postea odiis internecinis Chevrianus Hadrianum prosecutus est.

 Diem

quoque exemplo Regis David, qui cum Semei atrociſſimis probris in itinere vexaretur, lapidibus etiam contemptim impetitus, adeo non fuiſſet ultus furioſiſſimum hominem cum jure poſſet, ut etiam Abiſai interimere volentem vehementer inhibuerit, iis uſus verbis: *Dimitte eum, ut maledicat; Dominus enim praecepit ei ut malediceret David. Et quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit? Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de utero meo, quaerit animam meam, quanto magis hic filius Jemini maledicet mihi? Dimitte eum, ut maledicat juxta praeceptum Domini, ſi forte reſpiciat Dominus adflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac die hodierna.* Atque ea lenitate tota vita ſui ſimilis fuit. In neminem omnium, a quibus injuriam accepiſſet, vindictam umquam meditatus eſt. Neque vel pilo ob id pejus cuiquam aut voluit, aut fecit, quin imo pro multorum reſipiſcentia ardentius Deum precabatur. Attamen quia nemini temere decus nominis negligendum, neque famae patrocinium deferendum eſt, in re praeſenti ad Carolum datis litteris, quae apud Regem egiſſet fuſiſſime exponens, ſe, quantum potuit, purgavit. Dedit & ad reliquos litteras ejusdem argumenti, quoscumque offenſos putabat. Sed cum nullis omnino litteris abſentem ſe proficere intelligeret, rurſus ad Carolum ſcriptis litteris vehementer egit, fieret ſibi poteſtas bona ejus gratia in Belgas redeundi, ſi non firmis rationibus aemulos refellere, & impudentiſſimas linguas ipſa veritate reprimere poſſet, lubentet omnifaria ignominia dignum videri velle, & talem haberi, qualis traduceretur. Verum illi ne id quidem paſſi ſunt, quod interea Ferdinandus Rex [1] diem ſupremum obiit, dum Hadrianus plus minus ſeſquimenſem ibi ſediſſet, atque ob id praeſentia ejus ad opprimendos motus, qui novatis rebus oriri posſent, ibi neceſſaria videretur, cum revera metuerent, ut multis viſum fuit, ſi redisſet, a praeſente ſe falſi & calumniae revincendos. Proinde perſpiciens aliam rationem ſarciendi nominis nullam ſibi reliquam, mittit ad Carolum quendam e miniſtris ſuis cordatum ſatis & facundum, qui collato pede cum adverſariis innocentiam ſuam coram tueretur. Et is quidem tantum profecit, re omni latius, ut ſe haberet, expoſita, ut Carolo certe, & aliis multis dominum probe purgatum reddiderit. Argumento

1 *Diem ſupremum obiit.*] Obiit Ferdinandus die XXIII. Januarii anno MDXVI. in obſcuro vico Madrigalegii. P. Heuter. Rer. Belgic. lib. VIII. Lucius Marinaeus Siculus de reb. Hiſpan. lib. XXI. Franciscus Tarapha de Regib. Hiſpan. circa finem, Hieron. Pauli in ſerie Regum Arragoniae in Ferdinando II. & Gomecius lib. V. de reb. geſt. Franc. Ximen. Cum intentus eſſet, foedere cum Caeſare & Anglorum Rege inito, Gallos Italia pellere, & Neapolitanum regnum conſervare. Guicciard. lib. XII. Hiſt. Ital. ubi porro deſcribit, qualis fuerit, ut & Thuanus lib. I. Hiſtor. ad ann. MDXV. Narrant Hiſpani ſcriptores Reginam Germanam, ut filios ex eo procrearet, ipſi propinaſſe potionem, ut inde majores vires acquireret, & procreationi ſobolis aptior eſſet, unde poſtea ſemper languidus & invalidus, tandem obiit. vid. Hiſtoire Generale d'Eſpagne par Loys de Mayerne Turquet

to fuit, quod dum forte Episcopatus Derthusensis tum vacasset, & cum Carolus Hadriano tribuendum [1] curasset, & plerique eorum impedimento esse potuissent, non fuerunt, imo vero etiam adjutare visi fuerunt. Quem ipsum tamen Hadrianus minime accepisset ob caussas nescio quas, nisi id usui fore judicasset ad obliterandam in totum infamiam, qua pridem flagrarat. Arbitrabatur quippe omnibus testatum fore, omnium animos erga se candide placatos, neque ullum omnino odii vestigium amplius residere, cujus dignitatem etiam honoribus jam augendam censuissent.

## CAPUT XV.

*Hadrianus praeceptor Ferdinandi Caroli fratris, Arragoniae & Castellae praeficitur cum Francisco Ximene. Qualis ille vir fuerit. Hadrianus efficit, ut Carolus Magister ordinum Commendatariorum eligatur.*

Eodem tempore aliquamdiu inibi Ferdinandi fratris Caroli [2] praeceptor fuit, non sine magna jam ejus tum fruge, tum commoditate. Et rogatu absentis Caroli Arragoniae & Castellae [3] gubernacula tenuit, collegam habens [4] *Franciscum Ximenem* Archiepiscopum Toletanum, titulo Divae

quet livre XXVI.

1 *Curasset.*] *Virtutis ergo* eum a Ferdinando Derthusensem Episcopum creatum dicit Sweertius Athen. Belgic. pag. XCV. & Miraeus Elog. Belgic. in Hadriano VI. Alii omnes uno ore tradunt, eum Caroli favore ac commendatione a Ferdinando Catholico hunc Episcopatum consecutum fuisse, ut Chytraeus Orat. de Carolo V. pag XXVII. Mallinkrot de Pontific. Roman. & Val. Andr. Bibl. Belgic. qui tamen in Fastis Academiae Lovan. pag. XCV. dicit Carolum in Belgio agentem eum Derthusensis Ecclesiae Antistitem nominasse, cum proprie Carolus, nominandi jus non habens, eum tantum avo suo commendaverit; nisi veriora sint, quae tradit Gomecius lib. VI. de reb. Gest. Franc. Ximen. scilicet Ferdinando jam mortuo, Derthusensem Episcopum, qui in Arragonia Inquisitoris maximi officio fungebatur, diem suum obiisse, & Ximenium Hadrianum commendasse Carolo, ut ille Derthusensi Ecclesiae & sanctae Inquisitionis officio sufficeretur, *cum esset homo sincerus, & probus, & ab omni avaritia prorsus alienus, externorum insuper natalium caussa ad Provinciam factiosam illis in rebus moderandam perquam accommodus.* Et post mortem Ferdinandi Ecclesiae Derthusensis Antistitem creatum videtur & hic colligi posse ex Moringo.

2 *Praeceptor.*] Habuit Ferdinandus praeceptorem *Alvarum Osorium* Dominicanum, Asturcensem Antistitem, ut & *Petrum Nonnium.* vid. Gomecius lib. VII. de reb. gest. Ximen. Usus quoque fuit Ferdinandus praeceptore quodam Medico, ad quem exstat epistola Erasmi, CCCLXXXV. & cui commendat *Ludovicum Vivem*, ut ipsi sit subsidiarius in instituendo Ferdinando. Et quidam Erasmum Ferdinando praeceptorem volebant, sed ille, tum propter adversam valetudinem, tum & alias ob caussas, aulae se committere nolebat. vid. Erasm. epist. CCCCVII. & CCCCXIV. & CCCCXXXVII.

3 *Gubernacula tenuit.*] Ita tamen, ut major auctoritas videretur esse penes Ximenium, cui, ut dicit Miraeus elog. Belg. in Hadrian. VI. & Auctar. de scriptor. Eccles. §. DXXXVI. *Carolus regni administrandi jus demandavit, Hadriano in societatem consiliorum adscito.* Hinc Hadrianum *ex legato consiliarium* factum dicit Sleidan. III. comm. ad ann. MDXXII. Ferdinandus enim moriens commendaverat Ximenio, Carolo absente, regnorum curam, ut recte Chytraeus lib. V. Hist. Saxon. pag. DLIV. ubi Ximenium vocat *senem prudentem, justi ac recti tenacem & longo Reipublicae usu probatum.*

4 *Franciscum Ximenem.*] Vitam & res gestas

hujus

Divae Balbinae Presbyterum Cardinalem. Qui vir [1] humili quidem loco ortus, ſed animo magno erat, pius tamen & eruditus, & eruditorum fautor candidus. Nam multa monaſteria utriuſque ſexus, tum publica valetudinaria multa, inſignem quoque Academiam Complutenſem, [2] impenſa ſua inſtituit. Sacra beneficia doctis & idoneis dabat, & non rogatus facilius quam rogatus. Imo rogatus vix cuiquam dabat. Sacra Biblia diverſis linguis, Chaldaea, Hebraea, Graeca & Latina, excudenda curavit. Ad menſam fere cum viris doctis praeſertim Theologis de re Theologica commentabatur, eoque praecipuo Hadriano, quia is in ea arena facile Princeps erat, intime utebatur. [3] Tametſi is adfectus, ſive nonnullis frigidam ſuffundentibus, ſive quia homines non ſemper ejusdem animi manemus, poſtmodum [4] nonnihil refrixit, quamquam de eo ſemper honorifice ſenſit. Accedit ad alia multa praeclara ejus opera, quod trajecto freto Herculeo, urbem opulentam, multisque domorum millibus inſignem, vulgo, *Oram* nuncupatam, a Saracenis in Africa cepit, quam poſtea Regi Ferdinando petenti ceſſit, duntaxat receptis factis ſumptibus. Inſtitutum denique

hujus Ximenii Cardinalis deſcripſit Alvarus Gomecius Hiſpanus, & Gallico idiomate Eſprit Flechier Epiſcopus Nimenſis, II. tom. in VIII. vid. & Schotti Biblioth. Hiſpaniae tom. II. pag. CCVII. & quaedam de eo habet Ciacconius in Julio II. & Chaſtaigner Nomenclat. Cardinal. p. CXI. & Loys de Mayerne Turquet Hiſtoire Generale d'Eſpagne lib. XXVII.

1 *Humili quidem loco.*] Honeſta tamen & nobili familia ortus. Gomec. lib. I. de reb. geſt. Franc. Ximen.

2 *Impenſa ſua.*] Et annuo decem millium aureorum cenſu ditavit. Andreas Victorell. in add. ad Ciaccon. in Jul. II. pag. MCCCLXXX. vid. & Gomec. lib. IV.

3 *Tametſi is adfectus.*] Statim jam ac Rex Ferdinandus defunctus eſt, controverſia quaedam inter eos orta fuit; ex teſtamento enim Ferdinandi Ximenius ſummae rerum praefectus erat: Adrianus autem noſter ſtatim proferebat mandata Caroli, quibus ille, ſi quid humanitus Ferdinando accideret, Hadrianum gubernatorem declarabat, & jubebat, ut ejus nomine regnorum poſſeſſionem caperet, quod Ximenius ſe permiſſurum negabat, cum quidquid Carolus vivente Ferdinando ſuper hac re feciſſet, irritum eſſet; quoniam ex Iſabellae Reginae teſtamento Ferdinando marito regnorum moderatio relicta eſſet, donec Carolus ad vigeſimum aetatis annum perveniſſet, isque e vita decedens, Ximenium inſtituiſſet. Sed cum ambo Carolo ſtuderent, & amiciſſimi eſſent, facile haec contentio ſublata fuit, & partitis curis ambo regni molem ſubierunt. vid. Gomecius lib. VI. in init. de reb. geſt. Franc. Ximen.

4 *Nonnihil refrixit.*] Hiſpanorum enim quorumdam ſuaſu & inſtigatione ſcripſerat Hadrianus ad Carolum; ſe imparem eſſe ad Ximenio reſiſtendum, quod vir ſuperbus & conſortis impatiens, ſua voluntate omnia moderaretur. Hinc Carolus miſerat *Laxaum Belgam*, qui Carolo a cubiculo erat, ut tertius Ximenio & Hadriano ad Rempublicam moderandam accederet, quod Ximenius, licet in ſuae auctoritatis fraudem veniſſe intelligeret diſſimulanter tulit, quamvis ſtatim ſimultates ortae, cum Hadrianus & Laxaus ſe opponerent auctoritati Ximenii, quas narrat Gomecius lib. VII. de reb. Geſt. Franc. Ximen. in princ. ubi magnifice praedicans virtutes & animi dotes Cardinalis Ximenii, Hadrianum noſtrum *deſidioſum & remiſſum hominem* vocat. De Laxao vero dicit Loys Mayerne de Turquet dans l'Hiſtoire Generale d'Eſpagne livre XXVII. *homme pluſtoſt nay a entretenir de plaiſans devis un Prince, & lui faire compagnie, qu'a manier les grands affaires d'un Royaume.* Hadriano autem poſtea Cardinale creato, Ximenius eum omnibus modis regimine amovere ſtudebat, unde per quosdam apud Carolum egit, de Hadriano noſtro Romam, aut in Belgium, aut in dioeceſin ſuam mittendo, quando quidem, ut dicit Gomecius lib. VII. *Hadrianus a rebus gerendis natura ſua abhorrens, nova tunc dignitatis acceſſione potius impedimento, quam ulli uſui futurus eſſet.*

Quod

nique Franciſcanorum, quod nondum praeſul, quo loco diſciplina vigebat, ſuſceperat, in maximis negotiis, quibus ſublimis jam obſidebatur, diligenter obſervabat. Hunc igitur collegam habuit, ſed ſic ut penes illum propter opes & potentiam aliquanto plus auctoritatis, penes ipſum plus gratiae apud vulgus eſſet. Siquidem ut vir pius Franciſcus eſſet, tamen quia biliofus, ſimul ad congreſſum parum commodus erat, ut non raro adeuntes ſe aliqua ex cauſſa rejiceret moroſius, aut tractaret aſperius, quam erecta illa Hiſpanica indoles facile toleraret. Hadrianus vero totus comis & expoſitus, neminem rejiciebat, neminemque a ſe quoad poſſet, triſtem amittebat. Si quid praeſtare non poſſet, quod fortaſſis ſupra auctoritatem ejus eſſet, ſic quidem negabat, ut tamen ipſo habitu vultus id ſibi grave oſtenderet. Et ne multis, quaecumque duritia collegae acerbabat, humanitas ejus quantum fieri potuit, delinibat. Quibus artibus mirificam apud omnes ſibi gratiam peperit, [1] etiamſi alienigena, ut haud alio Praeſide aeque gaudere viderentur. Sed & quanta cum fide gubernatione ea fungeretur, vel illud declarat, quod tum tres celeberrimos illos ordines apud Hiſpanos, vulgo *Commendatariorum* [2] *Divi Jacobi a Spatha*, *ab Alcantara*, & *a Calatrana* appellatos, adduxerit, ut Carolum ſibi praeſidem, *Magiſtrumque* ut appellant, adſciſcerent. [3] Tametſi id difficulter, neque ſine praeſidio procerum, etiam Carolo ſtudentium effecit. Quales autem hi ordines ſunt, norunt plenius, quibus plenius Hiſpania cognita eſt. Dicati feruntur vindicandae religioni ab impetu Saracenorum, ſive Agarenorum malis. Opes eorum luculentiſſimae ſunt *Commendae*, ut appellant, nullae admodum tenues. Plurimae mille ducatorum, aliae octingentorum, aliae ſexcentorum proventum in annum repraeſentant, ut ſi quo caſu collatis viribus & cum aliquot regni proceribus conſpirantes, in Regem inſurgerent, vix in manu eſſet ad obſequium redigere. Harum autem Commendarum, ut jam impune ſic loquar, conferendarum jus penes cujusque Magiſtrum antiquitus fuerat, quem tum communem omnibus, praerogativa a Pontifice Maximo conceſſa, Ferdinandum Caroli avum habuerunt. Quo defuncto, quandoquidem ſimul & ea praerogativa expirarat, ut quae tantum ad vitam Regis conceſſa eſſet, rurſus

Quod tamen Ximenio non ſucceſſit.

1 *Etiamſi alienigena.*] Adverſabatur enim Hiſpaniae legibus, & antiquae morum conſuetudini, quod externus & alienigena, qualis Hadrianus noſter, Hiſpaniae praeeſſet. Gomec. lib. VI. de reb. geſt. Franc. Ximen.

2 *Divi Jacobi.*] De his ordinibus vid. Anton. Nebriſſenſis Rerum a Ferdinando & Eliſabetha geſtarum decad. I. lib. II. cap. IX. & Miraeus de Ordin. Equeſt. cap. VII. & VIII.

3 *Tametſi id difficulter.*] Ambiebat enim hoc Magiſterium *Petrus Portocarrerius* Aſcalonii Ducis frater, homo potens in Hiſpania; verum cujus impetum Ximenius & Hadrianus repreſſerunt, & effecerunt, ut Carolus, qui jam a Pontifice diplomata ad ea magiſteria poſſidenda obtinuerat, eligere-

rurſus ſinguli quique ad creandum Magiſtrum, ſuae poteſtatis erant. Hadrianus itaque, quoniam ad opes Caroli ſtabiliendas permagni referre cenſeret etiam eum per omnia conditionibus, quibus avus fuerat, communem eorum ordinum Magiſtrum eſſe, praeſertim propter donationes earum Commendarum, quibus plurimos ſibi adjungere, plurimorum fidem & benevolentiam redimere poſſet, ut id efficeret, nihil reliqui fecit, cum alioquin ſinguli quique peculiarem ſibi creare decreviſſent. Et tamen id a Carolo in mandatis non habuerat. Poſtea quoque Pontifex Maximus ſuapte ſponte eam dignitatem, auctoritate Pontificia, coronae regiae propriam perpetuamque fecit, nullo pro tanto beneficio vel teruntio *Compoſitionis* nomine, ut Romae vocant, accepto, cum alii Pontifices fortaſſis centum millibus ducatorum evincendi non fuiſſent. Verum abunde ei remunerationis erat, voto ſui alumni in hoc obſecutum eſſe, & auctoritatem regiam in perpetuum ſic firmaſſe.

## CAPUT XVI.

*Hadrianus Epiſcopus aliquot ſacerdotia in alios transfert. Cardinalis creatur. Marchio Chervianus ſummae auctoritatis apud Carolum, Hiſpanis inviſus, perſuadet Carolo Imperatori Romano electo, Germaniam petere. Neophytorum in conventu Barcinonenſi petitio ab Hadriano tum Inquiſitore improbata, & a Carolo rejecta. Hadriani conſtantia, & aequitatis ſtudium.*

Epiſcopus autem, licet proventu ſatis tenui, ut ſpeciem omnem avaritiae, anſamque offendiculi praecideret, protinus aliquot, quae ad id temporis habuerat ſacerdotia, in alios idoneos tranſtulit. In quibus Decanatus Lovanienſis erat, [1] & alia quaedam non ſpernenda. Neque

geretur. Gomec. lib. VI. de reb. geſt. Ximen.

1 *Et alia quaedam non ſpernenda.*] Quaenam haec non ſpernenda ſunt, ignorare me fateor. Certe ſplendida illa beneficia, quae hic Trajecti habebat, ſibi etiam Pontifex retinuit. In Canonicatu & Theſauraria ad D. Mariae ipſi poſt mortem ſucceſſiſſe legitur in actis Capituli Martinus de Gaesbeck. Et dubitare licet an quidem vivus depoſuerit Praepoſituram, cum adhuc memoretur Praepoſitus menſe Decembri anno MDXXII. apud Matth. Fundat. Eccleſ. pag. LXXII. Unde certe conſtat errare Valerium Andream Bibl. Belg. pag. CCCXIII. qui tradit Hadrianum adhuc Cardinalem Praepoſituram tranſtuliſſe in Enchavordium. Niſi inter ea non ſpernenda adnumerare velimus Praebendam majoris Eccleſiae, quam permutavit anno MDXVII. ad quam tamen poſtea per regreſſum, quem habebat ad eandem vacantem per mortem *Joh. de Vos de Aveſaet*, admiſſus eſt XV. Martii anno MDXX. quam iterum paulo ante mortem reſignavit, & ad quam admiſſus eſt ex ejus reſignatione *Johannes Antonii Beyenſe* (vel Boeyenſe, ejus cognati

que multo poſt Romae a Leone decimo Pontifice Maximo Cardinalis dicitur, titulo Sanctorum Joannis & Pauli, [1] nemine quoque a ſe ad hoc inſtructo, tametſi non ſine opera amicorum, quos Romae habuit, praeſertim [2] *Alberti Pii* Carporum Comitis, viri ſicuti nobiliſſimi, ita utriusque linguae ac diſciplinarum pene omnium tam divinarum quam humanarum eruditiſſimi, ad res denique agendas appoſitiſſimi, id temporis Maximiliani Caeſaris in urbe Legati, qui per famam multiplicium virtutum, & eminentis doctrinae ejus, ac per lectionem lucubrationum, quae pridem ad ipſum pervenerant, mire in amorem ejus impulſus erat. Rurſus

cognati vid. ſupra ſtemma) annorum XIX. anno MDXXIII, XXVIII. Maji. Uti ex Brocchio me monuit Cl. Drakenborchius.

1 *Nemine quoque ad hoc inſtructo.*] Erasmus putat Hadrianum viam ſibi aperuiſſe ad purpureum honorem, quia plurimum auctoritatis Romano Pontifici ſemper tribuerat. *Hadrianus*, inquit epiſt. MCXCV. *Romano Pontifici plurimum tribuebat, indicant hoc illius commentarii in quartum librum ſententiarum, eaque res, ni ſallor, effecit, ut a Leone* X. *in Cardinalium ordinem cooptaretur.* A plerisque tamen traditur, eum ope, favore, ac commendatione Caroli Cardinalem creatum fuiſſe. Ut a Guiccard. lib. XIV. Hiſt. Ital. Mallinkrot. vit. Pontif. & Perizonio Hiſt. ſecul. decim. ſexti ad ann. MDXXII. Rogante Maximiliano dicitur in vit. Pontif. Ciaccon. in Hadr. VI. Occaſionem autem, qua Hadrianus Cardinalis creatus eſt, refert Jovius cap. V.

2 *Alberti Pii.*] Fuit hic Albertus Pius Comes Carpenſis, qui iis temporibus ſatis doctus habebatur, quem *virum magni ingenii atque induſtriae* pronuntiat Guicciardinus, & *virum diſertiſſimum* Jovius in vita Alfonſi Ateſtini & *inſignem ſui ſeculi ſcriptorem* Poſſevinus II. Biblioth. Select. cap. XXX. Qui inter alia ſcripſit *de Primatu S. Petri.* vid. Jacob a S. Carolo Biblioth. Pontif. lib. II. pag. CCXLIII. Hic una cum *Coelio Calcagnino* ſub *Petro Mantuano*, ſive *Petro Pomponatio*, celeberrimo in Academia Patavina Profeſſore (de quo vid. Jovius elog. doct. viror. pag. LXXXV.) ſtudiis operam dederat, uti refert Erasmus Epiſt. DCCL. Primo Legatus fuit Regis Galliae apud Julium ſecundum Papam, ubi cum in mandatis haberet Alfonſum Ateſtinum Ferrariae ducem cum Papa conciliare, a quibusdam accuſatus fuit, quaſi non bona fide munere functus eſſet, quia Alfonſum nimis potentem vicinum timebat. Quamquam Jovius in vita Alfonſi Ateſtini dicat eum tunc temporis Legatum Caeſaris fuiſſe apud Julium. Poſtea Alphonſus eum Carpio expulit, licet eam partem, quae Alfonſo competebat, Alfonſus vendidiſſet Alberto pro viginti ſex millibus ducatorum, & Albertus ipſi jam in numerata pecunia viginti duo millia dediſſet, uti refert Coccinius de Bellis Italicis pag. m. CLXVII. unde ille Alfonſo inimiciſſimus, cum ſummo honore a Leone X. haberetur, ita ut omnium fere ejus conſiliorum particeps eſſet, Leonem quotidie contra Alſonſum incitavit. vid. Guicciard. lib. VIII, IX, XII, XIII, & XV. Hiſt. Ital. & Jovius in vita Alfonſi Ateſtini. Poſtea Romae Caeſaris Orator Clementi ſeptimo quoque chariſſimus fuit. Erasm. Epiſt. MXIX. Urbe vero Roma a Carolo occupata, cum Gallis adhaereret, Carolus Alfonſo Carpii poſſeſſionem confirmavit, & ita Albertus Pius coactus fuit in Galliam ſecedere, & Pariſiis obiit, ſepultusque eſt in Monaſterio Franciscanorum, cum triduo antequam moreretur induiſſet amictum Divi Francisci. Erasm. Epiſt. MXXIV. MXCIV. & MCLXXVI. Pierius vero Valerianus de Litterat. Infelicit. pag. CCCCXXXII. dicit eum a Caeſare ditione paterna privatum inopem Pariſiis vixiſſe, & articulari morbo graviter cruciatum, donec ſaeva peſtis fatalem horam adduceret, qua nondum ſenex Lutetiae ad ſuperos deceſſit. De hoc vero Alberto Pio multis in locis conqueritur Erasmus, quod non tantum ſtuduerit eum Clementi ſeptimo odioſum reddere, clamans quotidie Erasmum nec eſſe Philoſophum, nec Theologum, nec quidquam omnino tenere ſolidae doctrinae, verum & editis libellis omnibus perſuadere voluerit, Erasmum eſſe cauſſam & auctorem omnium turbarum, quae eo tempore religionis intuitu movebantur, & eum Luthero occaſionem dediſſe evulgandi ſua dogmata. vid. Epiſt. DCCXLII. DCCCXX. DCCCXXIII. DCCCXLVIII. DCCCLXXV. DCCCCLVI. DCCCCLXXI. DCCCCLXXVI. DCCCCXCV. DCCCCXCVII. MXVIII. MXIX. MXXI. MXXIV. MXCIV. MCXXXI. MCXXXII. MCXLVIII. MCLXXVI. & MCCVIII. quamquam Erasmus non tam ipſi culpam adſcribat, quam quidem *Hieronymo Aleandro*, cujus meminit auctor noſter infra cap. XXIV. ubi vide. Plura de Alberto Pio vide apud Jovium Elog. Doctor. Viror. pag. C.

ſus clariſſimus vir D. *Guillermus* [1] *Enchavordius*, tum ſcriptor Apoſtolicus ac Caroli in urbe Procurator, dotibus hominis olim perſpectis, nihil ad altius ſubvehendum eum praetermittendum ſibi duxit. Is qui galerum attulit, offendit operantem ſacro, & re laeta nuntiata, cum ſumme gaviſurum putaret, ita eum adfecit, ut nec exultaret effuſius, quaſi obveniſſet, ad quod magno opere votis ante adſpiraſſet, nec frontem contraheret, quaſi venienti fortunae ſinum claudendum exiſtimaret, utique tali, quae auctoritatem adderet, cujus uſus publice plurimum prodeſſe posſet.

Jam autem Carolus in Hiſpaniis erat, & rerum arbitrium per ſe agebat, adhibito ſemper in conſilium *Guillermo Crojo* [1] Marchione Cherviano,

1 *Enchavordius.*] Hic *Eikenwort* vocatur a Jacobo a S. Carolo Biblioth. Pontif. lib. I. pag. CVIII. *Enchenwoertius* a Chaſtaign. Nomenclat. Cardinal. pag. CXX. *Encourt* a Polano lib. I. Hiſt. conc. Trident. pag. XXVII. Hunc ex eadem inferiore Germania cum Hadriano oriundum dicit Jovius cap. V. Brabantum Sylvaducenſem facit Sweertius Athen. Belgic. pag. CCCIV. ut & Andreas Victorellus in addit. ad Ciaccon. vit. Pontif. pag. MCCCCLI. ubi & monumentum, quod ipſi poſt mortem poſitum, exhibetur. Cabrera ibidem in additionibus ut & Onufr. Panvin. Roman. Pontif. pag. CCCLXIII. eum patriâ Trajectenſem vocant. Sanderus Elogia Cardinal. decad. III, X. pag CCLXII, dicit eum Trajecto Brabantiae oppido oriundum, ubi porro vitam ejus deſcribit. Verum melius eum in Mierlo Brabantiae municipio natum dicit Valer. Andr. Faſt. Academ. Lovan. pag. CCCVI. quod & adfirmat Miraeus in donat. Belgic. lib. I. cap. CLV. qui id ipſi ex tabulis Caroli V. Imperatoris confirmatoriis conſtare dicit. Ubi exhibet diploma Enchavordii, quo domum Hoſpitalariam cum Capello anno MDXXXI inſtituit in Mierle vico Campaniae Brabantinae, ubi in additionibus porro de eo haec habet: *Guilelmus Enchenvoirt S. R. E. Cardinalis, Episcopus Derthuſenſis & Ultrajectenſis, Adriani* VI. *Pontificis datarius ac familiaris, ejusque ſucceſſor in Praepoſitura S. Salvatoris Ultrajecti, fuit quoque Praepoſitus S. Rumoldi Mechliniae, Decanus Sylvaeducenſis, Canonicus Antverpienſis &c. obiit Romae* XVIII. *Julii* MDXXXV. *Teſtamenti ejus executor fuit Petrus Vorſtius Belga, Aquenſis in Italia Episcopus, & nuncius Apoſtolicus apud Carolum* V. *anno* MDXXXVII. *Bruxellis agentem. Encfortii ſoror fuit Iſabella, & unica haeres, quae nupſit N. Lombaerts, qui nomen Enckevoirt ſumpſit, & filium habuit, qui poſtmodum in Germaniam ſedem fixit, ex quo prodierunt hodierni S. R. J. Comites Enckevordii. Alter filius ejus fuit Michael Lombaerts, qui avunculo ſuo in Praepoſitura S. Salvatoris, in Decanatu Sylvaeducenſi, aliisque dignitatibus ſucceſſit.* Fuit ergo hic Enchavordius primo Canonicus Antverpienſis, poſtea Canonicus Eccleſiae Majoris & Praepoſitus S. Salvatoris Trajecti, ab Hadriano libellis ſupplicibus dandis ac ſubnotandis (*Datarium* vulgo vocant) praefectus, Eccleſiae Derthuſenſi in Hiſpania Antiſtes datus, & in Cardinalium collegium cooptatus, & a Clemente ſeptimo Episcopus Trajectenſis renuntiatus, & Romae obiiſſe anno MDXXXIV. dicit Val. Andr. in Bibl. Belg. qui tamen in Faſt. Acad. Lovan. dicit eum deceſſiſſe anno MDXXXVI. uti contra Onufrium Panvinium probat Suffridus Petri in Append ad Hekam ad anno MDXXXVI. qui quoque addit eum Episcopatum Trajectenſem obtinuiſſe per ſeptem annos, & adminiſtraſſe per Procuratores, cum Romae manſerit, ibique ſepultus ſit. vid. Hug. Heusd. Batav. Sacr. tom. I. pag. CCCXXXVII. edit. ult. quae in folio prodiit, qui eum ann. MDXXXIV. defunctum probat. ubi & vid. adnot. H. V. R. ubi & alia de Enckavordio obſervat vir diligentiſſimus. Epitaphium ejus exhibet Sweert. Ath. Belgic. Chaiſtagn. Nomencl. Card. p. CXX. & Heusd. Bat. Sacr. d. l. In libro Mſſ. Brocchii, qui in Eccleſia Majori adſervatur, haec de eo adnotata inveni: *Wilhelmus de Enckenvoirt natus ex pago Mierlo territorii Busciducenſis, protonotarius Apoſtolicus &c. admiſſus eſt ad praebendam in Eccleſia Majori, vacantem per mortem Domini Johannis de Reneſſe, die* VII. *Febr. anno* MDV. *Eundem Wilhelmum Hadrianus Papa ſextus die Jovis* X. *Septembris anno* MDXXIII. *de concordi Patrum aſſenſu conſiſtorialiter de more convocatorum, Cardinalem ſub tit.* S. *Jo. & Pauli SS. Pammachii Presbyterum Cardinalem Darthuſenſem in Hispaniis creavit. Idem Wilhelmus per procuratorem cepit poſſeſſionem Episcopatus Trajectenſis die dominica* XXIV. *Julii anno* MDXXX. *& obiit Romae die dominica* XIX. *Julii* MDXXXIV. *Bulla proviſionis ſuae de Episcopatu Trajectenſi vacante per ceſſionem domini Henrici Comitis Palatini Rheni eſt data Kalendis Octobr.* MDXXIX. *Idem coronavit Carolum quintum Bononiae in templo S. Petronii, Regem Longobardiae* X. *Kal. Mart. anno* MDXXX. *ut Apoſtolicae ſedis & Clementis* VII. *Papae legatus.*

*Marchione*

no, quem e Belgis eo ſecum adduxerat. Neque tamen Hadriani auctoritas ideo ceſſaverat, quae magna profecto & apud Carolum & apud Hiſpanos ob memoriam per ſummam moderationem & aequitatem pridem habiti regiminis etiam tum erat. At vero plus caeteris, etiam ipſo Hadriano, auctoritate Chervianus pollebat. Quippe Carolus, quoniam eo a pueritia fideli educatore, ac ditionum apud Belgas praeſtrenuo curatore uſus eſſet, tum vero quia hominem plurimi uſus, plurimaeque prudentiae noſſet etiam in graviore rerum mole, ſi quando antea ſibi necesſarium duxit. Quo animadverſo, ille quanta potuit ſolertia, eandem, quam apud Belgas habuerat, auctoritatem etiam hic habere conatus eſt. Neque admodum conatus eum eluſit. Vix ullus apud novitium Regem gratiam inire, vix ullus ipſi inſinuari, aut honorem officiumve ullum adipiſci niſi ope ejus potuit. Eo propitio ferme licuit, quod lubuit, ut ſic dixerim, infenſo, vel nihil omnino vel exiguum certe. Atque adeo ſic Carolo ſemper praeſto fuit, ut vix cuiquam ad ipſum aditus pateret, niſi eo vel conſcio vel ducente. Et ne multa, proceſſu temporis nutu renutuque ejus ibant pene omnia, frementibus interim plurimis ex Hiſpanis, praeſertim nobilibus, hominem alienigenam ſibi non omnino fungis, ut videri volebant, ſic praeferri, idque apud Regem ſuae gentis, apud quem priores jure quodam ſibi deberi exiſtimabant, ut mirum dictu ſit, quantum vir generoſus ſimultatis, odiique in ea adminiſtratione vulgo adierit, ſicuti naturale

1 *Marchione Cherviano.*] Hunc *Cheurium* vocat Jovius. *Ceurenſem* Guicciardin. lib. XII. Hiſt. Ital. *Chebrium* Gomecius lib. VI. de reb. geſt. Franc. Ximen. *Civerium* Erasmus Epiſt. CCCXLIX. a Chytraeo autem in oratione de Carolo V. vocatur *Wilhelmus a Croja Areschoti Marchio, vulgo Ceurius dictus.* Ut & a Seckendorfio lib. I. Hiſtor. Lutheran. ſection. XXXVII. §. LXXXIX. In ſtemmate Ducum Arſchotanorum apud Rittershuſium *Guielmus Dominus Cerviae* (*Chievres*) *Arſchoti Marchio.* a Barlando in Chron. Brabantiae cap. CLXXIII. *Guielmus Ceverius Princeps.* a Ponto Heutero lib. VIII. rer. Auſt. *Guilihelmus Croviacus Philippi Comitis Porceani filius, primus Areſchoti Marchio, ac Cheurae Baro* nuncupatur. Clar. Perizonius in Hiſtor. ſeculi decimi ſexti ad ann. MDXXI. eum *Wilhelmum Crovacum Chevrium hominem Flandricae gentis* vocat. in diplomate vero, quo Carolus, tunc Rex Caſtellae, deinde Imperator, anno MDXVI. eum creat Ducem Soranum in regno Neapolitano, dicitur *Guielmus de Croy, Dominus de Chievre*, quod exhibet Miraeus in notit. Eccleſ. Belgii cap. CCXXVI. ubi quoque Eques ordinis velleris aurei, conſiliarius & Camerarius Primarius Caroli dicitur. Hic magna auctoritate & gratia florebat apud Carolum, imo ipſi tam gratioſus, inquit Erasmus Epiſt. DLXV. *ut penes unum propemodum videretur eſſe imperii ſumma.* & ut Gomecius lib. VI. de reb. geſt. Ximen. *per quem omnia gerebantur.* Famam tamen ſuam inſigni avaritia commaculavit, quod undique etiam ex munerum publicorum nundinatione pecuniam corraderet, & magiſtratus & officia in Hispanos conferri ſolita, exteris venderet, lautiſſima quaeque in propinquos ſuos & Gentiles conferret, & omnes immunitates, privilegia, litteras & caetera, quae in aula petebantur, venalia haberet. vid. Gomec. lib. VII. de reb. Geſt. Ximen. Guicciard. lib. XIII. Hiſt. Ital. in fine. P. Jovius Epitom. Hiſtor. lib. XX. P. Heuterus & Perizon. dd. ll. Obiit autem anno MDXXI. & quidem opportune, eo tempore, quo foedus inter Pontificem & Carolum initum fuit, quod eo inſcio, licet antea nihil niſi ex ejus conſilio & auctoritate Carolus perageret, percuſſum, unde gratia excidiſſe videtur. v. Guicciard. lib. XIV. Eum Wormaciae, dum ibi conventus haberetur, obiiſſe dicit P. Heuter. lib. VIII. rer. Auſtr. & Barland. Chron. Brabant. cap. CLXXX. qui eum ibi ſummo elogio ornat. Multi dicunt eum veneno per Hispanorum inſidias ſublatum. vid. Seckendorf. lib. I. Hiſtor. Lutheran. Sect. XXXVII. §. XCII. Vitam ejus

turale eſt, ut recte Joſephus habet, *eos qui poteſtatem habent, querelis omnium expoſitos eſſe*, praeſertim in aulis, ubi quisquis Jovi proximus eſſe ſtudet, & rerum omnium ſimulatio & diſſimulatio magis verſatur quam aequitas, & germana benevolentia. Atque id odium eo magis indies invaleſcebat, quo magis auctoritas ejus indies increſcebat, quem Carolus pro ſingulari in eum amore altius altiusque provehendum exiſtimabat, ut plerique ex amicis ſatius ducerent livori invidorum, alio ſecedendo, locum dare, quam diutius rem gerendo, malevolos magis magisque exacerbare. Quo cognito vir prudens, relicta gente ſuae moroſitati, conſilium cepit [1] excedendi ex Hiſpaniis per primam oblatam occaſionem, quae tum honeſta obvenerat.

Jam autem biennium Carolus ſic Hiſpanis jura dixerat, cum interim [2] Maximilianus Caeſar, avus ejus paternus, vita concedit. Neque multo poſt ipſe [3] Carolus ad Imperium a Germanis adſciſcitur. Quapropter cum repetitis Belgis Carolus cauſſa coronae Germanos aditurus erat, laetus ea occaſione Chervianus ſtatuit & ipſe eos adire, & praeciſis omnibus quae morari poſſent, naviter omnia itineri neceſſaria apparat, perſuadetque Carolo pro auctoritate qua valebat, primo quoque tempore claſſem conſcendere, quoniam in ejusmodi nihil ſatis feſtinari poſſit, & cunctatio omnis detrimentoſa eſſe ſoleat. Et jamjam quidem ſoluturus erat Carolus, ſed tardabat conventus, qui Barchinonae agebatur (civitas ea celeberrima Catholoniae eſt) quo non diſſoluto, neque liberum ei neque conſultum erat abſcedere. Ac diſſolutionem cauſſa Neophytorum trahebat (eos accipias [4] in praeſentia, qui e Judaismo ad ſacra noſtra tranſierunt, aut inde oriundos, quorum ingens in Hiſpaniis multitudo eſt, genus hominum praeter caeteros opibus praeſtans,

ejus deſcripſit Varillaſius, quem vide.

1 *Excedendi.*] Eum tamen cum Hadriano in Hispania manſiſſe dicit Thuanus lib. I. Hiſtor. ad ann. MDXXI.

2 *Maximilianus Caeſar.*] Obiit XII. Januarii anno MDXIX. P. Heuter. lib. VIII. rer. Belgic.

3 *Carolus ad Imperium.*] Maximiliano mortuo, Carolus & Franciscus Rex Galliae Imperium ambiebant. Cum autem Electores Germanum aliquem Principem Imperatorem habere vellent, & Franciscus Gallus, & Carolus Hispanus, ut exteri haberentur, prius delatum fuit Imperium *Frederico Saxoni*, qui ingenti animo recuſavit, & ſuo ſuffragio Carolum deſignavit, & oblatam eo nomine magnam pecuniae vim a legatis Caroli generoſo animo rejecit, & iis, qui in ejus familia erant, ne vel teruntium acciperent, mandavit. vid. Sleidan. I. comment. ad ann. MDXIX. Chytraeus lib. I. Saxon. pag. XXXV. Jovius lib. IV. vita Leonis decimi. P. Heuter. lib. VIII. rer. Belgic. Erasm. epiſt. CCCCL. CCCCLXXIV. & DXII. Leo autem Papa favere dicebatur Francisco, verum poſtea Electoribus, mutato conſilio, commendavit Carolum, licet non ſincere, ut dicitur a Cabrera in vita Leonis decimi. & ita Carolus praelatus Francisco, Imperator electus eſt. vid. Guicciard. lib. XIII. Hiſt. Ital. Thuan. lib. I. Hiſt. ad ann. MDXIX. Ferronus lib. V. rer. Gallic. & Chytraeus lib. VI. Hiſt. Saxon. pag. DXC. & ſeqq. & Barlandus Chron. Brabant. cap. CLXXVIII. & Sabinus, qui Hiſtoriam electionis & coronationis Caroli VI. conſcripſit, quae edita eſt Moguntiae ann. MDXLIV.

4 *In praeſentia.*] Aliter enim *Neophytus* dicitur novellus Chriſtianus, recens baptiſatus. vid. Sirmondus in not. poſt. ad conc. Arelatens. ſecund. & Ziegler. de Episcop. cap. IV. §. LXXIII.

*Sancta*

ſtans, & ad comparandas eas mire ingenioſum, miro quoque inter ſe ſtudio cohaerens, ut ſi unumquempiam laeſeris, omnes laeſiſſe videaris) Ii auxiliantibus gentilibus & fautoribus, ſumma ope contendebant, quod eo conventu ſciſceretur contra morem eo usque uſurpatum, legibusque publicis conſentaneum, ut nomina eorum, qui contra ipſos de haereſi aut relapſu ſive reos ſive vinctos, teſtimonium dicerent, ipſis ederentur. Quod ſi impetraſſent, verendum erat ne propter pericula, quae proditis teſtibus oriri poterant, vel ab ipſis reis jam reſtitutis, vel a ſtudioſis eorum Neophytis aliis, facile quisquam contra eos teſtari auderet. Atque ita metu delationis ſublato, paulatim [1] ſancta Inquiſitio intercideret. Sed & timendum fuit, ne ubi homines callidi teſtes noſſent, eos pretio, gratia, aut metu propoſito, aut alia ratione, ad mutanda teſtimonia corrumperent, atque interim illi ſuperſtitiones ſuas libere repeterent, apud rudem quoque Chriſtianorum plebeculam licentius diſpergerent. Atqui fucatis rationibus, ſimul & magnis largitionibus, jam plurimos ex regiis conſiliariis in ſententiam ſuam adduxerant, atque adeo ipſi Carolo quoque rem ſatis probabilem fecerant. Verum is nihil ſtatuere, quia negotium religionis, magnique ponderis eſſet, niſi de ſententia Hadriani voluit, utpote qui Inquiſitoris munus tum obiret, ſuffectus a ſede Apoſtolica, adnitente Carolo, in loco defuncti pridem [2] Franciſci Ximenis Archiepiſcopi Toletani modo dicti, qui annis plurimis eo functus fuerat. Id temporis Hadrianus in ſede Epiſcopatus ſui erat Dertuſae. Ea ſita eſt ad Iberum amnem, non multis millibus a mari mediterraneo. Huc per curſores alios ſuper alios, ad eum a Carolo miſſum fuit, ut petitioni Neophytorum ipſe Inquiſitor quoque annueret, praeſertim quia non omnino ab aequitate abhorrere videretur, & alioquin a Catalonia diſſolvi non poſſet, cum ipſe noſſet, quanti ſua totiusque Germaniae intereſſet, omni abrupta mora, protinus inde excedere. Verum Hadrianus, [3] quemadmodum antea in conventibus Caſtellae & Arragoniae, conatus horum hominum ſemper ſtrenue eliſerat, ita tum quoque elidebat, reſcripſitque ad plurimas Caroli litteras in eandem ſemper ſententiam, neminem eſſe omnium qui lubentius Principi ſuo obſequi in omnibus vellet, quibus poſſet, modo in rem eſſet, & ſalva pietate poſſet; verum ea in re minime poſſe, quoniam pietas religioque obſtarent, quamvis prima ſpecie minime videretur,

1 *Sancta inquiſitio.*] Tribunal illud crudeliſſimum inſtitutum eſt anno MCCCCLXXVII. a Ferdinando & Iſabella, contra Judaizantes, aliosque haereticos vid. Lucius Marineus Siculus lib. XIX. Cujus hiſtoria cum notiſſima ſit, nos plura non addemus.

2 *Franciſci Ximenis.*] Vid. Gomecius lib. III. de reb. geſt. Franc. Ximen.

3 *Quemadmodum antea.*] Vid Gomec. lib. VI. de reb. geſt. Franc. Ximenii.

Carolus

tur, ob cauſſas quas plures altiusque ipſe perſpiceret, quam fortaſſis alii, qui ſimplicitati ejus diverſum perſuadere ſtuderent. Ideoque fixum ſibi eſſe potius cedere Inquiſitionis officio, quam eo uti aliter quam oporteret, id quod paulo poſt etiam re ipſa fecit. Nam ubi nullas ſuas ſatisfactiones, nullas rationes recipi videret, arceſſito Notario, ſive Actuarium dicere malis, & adhibitis teſtibus, ipſum depoſuit, & depoſitionis inſtrumentum ilico ad Carolum transmiſit. Qui animadverſa invincibili ejus conſtantia, petitionem vafrorum hominum in totum rejecit, & officium Inquiſitionis pro arbitratu agere juſſit ſicut antea, ac via alia inventa eſt, qua a Cathalonia diſcederet. Siquidem erat Hadrianus eo ingenio, ut mature prius de agendis conſultaret, nullius omnino ſpreto conſilio, non etiam multo inferiorum, atque adeo ſubinde ne famulorum quidem. At ubi quippiam agendum firme decreviſſet, non facile nec gratia, nec pretio, nec metu ſententia moveretur, uti moris eſt plerisque, qui ſicuti ad omnia decernenda praecipites feruntur, ita levi momento decreta mutant. Quod tamen multis in eo argumentum ingenii praefracti, & plus aequo ſibi tribuentis viſum fuit. Verum ille ſola recti conſcientia contentus, potius quid ſe facere aequum eſſet intuebatur, quam quod alii, adfectus ſecuti, probaturi forent.

## CAPUT XVII.

### *Singularis pietatis Hadriani ſpecimen in miniſtrum quemdam.*

Neque vero mihi hic premendum illius ſingularis pietatis ſpecimen, quod edidit quo tempore Carolus conventum illum Barchinonae habebat. Proficiſcendum ei aliquando ex aula, quae tum non longe a Barchinona agebat, ad Epiſcopatum ſuum Dertuſenſem fuit, cum pauperculus quidam, qui recens in Domum ejus venerat, vix aut nondum in familiam receptus, graviter quartana febri laboraret, ut Medici de vita ejus tenuem admodum ſpem oſtenderent, cumque non liqueret, quo pacto tam aegrotus per longas difficilesque vias, ſine diſcrimine transferretur, ex communi decreto conſultiſſimum viſum erat, hominem relinquere Barchinonae, mandata ibi cura ejus fido alicui & probo, usque dum Hadrianus eo rediſſet. Quod reſciſcens ille, reputansque graviſſimum eſſe, aegrum decumbere in regione longinqua apud alienos & ignotos, incredibili dolore affici, manantibusque lachrymis rogare coepit per omnia ſacra, ne ſe relinquerent, uti decreviſſent, alioquin haud dubie moerore extinctum iri. Hadrianus igitur, quando

modus

modus alius transferendi hominis non ſuccurrebat, geſtatorio ſuo undique clauſo, quo vel equitando laſſus, vel alioquin minus valens, ipſe uti ſolebat, ei ceſſit. Ipſe vero magna cum moleſtia, quia hernia cruciabatur, totum illud iter, quod pergrave & difficile erat, equitando confecit. At neſcio quomodo miſellus ille, de cujus ſalute paulo ante vix ulla ſpes reliqua erat, etiam quiete lecto decumbentis, ea commoditate revaluerit. Quam paucos offendas, qui id officii vel familiariſſimis exhibeant, quanto pauciores, qui miniſtris quibuslibet, quos nonnulli ut mancipia habent, ſed pauciſſimos, qui miniſtris recens adſcitis, quos plerique pro alienis ducunt.

## CAPUT XVIII.

*Carolus in Germaniam transmiſſurus, Hadrianum Hiſpaniis praeficit, qui ſeditiones & turbas compeſcit, & Carolo regnum Navarrae conſervat.*

Compoſitis autem rebus Cathaloniae, [1] Carolus ilico impulſu Cherviani Compoſtellam maturat, mox ad portum, inde transmiſſurus mare in Germaniam, prout inter eos convenerat. Eo inſecutus Hadrianus eſt, non perinde officii cauſſa, ut cupidus una trajiciendi in Belgas, ſive amore quietis, ad quam diu antea ſuſpiraverat, toedioque curarum profanarum, quas indies magis cumulari videbat, ſive jam tum certis notis conceptam cernens illam [2] peſtiferam ſeditionem, quae paulo poſt digreſſum Caroli inter plebejos & nobilitatem erupit, per quam in Hiſpaniis agere certe jucundum ei non foret. Verum Carolus memor quanta felicitate vices ſuas abſentis antea apud Hiſpanos obiisſet, [3] vehementer concupivit eum ibi manere, [4] ſuſcepta iterum rerum cura, ſicut antea. Cujus petitioni cum diu reluctatus eſſet, praeſertim pro-

1 *Carolus ilico.* ] Carolus Imperator cum eſſet renuntiatus, Proceres Germaniae ad eum miſerunt *Fredericum* Comitem Palatinum Ducem Bavariae, (quamquam *Fredericum Palatinum* & Ducem Bavariae diverſos faciat Mutius, & dicit hos duos ut legatos a Principibus Germaniae ad Carolum miſſos fuiſſe lib. XXXI. in princip. Chron. Germ.) cum quo Carolus claſſem conſcendit, & ſalutato prius in transcurſu *Henrico* VIII. Rege Angliae, adplicuit, & anno MDXX. die XXI. vel ut alii XII. Octobris Aquisgrani coronatus eſt. Uti referunt Marneranus de Geſt. Caroli V. Imp. in princ. & Chytraeus VI. Hiſt. Saxon. pag. DCXXIV. P. Heuterus lib. VIII. rer. Belgic. & Sabinus de Electione & coronatione Caroli V. circa finem.

2 *Peſtiferam ſeditionem.* ] Turbas has & ſeditiones memorat Jovius cap. VI. ubi vide.

3 *Vehementer concupivit.*] Vid. Miraeus Elog. Belgic. in Hadriano VI.

4 *Suſcepta iterum.*] Toti *Hispaniae cum imperio praefectus*, dicit Locrius ad ann. MDXX. & Miraeus Elog. Belg. in Hadriano VI. *a Carolo cum regia auctoritate in procuratione utriusque Hiſpaniae relictus.* Surius comment. rer. in orb. geſt. ad ann. MDXXII.

propter caussas memoratas, tamen quia Principi suo nihil honestum denegandum putabat, quantum facultas modo ferret, tandem concessit. At provinciam capessens, una cum aliquot additis collegis regni primoribus, ea rursus fide vigilantiaque gessit, ut ejus potissimum virtuti tribuendum sit, quod non omnia in iis regnis, ruinis, incendiis, coedibusque funditus funestata fuerint. Possunt fidem facere, quibus res plenius cognita est, qui tum inibi fuere. Caussa fuit seditio illa, de qua dixi, quae ortum duxit, quantum accepi, ex opinione avaritiae, & impotenti dominatione aliquorum, quorum opera in rerum actu Carolus potissimum utebatur, quorum commentis plebs inusitatis oneribus sibi premi, solitaque libertate exui visa est. Hinc primum odium adversus Regem, & illos duntaxat, mox in universos etiam nobiles conceptum, quod deinde sermonibus atrocibus per circulos & coetus altum, eo usque excrevit, ut tandem in manifestum furorem evaserit. Nam trucidabantur multi civitatium Praesides, & ex optimatibus alii immaniter in vincula conjiciebantur, alii amissis fortunis, nudi foede in fugam agebantur, alii aliis rationibus indigne habebantur, uti fieri solet in furorem verso vulgo. Et nisi solertia Rectorum diligenter providisset, consilium male sanis erat, universam nobilitatem aut funditus excidere, aut certe in ordinem cogere, opibus eorum ad modum plebejorum adaequatis. Quale quid etiam [1] Rusticos in superiore Germania nuper conatos vidimus, quod si processisset, verendum fuisset, ne tam inclyta piaque Christiani orbis pars, in multos annos miserabiliter deformata jacuisset, cum ingenti jactura rei Christianae, magnaque commoditate Afrorum, qui per eam occasionem in eum tractum irrumpere, omniaque ibi sui juris, suaeque religionis facere potuissent. Sed neque Hadrianus ab eo periculo satis sibi tutus videbatur, dum Valleoleti caussa praesidii contra seditiosos parandi consistens, venientibus eo aliquot popularium copiis, duce [2] *Petro Girone*, querelas partis suae ad ipsum delaturis, diruptis urbis muris, sibi clam fuga consuluit. Quae utique tempestas facile excludi potuisset, si ubi primum Carolus clavum ipse arripuerat, ita consiliis Hadriani, ut quorumdam aliorum Belgarum, usus fuisset. Quippe Hadrianus magnum rerum Hispanicarum usum acceperat ex priore illa administratione cum Francisco Ximene, & gentis indolem moresque propius noverat, ideoque optimam regiminis formulam Carolo tradere

pag. CXIV. *Vicem ejus in Hispaniis gerens.* Id. ad d. a. pag. CXIX. *Gubernator Hispaniae constitutus* Seckend. Hist. Lutheran. lib. I. section. LVI. §. CXL.

1 *Rusticos in superiore Germania.*] Accidit hic tumultus anno MDXXV. quem *fatalem* vocat Erasm. ep. DCCXLVII. & edito libello ex professo describserunt Petrus Gnodalius Basileae anno MDLXX. qui & habetur in tom. II. German. antiq. Schardii pag. MXXXI. ut & Joh. Atrocianus Basiliae ann. MDXXVIII.

2 *Petro Girone.*] Vid. Jovius cap. VI.

Regnum

dere potuisset, tum autem summa apud omnes gratia, & opinione integritatis & prudentiae erat: quo factum fuisset, ut ubi persuasum esset, novellum Regem de consilii ipsius sententia pleraque gerere, multo ea plausibiliora fuissent, majoris etiam firmitatis roborisque, cum plebs, quae temeritas ejus est, in amplectendis vel rejiciendis imperiis, saepe magis auctores eorum, quam pondus sequatur. Porro alii illi Belgae, neque Hispanis extra paucos, qui ad Carolum in Belgas venerant, noti erant, neque jam apud gentem agentes ullo pacto aut gratiam aut fidem colligere poterant. Quo fiebat, ut dum Regem omnia ex arbitrio eorum agere in animum inducerent, plurima decreta parum gratiosa, aut potius odiosa essent. In ea autem turba Hadrianus ea se moderatione gessit, ut cum collegae sui, sicut & tota nobilitas, summo odio essent, ipse solus utriusque partis inconcussum favorem retineret. Nobilitatis quidem, quia simpliciter rationibus eorum Carolique consuleret, nulla cum seditiosis collusione habita, quos si dissimulando fovere voluisset, tum Carolum, tum nobilitatem omnem, gravi utique clade ferire potuisset. Apud plebem vero gratiosus erat ob integritatem spectatam eis in priore administratione, qua adhuc ob oculos obversante, persuadere sibi non poterant, eum quicquam consulturum, quod non plurimum publice privatimque ipsis conduceret, aut partes nobilitatis ullo pacto firmiores faceret, cum interim per collegas ejus nihil omnino in seditiosos sanciretur, nisi de consilio ejus, nullum item edictum nomine Regis ederetur, quod non ipsius quoque calculo & chirographo probaretur. Verum odio amoreque praestricti homines plebeji, si quid plausibile in decretis edictisque inesset, id sinceritati ejus adscribebant, si quid odiosum, impotentiae aliorum tribuebant. Sed & illud fidem administrationis ejus declarat, quod sub idem ferme tempus, si non solus, at certe praecipuus inter collegas, [1] regnum Navarrae Carolo conservarit. Quid recenseam, quod saepenumero creditoribus Regis, praesertim militibus, qui-

1 *Regnum Navarrae.*] Vid. Jov. cap. VII. Julius Papa, Romae concilio habito, non tantum proscripsit Cardinales illos, qui Pisis concilium indixerant, ibique eum Pontificatu indignum pronuntiaverant, verum & ipsum Regem Galliae, & omnes ejus foederatos. Inter quos cum esset Johannes Navarrae Rex, eo praetextu Ferdinandus incitatus a Julio ut Gomecius lib. v. de reb. gest. Franc. Ximen. refert, invadit Navarram, & suis ditionibus adjecit ann. MDXII. vid. Guicciard. lib. XI. Hist. Ital. & Ælius Antonius Nebrissensis, qui duobus libris Historiam hujus belli conscripsit. vid. & Chytraeus lib. v. Saxon. p. DXVII. & Jovius lib. III. de vita M. Consalvi. & Ferron.[1] lib. IV. rer. Gallic. & postea anno MDXV in perpetuum Castellae regno conjunxit. Guicciard. lib. XII. Deinde Franciscus primus Galliae Rex, pactione Noviodunensi inita, inter alias conditiones pactus erat restitutionem regni Navarrae, quam quidem concesserat Carolus, sed reddere distulerat. Itaque Franciscus, captata occasione motuum horum Hispanicorum, Navarram invaserat, & primo impetu etiam occupaverat, sed deficiente ab eo Carolo Borbonio, cui per matrem Regis ablata erat haereditas, Carolus recepit Navarram. Guicciard. lib. XIII, & XIV. & Thuan. lib. I. Histor. ad ann. MDXXIII. & Jovius

 lb.

quibus ſtipendia emerita erant, Praefectis regii aerarii inopiam excuſantibus, aliisque potentibus mutuare recuſantibus, ipſe de ſuo dependerit, incertus recepturus aliquando an non, idque ne dilata ſolutione, Rex aut Respublica verſuram facere, aut aliud quippiam oneris ſubire cogeretur. Quale eſt etiam quod pleroſque Hispanos viros generoſos, qui per iniquitatem fortunae, aut caſu alio ad inopiam recidiſſent, non raro ſubſidio juvit, quemadmodum poſtea Romae quoque Pontifex Maximus ſubinde magna pecuniae vi nonnullos magnates & Cardinales egentes fulſit. Plura quidem de eo Cardinale praeterea memorari poſſunt, ſed quando haec fere praecipua ſunt, ad alia tranſeo, expediamque quomodo ad Pontificatum venerit, quodque in eo geſſerit.

## CAPUT XIX.

### *Hadrianus abſens, & Romae incognitus, Papa eligitur.*

Jam autem plus minus triennio Cardinalis fuerat, Carolusque ad Imperium admotus, atque eam ob cauſſam ab Hispanis abſens erat, turbaeque illae Hispanicae, de quibus memoratum eſt, probe compoſitae, cum [1] *Leo Decimus* ejus nominis Pontifex Maximus, interim Romae [2] febri moritur. Cum ergo Patres de more ſolenni [3] ad Comitia coirent, ſurrogaturi quempiam in demortui locum, non ſatis in unum quempiam conſentire poterant. Juniores in *Julium Medicem*, virum luculentis opibus, multisque elientelis, tum rebus plurimis recens feliciter geſtis florentem, propenſiores erant. (Is poſtea Pontifex *Clemens* ejus nominis

lib. III. de vit. Ferdin. Davali Piscarii. P. Heuter. lib. VIII. rer. Belgic.

1 *Leo Decimus.*] *Johannes Mediceus* dictus, qui ab Innocentio VIII. annum agens XIV. aetatis Cardinalis creatus erat, ſorore ejus *Magdalena* nupta *Francisco Cibo*, Innocentii VIII. filio ſpurio. Polan. Hiſt. conc. Trid. lib. I. pag. V. & anno MDXIII cum tantum XXXVII. aetatis annum adtigiſſet, Pontifex ſalutatus eſt. Guicciard. lib. XI. Hiſt. Ital. vitam ejus deſcripſit Jovius. vide & de eo Pier. Valerian. lib. I. de Litterat. infelic. pag. CCLXX.

2 *Febri.*] Anno aetatis XLVII. vid. Jovius cap. VIII. Plurimi tamen tradunt Leonem veneno periiſſe, ut Surius comm. rer. in orb. geſt. ad ann. MDXXII. pag. CXIV. P. Jovius Epitom. Hiſtor. lib. XX. Pont. Heuterus lib. VIII. Rer. Belgic. Ferron. lib. V. Rer. Gall. qui dicit *veneno vel pituita.* Et venenum ipſi propinatum a Barnaba Malaſpina, ſecretiore Cubiculario, refert Thuanus lib. I. Hiſtor. ad ann MDXX. Quamvis P. Daniel in Hiſtoria ſua Galliae tom. V. in Francisco I. pag. XCII. dicat, ſtatim ac Cardinalis Mediceus Romam venerit, calumniam hanc fuiſſe detectam, & Barnabam vinculis ſolutum, & innocentem declaratum. Mortem tamen ejus non caruiſſe ſuſpicione veneni tradunt & Sleidanus lib. III. comm. Cabrera in Leone X. Jovius lib. IV. Elog. Leon. X. & lib. II. de vita Ferdinandi Davali Piſcarii. Galeacius Capella comment. de reb. geſt. pro reſtitut. Francisci Sfortiae lib. I. & Papebrochius in Propylaeo ad Acta Sanctor. Maj. in conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalog. Pontif. part. II. pag. CLI.

3 *Ad comitia.*] Conclave Hadriani exhibent Struvius tom. III. Act. litterar. & Papebroch. d. l. & nos infra producemus. vid. & Jovius cap. VIII.

nominis *Septimus* erat.) Seniores alii in alios, magna pars in *Alexandrum Farnesium*, virum cum multis aliis nominibus, tum nobilitate apud Romanos insignem, inclinabant. (Is ad praesens Pontifex Maximus *Paulus Tertius* est.) Adeoque diu ea contentio tenuit, neutra parte alteri cedere volente, ut populares nonnihil offendi, atque adeo fremere coeperint, praesertim quia longior mora plerosque perditos, quorum tum messis agitur, ad studium rerum novarum, & quietem publicam exagitandam, facile concitare posset. Ad extremum *Julius Medices* mirum dictu, motus narratione [1] *Thomae Cajetani* Cardinalis divi Sexti, latissime exponentis Hadriani dotes, probitatem & eruditionem, probantisque Pontificatum non pro humanis studiis, sed ex aequo & bono, sincereque dari debere, non alium quam Hadrianum creandum censet. Cui protinus accessere suffragia aliorum Patrum pene omnium. [2] Unus [3] *Franciotus Cardinalis Ursinus* refragabatur. Atque ita Pontifex Maximus Hadrianus, [4] renuntiatus est [5] absens, reique plane ignarus, [1] neque vel somnio aliquid

1 *Thomae Cajetani.*] Fuit hic totius ordinis Praedicatorii Magister Generalis, & Cardinalis creatus a Leone decimo, & ab eo in Germaniam missus, ubi cum Luthero disputavit. Sleidan. I. comm. Polanus I. Histor. Conc. Trident. Paul. Langius Chron. Citizens. ad ann. MDXIII. & Mutius in Chron. German. lib. XXX. in fine. Et summus habebatur Theologus, & quem *acutum*, *brevem & acerrimum disputatorem* vocat Alciatus in Epistola ad Calvum VIII. inter Guidianas. Hunc autem auctorem fuisse praecipuum electionis Hadriani tradit & Capacius lib. II. Histor. Neapolit. cap. XVIII. ubi Hadrianum nostrum egregio ornat elogio, eum vocans *spectatissimae & integerrimae vitae virum, sapientem, doctum, & gubernandi gnarum.* Describit quoque ibidem Capacius natales, vitam & gesta hujus Cardinalis Cajetani, quae ibi legi possunt. vid. & Ferdin. Ughell. Addit. ad Ciaccon. in Leone X. pag. MCCCCXXI. ubi quoque recensentur ejus scripta, de quibus & videri potest Jacob a S. Carolo in Biblioth. Pontific. lib. II. pag. CCCCXLVIII. Plura de eo videri possunt apud Sander. Elog. Cardinal. pag. CXCV. Roccum Pirrum in notitia Siciliae sacrae lib. I. pag. CXXXII. Anton. Senens. Biblioth. Praedicator. pag. CCLIII. Chastaigner Nomencl. Cardinal. pag. CXVII. & Heusdenum in Historia Episcopatus Trajectens. quae prodiit in folio tom. II. pag. CXXXII. Guicciardinus vero lib. XIV. narrans electionem Hadriani nostri, dicit, quod *cum mane quodam de more in conclavi sortitio fieret, & Hadrianus, nemine de illo eligendo cogitante, sed tantum ut tempus illud extraheretur, esset propositus, & aliquod pro illo suffragium apparere coepisset, Cajetanus Cardinalis perpetua fere oratione ejus virtutes, eruditionemque commendavit, quare, nonnullis ei cedere incipientibus, reliqui ordine, potius impetu quam consilio ducti, secuti sunt.* Verum eum refellit optime Heusdenus in Historia Episcop. Traject. tom. II. pag. CXXVI.

2 *Unus.*] Vid. Val. Andr. Bibl. Belgic. *unde quadraginta purpuratorum suffragiis*, dicit Miraeus Elog. Belgic. in Hadriano VI. & Auctar. de script. Eccles. §. DXXXVI. & Sweertius Athen. Belgic. pag. XCV.

3 *Franciottus Ursinus.*] Hic a Leone X. in magna illa Cardinalium promotione simul cum Pompejo Columna in Cardinalium collegium cooptatus erat. Cabrera in Leon. X. Quod facinus Leonis ut imprudens judicatum est, & consilio Pontificis Julii decessoris plane contrarium, qui procerum Romanorum potentiam deprimere volens, numquam aliquem ex Ursinorum vel Columnarum familia in ea dignitate collocare voluerat, uti notat Guicciard. lib. XIII. Histor. Ital. Hic ergo *Franciottus Ursinus* dicens Hadrianum a se numquam visum, neque virtutis opinione plane cognitum, huic electioni refragabatur. vid. Andr. Victorell. in addit. ad Ciaccon. in Hadriano VI.

4 *Renunciatus erat.*] Scilicet die Jovis V. Idus Januar. vid. Onuphr. Panvin. Chronic. Romanor. Pontific. ad ann. MDXXII.

5 *Absens.*] Raro & inusitato sane exemplo, dicit Valer. Andr. Fast. Lovan. pag. XCV. Miraeus & Sweert. Ath. Belgic. dd. ll. cum *nec familiam Romae haberet, nec in urbe degeret*, ait Launojus Epistol. IV. pag. CCCI. vid. Sleid. lib. III. comment. & Perizon. Histor. seculi decimi sexti ad ann. MDXXII. *Nec enim*, ut recte observat Robertus Creyghton in prae-

quid tale futurum praesumens, ut ipse *Cajetanus* in epistola ad Hadrianum, quam liminarem commentariis in tertiam partem Thomae Aquinatis praescripsit, aperte testatur, [2] mirantibus Romanis omnibus, ipsis etiam Patribus stupentibus, quonam acti spiritu tanto consensu in hominem exterum, adeoque in extremis Germaniae finibus natum, [3] urbi incognitum, nec visum umquam, ac [4] plerisque ne de nomine quidem notum, tanto denique locorum spatio dissitum, statim concordarint. Ex quo protinus liquet, non esse cur ibi aliquid vel pretio, vel amicitiae, vel favori denique [5] Caesaris datum quisquam dicat, (Nam [6] *Joannes Manuel* id temporis Caesaris in urbe Legatus, quem suspicio esse posset pro Hadriano incubuisse, pro alio nescio quo, potius enisus ferebatur.) sed rem [7] vi quadam divina gestam esse: unde constaret quam mire subinde *e ster-*

praefat. ad Sylvestri Sguropuli Historiam Concilii Florentini, *id omnibus datum est, quod Hadriano ejus nominis sexto Pontifici maximo, qui plerisque Cardinalibus ignotus, & in umbra otii litterarii delitescens, absque vel ambitione sua, vel alieno adminiculo, ad Papatum ab ultima Cantabriae ora pervolavit.* Et licet hoc rarum esset & inusitatum, legibus tamen non contrarium erat; inter enim leges, quae in Comitiis Romani Pontificis observari debent, quas exhibet Ciacconius in vita Gregorii x. exstat & haec: *Ut non solum Cardinales absentes, sed & omnes cujusvis ordinis & conditionis homines in Romanum Pontificem creari possint.* Et jam ante Hadrianum plures Papae a Roma absentes Pontifices creati sunt, ut Caelestinus v. Clemens IV. Clemens v. Urbanus IV. Gregorius x. Urbanus v. aliique.

1 *Neque vel somnio.*] Praeter suam & omnium aliorum exspectationem dicit Chytraeus lib. VII. Histor. Saxon.

2 *Mirantibus Romanis omnibus.*] Imo iis iratissimis, cum delatum hoc tantum munus ad hominem externum, nec ante visum, vehementer dolerent. Sleidanus lib. III. comm. unde Cardinales patefacto conclavi, a populo Romano maledictis incessiti sunt. Jovius cap. VIII.

3 *Urbi incognitum.*] Numquam enim Italiam viderat Hadrianus. Perizon. Hist. secul. decim. sext. ad ann. MDXXV.

4 *Plerisque.*] A nemine in Italia cognitus dicitur a Capacio lib. II. Hist. Neap. cap. XVIII.

5 *Caesaris.*] Plurimi tamen tradiderunt, eum favore Caroli in Pontificem electum. ut Sweertius Athen. Belgic. pag. XCV. & Struvius tom. III. Act. litter. In gratiam Caesaris electum dicit & Ferronus lib. V. Rer. Gallic. & Halma in Theatr. Foeder. Civitat. in Adriano. & illud quoque suadere videntur versus subscripti ejus effigiei, quam exhibet Boissard. tom. III. Icon. pag. XIX. ubi hi versus leguntur

*Orbis Pontificem summum me maximus orbis*
*Caesar pro meritis gratior ipse facit.*

Certe numquam illustriori judicio coelestem favorem in amplificanda Caesaris fortuna patuisse, quam in electione Hadriani dicit Thuan. lib. I. Hist. ad ann. CIƆIƆXXI. cum *nihil fortunatius aut optabilius Caesari accidere potuerit, quam eum dari Pontificem, qui nulla privata caritate incensus, ut fere omnes Itali, solius publicae tranquillitatis, ad quam natura sua vir ingenii humilis propensus erat, rationem haberet, & res Caesaris, ut bene meriti de se alumni ac munificentissimi Principis, constanter foveret, & conservaret.*

6 *Joannes Manuel.*] Hic dicitur *Usu gravissimarum rerum insignis.* a Jovio lib. IV. vit. Leon. X.

7 *Vi divina.*] Hinc Coelius Calcagninus orat. ad Hadrianum, quae extat inter ejus opera pag. DXXVII. Hadrianum adloquens: *Tu unus omnium,* inquit, *integerrimi nominis & magnae celebritatis Princeps, ad augustum illud fastigium pervenisti, non hominum magis judicio, quam Dei nutu provectus.* & paulo post, *ad sanctum hoc fastigium divina bonitas, & tua te virtus provexit. Quem* dicit Erasm. epist. DCXXXIII. qua ipsi Arnobium in Psalmos dedicavit, *ad illud dignitatis fastigium, non ambitio, non ullus favor humanus, sed ut confidimus omnes, propitii numinis voluntas evexit.* Et coelesti potius, quam humano nutu summam rerum sacrarum dignitatem adeptus dicitur in vit. Pontif. Ciaccon. in Hadriano VI. & *coeli providentia orbi Pontificem dedit Hadrianum eximia sacrarum litterarum doctrina atque omni virtutum genere ornatissimum virum* inquit Barland. in Chron. Brab. cap. CLXXX. Guicciardinus vero lib. XIV. iniquior Hadriano nostro, ut plerique Itali, haec deridet, & dicit, illos *qui eum elegerant, cum nullo modo rationem adferre possent, cur in tantis Ecclesiae molestiis barba-*

*e stercore erectus pauper*, ut verbis utar Psalmographi, *beneficio meritorum, locetur cum Principibus*, sicuti Patriarcha Joseph a poedore carceris ad regimen Aegypti, & ipse Propheta David ab ordine opilionum ad imperium gentis totius Israeliticae traductus fuit. Tametsi non desint, qui eam fortunam [1] olim etiam tum juveni, a Mathematicis nescio quibus, qui futurorum notitiam sibi vindicabant, ei praedictam ferant, quod dum nasceretur stella nescio quae, ingentis magnitudinis ad finitoris lineam eluxerit, aliquid tale portendens. Sed fidem ejus judicii illi vindicent. Equidem ejusmodi praesagiis cum *Ambrosio*, *Augustino* & *Gregorio*, parum tribuendum censeo. Ipse quoque Hadrianus ejusmodi aliquod de se olim progno-

*barbarum hominem, tanto regionum intervallo absentem, & cui neque anteactae vitae merita, neque cum aliis Cardinalibus, quibus nomen ejus vix erat cognitum, aliqua consuetudo gratiam conciliabant, quique Italiam neque viderat umquam, neque se visurum vel sperabat vel cogitabat, Pontificem creassent, cum aliter praeposteram hanc electionem excusare nequirent, caussam in divinum spiritum, qui, (ut ajebant) in Pontificibus eligendis Cardinalium mentes adflare soleret, transtulisse.* Verum haec livori Italorum adscribenda sunt, qui aegre ferebant hominem exterum Italis praelatum. Unde & P. Jovius Epitom. Histor. lib. XX. dicit *Hadrianus in Leonis locum suffectus, mira & certe pudenda, si Italiae decus respiceretur, Senatorum factiosorum suffragatione, quum festinatis comitiis hominem apud Batavos extremi Oceani natum, & tum in Hispania agentem, virtutis nomine cunctis Senatorii ordinis praetulissent.* Constat certe Hadrianum nostrum nulla prensatione aut ambitione dignitatem hanc sibi comparasse; verum summam ejus eruditionem, & morum integritatem fecisse, ut ad tantum honoris fastigium evectus sit, ut recte observat Launojus Epist. VII. pag. CCCXL. *Multiplex scientia, Philosophia, Theologia, Juris utriusque cognitio, & omni virtutum genere cumulata natura fecerunt, ut Hadrianus absens, nihil minus cogitans, in Pontificem optaretur.* Pallavicinus, notante Seckendorf. Hist. Luther. lib. I. Sect. LVI. §. CXL. dicit, *Theologicam peritiam, & fervorem ejus pro Ortodoxia, caussas fuisse quare eligeretur, ut ita doctis haereticis, (scil. Lutheranis) opponere possent doctiorem Pontificem.* Et summae ejus pietati, & divinis animi dotibus, quoque adscribit Ludovicus Vives epist. tom. II. pag. DCCCCXXXIV. *Tu Hadriane*, inquit, *ad fastigium rerum humanarum sola vita innocentissime acta evectus, ostendisti locum adhuc esse virtuti, ejusque respectum non prorsus humanis mentibus excidisse.* Ubi porro ostendit maxime eum dissimillimum fuisse suis decessoribus. & Ferronus lib. VI. Rer. Gallic. pag. CLXLV. *Quem virtus & eruditio, & Dei optimi beneficium, novum hominem & terrae filium in editissimo auctoritatis fastigio collocavit.* & Miraeus Elog. Belgic. in Hadriano VI. *Hadrianus nullo majorum splendore commendatus, suis duntaxat meritis ad summum illud ac divinum in terris solium conscendit.* & Vernulaeus lib. III. Acad. Lovan. X. *Hic est ille, qui solo virtutis & doctrinae suae merito humanae culmen dignitatis adtigit, & quo altius in terris adscenderet non habuit, hic est ille, qui inusitato exemplo docuit, nihil nimis arduum virtuti, nihil desperandum industriae.* & Malincrot de Pontific. Germ. *Sibi & excellenti ingenio suo, studiosae industriae, & eximiae probitati debuit, quod per varios honorum gradus adscendens, gloriaeque iter emenuens, ad ultimum ipsam supraemae inter homines dignitatis arcem tenuit.* & virtuti ejus quoque adscribit Benedictus Arias Montanus, ubi eum loquentem de se ipso facit:

*Regnat ubi in terris prudens vir, constat & almae*
*Virtuti in terris, quod meret ipsa decus.*
*Dat mihi & haec teneros formanti Caesaris annos,*
*Orbis Pontificem me facit haec eadem.*

Apud Boissard. tom. III. Icon. Et Chassanaeus Catal. glor. mund. part. I. pag. LXXVI. *Adrianus VI. ob ejus ingentissimas virtutes, a Cardinalibus incognitus, Spiritu Sancto inspirante, in summum Pontificem electus est.*

1 *Olim etiam tum juveni.*] Vaticinationem de Hadriani Pontificatu habet Baco Verulamius Histor. Henrici VII. pag. MXXXVI. oper. Verul. scilicet praedictum dicebatur ab Hariolo quodam Leoni successurum, cujus nomen esset Hadrianus, senex humili loco natus, sed doctrina & prudentia eminens. An autem Hadriano, antequam Pontificiam sedem obtineret, haec vaticinatio innotuerit, non memorat Verulamius, & aliam intelligere videtur auctor noster, de qua ipse, & quidem merito, dubitat.

Boni

prognosticum Lovanii in scriniis relictum, factus Pontifex ilico flammis dari jussit. At vero incredibile dictu, quam re nova inopinataque passim sermonibus celebrata, [1] boni omnes gaudio exultarint. Nemo dubitabat, aut illo Pontifice, aut alio vix ullo rem Catholicam tot annorum serie misere procumbentem, indiesque in pejus devergentem, [2] in melius erigendam. Sperabant Germani, sperabant Hispani, sperabant omnes, quotquot bona ingenii ejus propius cognita erant. Quae utique spes nulla in parte eos fefellisset, si quid conjectura augurari licet, si longior in Pontificatu vita contigisset. Siquidem nihil jam olim aeque in votis habuerat, quam existere quempiam, qui pulcherrimum illud facinus bona fide aggrederetur. At vero raptus de medio cum Pontificatum jam primum videret potius, quam obtineret, nequedum ingeniis Italorum, statuque regionum satis cognitis, quid magni potuit?

## CAPUT XX.

*Hadriano apud Hispanos moranti, nuntiatur se in Pontificem electum. Pontificatum accipit, retento pristino nomine, & pacem inter Carolum Imp., & Franciscum Franciae Regem, & Henricum Angliae R. conciliat. Hadriano a Caesaraugustanis mandibula Lamberti Martyris mittitur.*

Porro eo ipso tempore, quo Pontifex creabatur, tanta vis nivium apud Italos & Hispanos effusa erat, quanta vix alias memoria viventium. Per eas unus omnino cursor, privato nomine ad eum ab Episcopo Gerundensi de actis in urbe mittitur, qui magnis itineribus, decimo tertio die, quo Roma excesserat, per montes Pyrenaeos [3] Victoriam venit

1 *Boni omnes.*] Omnes enim de eo optima & maxima sperabant, atque ominabantur, dicit Vives in Epist. Erasm. DCXIX.

2 *In melius erigendam.*] Idem quoque opinabatur de eo Erasmus Epistol. DCXXI. ipsi adscribens, *integritatem, doctam prudentiam & providam sinceritatem.* & Epistol. DCXXXII. & DCXXXIII. ubi *eruditionem non vulgarem & morum integritatem omnibus spectatam* ipsi adtribuit. & Epist. DCXXXIV. & seqq. & DCXXXVII. & DCXLIII. ubi eum vocat *senem doctum & plurimarum rerum usu peritum.* & praecipue Epist. DCLXII. *novi mores*, inquit, *& ingenium hujus Pontificis Hadriani, etiam domestica consuetudine, nec dubito, quin multa sit correcturus in Ecclesiae moribus, videlicet dispensationum immodicam licentiam, sacerdotiorum immensam congeriem, praescribet cultum decorum Clericis, palam facinorosos non feret, coget ad frequenter sacrificandum.* Et magnam spem ostendit Erasmus haec ipsi faciliter successura, praecipue propter auctoritatem Caesaris, cui addictissimus & amicissimus erat. Et omnes probos, perspectis summis Hadriani nostri animi dotibus, animos erexisse, neque dubitasse, quin Ecclesiae statum, Ecclesiasticorumque perversos mores emendaret & corrigeret, luculenter demonstravit Aurelius in sua Apocalypsi.

3 *Victoriam.*] *Victoriam Vellicam* dicit Brocchius in libro MSS. vid. Jovius cap. IX.

*Ani*

venit (oppidum eſt Cantabriae, non procul a mari Oceano, ubi tum Hadrianus cum collegis erat) mirantibus multis hominem, qui tantas difficultates tantillo tempore ſuperare potuiſſet. Ac mox ad Hadriani conſpectum properans, rigore pene exanimis, quia hyems erat, litteras Epiſcopi porrigit, ſublata voce ingeminans, *Patrem Sanctum*, *Patrem Sanctum*. Tum forte Hadrianus a Frederico Amirante uno collegarum venerat, quem aegrotum officii cauſſa inviſerat. Attonitus autem novitate rei, imo totus ſtupore defixus, volentem ſibi ad pedes accedere oſculi gratia tabellarium, quomodo fit Pontificibus, inhibuit, ſimul rogans, quemnam Patrem Sanctum clamaret? ille ſtatim Italice *voi*, inquit, *Padre Sancto & non altro*. Deinde reſignatis lectisque litteris Epiſcopi, comperit quae ſcribebantur conſentire cum verbis curſoris. Attamen perſuadere ſibi non poterat ita rem habere, uti nunciabatur, quia veriſimilis non eſſet. Interea tamen latius per oppidum manante rumore, ut fit, omnia ſtatim pro aedibus, in quibus diverſabatur, plauſu, gaudio, acclamatione perſtrepebant. Proruebant omnis generis homines ex vicinis urbibus, ex agris, plebeji, magiſtratus, univerſa quoque aula, quae tum ibi erat, & inprimis proceres, collegaeque ejus, Vicarium Chriſti in Hiſpaniis ſalutaturi. Neque ab oſculandis pedibus vi ulla arceri poterant, etiamſi ille porrigere detrectaret, quia rem nondum compertam diceret. Appetente quoque veſpera funalia locis celebrioribus poſita, decurſionesque equeſtres more Maurorum editae. Quid quaeris? nemo non ſibi gaudere, viroque multis nominibus univerſae Hispaniae chariſſimo, ſe ex animo gratulari ſignificat. Sed haec tam laeta nonnihil obfuſcabat, quod nihil praeterea certius ex urbe adferretur. Nam ſedecim interea dies exceſſere, quibus ne pilus quidem litterarum ab ullo, nec publice nec privatim allatus eſt. Unde multi dubitare coeperunt, litterae ne illae Epiſcopi commentitiae forent ab aemulis ad ludibrium miſſae, [1] aut alio quo pravo conſilio: ſiquidem conſentaneum videbatur, niſi fraus ſubeſſet, certe aliquem praeterea ex amicis, quos ibi plurimos habebat, ſcripturum fuiſſe, praeſertim de re, cujus tanti ejus intereſſet, & in qua ei plurimum ſe gratificaturos facile poſſent praeſumere. Sed fortaſſis non animadvertebant hyemem eſſe, cum viis difficilibus terra proficiſci impeditum, & navigare non ſatis tutum, nec feſtinum ſemper eſt. [2] Tandem vero evolutis ſedecim diebus, coelo jam commodiore, nomine

1 *Aut alio quo pravo conſilio.*] Quaſi Galli hoſtes fictitiis litteris ad eludendam hominis dignitatem totum id commentum in Hiſpaniam deferri curaviſſent. Jovius cap. IX.

2 *Tandem vero.*] Nona ſcilicet Februarii, qua vir nobilis quidam Hiſpanus ex Pincia *Antonius a Studillo* Cardinalis Carvajalis Camerarius, breve ſacrae electionis detulit. uti refert Blazius Ortiſius in itine-

nomine totius ſacroſancti ſenatus, & privatim a Cardinalibus & amicis reliquis, allatae litterae dubitationem omnem exemere. [1] Et tamen ne tum quidem viſus eſt magnopere gaudere. Litteras quidem modeſto vultu perlegit, lectasque, quod ſcite ſcriberentur, laudavit. Tabellarios tantum benigne haberi, deinde itinere laſſatos cubitum duci juſſit, praeterea vero nihil. Atque ob id nonnulli, quorum erat *Vianeſius Albergatus*, homo effrenis ſatis linguae, qui a Leone legatus in Hiſpanias miſſus, etiam tum ibi agebat, indignum ſacroſancta poteſtate eum praedicabant, quod delatam non pluris facere videretur. At ille expendens non dubium, quanto pluris curarum & ſollicitudinis quam dignitatis afferretur, prudenter exiſtimabat, non perinde laetandum ſibi, ſignaque moeroris potius edenda, quam gaudii: hac parte non diſſimilis illi Regi, qui perpenſis curis dignitatis regiae, ne humi quidem jacens, diadema ſuſtollendum cenſebat. Ferunt eum qua nocte litterae allatae eſſent, diu ſecum [2] anxium de ejurando Pontificatu cogitaſſe, & quidem ejuraturum fuiſſe, niſi reverentia Numinis revocaſſet, cujus veluti ſingulari nutu tam mirabiliter ad id muneris aſſcitus videretur. Metuebat quoque ſchisma inter Patres, ſi ſe cedente dignitate, denuo in ſuffragia ire cogerentur, a quo parum abfuiſſe intellexerat, narrata ſibi longa illa eorum diſcordia, priusquam in ipſum conſenſiſſent. Quare [3] accepta, ſpe divini auxilii, electione facta, ſtatim Pontificem profiteri coepit. Reddit ſe aliquanto ſplendidiorem addito comitatu, in hoc moribus temporum ſerviens. Ac prodiens in publicum, pedes oſculandos petentibus non denegat, retentumque *Hadriani* nomen, [4] cum caeteri nomen fere mutent, libellis omnibus

itinerar. cap. I.

1 *Et tamen ne tum.*] Vid. Jov. cap. IX.

2 *Anxium.*] Aegre eum munus ſuſcepiſſe dicit & Erasmus epiſt. DCXXXII, & ipſe Hadrianus in epiſtola Erasmo ſcripta, quae eſt in Erasmi epiſtolis DCXLVIII. dicit ſe numquam hanc dignitatem concupiviſſe, verum ultro delatam vehementer reformidaſſe, plane recuſaturus, niſi inde Dei offenſam & conſcientiae ſuae laeſionem veritus fuiſſet, & in conventu Nuremburgenſi per legatum ſuum *Cheregatium* quoque profeſſus eſt, ſe invitum & reluctantem hanc electionem ſuſcepiſſe, cum vita privata ſibi multo charior fuiſſet; ſed metu divini numinis, & praeſenti rerum ſtatu commotum, non potuiſſe a ſe hoc onus rejicere, dominandi ſane cupiditate nulla huc impulſum fuiſſe, ſed ſolo deſiderio reipublicae procurandi ſalutem, uti refert Sleidan. lib. IV. comm. vide Blazium Ortis. cap. II. Itiner.

3 *Accepta electione facta.*] Non exſpectatis tribus illis Cardinalibus, quos Cardinalium collegium ad electionem ſignificandam, & adſenſum ejus impetrandum, miſerat; verum quos juxta ſe habebat, paucis Praeſulibus in unum convocatis, electionem adprobavit, & adſumptis inſignibus Pontificalibus ſe pro Pontifice geſſit, & miſſis litteris ad Cardinalium collegium, gratias egit, quod tale judicium de ſe feciſſent, & ſignificat, ſe munus ſuſcepiſſe, & ratam habere electionem & quamprimum Romam contenturum, Sleidan. lib. III. comm. ad ann. MDXXIII. & Polanus lib. I. Hiſt. Con. Trident. pag. XXII.

4 *Cum caeteri nomen fere mutent.*] Invaluerat enim jam hic mos, quo Pontifices electi nomen priſtinum mutarent. Cujus inſtituti auctor a plerisque creditur fuiſſe *Sergius* II. Papa. Quidam eum hunc morem introduxiſſe adfirmant, quia Jeſus Chriſtus nomen *Simoni* mutavit, vocans eum *Petrum*, quando eum Eccleſiæ praefecit. vid. Sigifrid. Epit. & Compil. Chronolog. ad ann. DCCCXLI. alii,

nibus ac diplomatibus praescribit. Moxque praecisis omnibus morandi caussis, quantum posset, Romam versus iter apparat, quoniam Patres propter statum rerum Italicarum, quae absentiam ejus diuturniorem non paterentur, per litteras impensius hoc cupierunt. Sed ante tamen omni cura & diligentia universum Christianum orbem pace conciliare studuit, gnarus restitutionem Ecclesiae, quam moliretur, aliter minime fieri posse. Eoque ad Principes, inter quos non satis convenire sciebat, legatos cum acerrimis litteris misit, praesertim ad tres illos praecipuos, *Carolum Caesarem*, *Franciscum* Franciae, *Henricum* Angliae Reges, tum acriter inter se diffidentes, *Carolo* & *Anglo* adversus Francum foederatis. Id negotii D. *Gabrieli* dedit Archiepiscopo Barensi, natione Hispano, patria Giennensi, Provinciae Bethicae postea Cardinali, viro spectatae integritatis, plurimique usus, qui primum Anglum adiens, mox Caesarem, postremo Francum, & apud singulos mandatis sacrosanctae sedis expositis, sat facilem primo Francum habuit, quod is fortassis diffideret, se unum parem esse posse duobus maximis principibus contra se societate junctis. In Caesare & Anglo plusculum laboris erat, verum crebris litteris [1] precibusque Hadriani commoniti, permoti etiam denuntiata ab eo gravissima Dei

ut Platina, volunt eum ob turpitudinem nominis (vocabatur enim *Bocca de Porca*, sive *Os Porci*) Sergii nomen sumsisse, & eum insecutos sequentes Papas, nomen mutasse; quod tamen non semper observatum docet Idem Platina in vita hujus Sergii. Ciacconius vero de vit. Pontif. in vit. Sergii II. dicit Hadrianum III. primum fuisse, qui nomen priscum permutaverit, cum antea Agapetus diceretur anno DCCCLXXXIV. Alii, ut Onuphrius Johannem XII. primum nomen mutasse existimant, cum antea *Octavianus* diceretur, uti notat Andr. Victorell. in add. ad Ciacc. d. l. & Ciacconius in vita Johan. XII. dicit hunc Johannem, qui antea *Octavianus* vocabatur, priori nomine omisso, tanquam majestati & religioni Pontificiae minus idoneo, quod ab Ethnicis potius quam a Christianis usurparetur, se Johannem adpellasse, quod exemplum secuti tres Pontifices, qui deforme & parum conveniens tanto magistratui nomen habuere, sensim levem consuetudinem, tanquam in legem perpetuam transtulerunt. & ita, licet jam antea Hadrianus III. Stephanus V. & Martinus I. nomen mutarint, cum tamen alii ipsis succedentes illud intermiserint, post hunc tamen Johannem XII. perpetuo fere observata fuit nominis mutatio. Plura vide apud Polydor. Virgil. de rer. invent. IV. cap. XI. Rhodigin. antiq. lection. XXV, XXVI. & Clar. Ottonem diss. I. §. XIII. vid. & Matth. tom. V. Anal. vet. aevi pag. CCCCLXXIII.

1 *Precibusque Hadriani &c.*] Hinc evidentissime patet calumnia Anton. Ferroni lib. VI. rer. Gallic. pag. CLXVI. qui hic simulationem Hadriani notat, & eum ope, consilio. & gratia Carolum contra Franciscum adjuvasse testatur, cum tamen nullam se partem belli suscipere Francisco Regi scriberet, hortareturque eum obliteratis simultatibns ad bellum Turcis inferendum. & addit: *Hic, si in suis maximis curis aliquid impertiisset temporis huic quoque cogitationi, ut Gallorum Caesarisque controversias componeret, pii tum Pontificis nomen famamque retulisset. Pertinebat hoc ad Pontificis officium, ut pacis utriusque, & communis concordiae cupidissimus haberetur.* Cum tamen constet Hadrianum, mitis ingenii virum, & pacis studiosissimum, & ut vocat Cynth. Jo. Baptist. Gyrald. de Ferraria & Atestinis Princip. pag. XLVII. *ad omnem benignitatem adeo pronum, ut Principum Christianorum animos potius officio amicos, quam injuria hostes sibi reddere curaret*, summo studio & omnibus viribus contendisse, ut pax non tantum inter Caesarem & Gallos, verum etiam omnes Christiani orbis Principes stabiliretur, & ita bellum communibus viribus contra Turcos susciperetur. Verum iniquo hujus Ferroni animo haec adscribenda, qui non tantum hic eum simulationis arguit, verum & amissae Rhodi quoque reum facit, ut infra videbimus. Neque tantum Ferronus, sed & alii Hadrianum calumniati sunt, quasi Carolo nimis faverit, & Gallis iniquior fuerit: quo

Dei optimi offenſa, quam ſubituri eſſent, ſi vitio ipſorum ſalus publica tardaretur, tandem obtemperant. Tametſi hoc poſtea evenit, dum jam Romae eſſet. Ex Hiſpaniis tantum legationibus & litteris ad pacem hanc ſollicitavit. Per idem tempus miſſa ei dono eſt a Caeſaraugustanis *mandibula divi Lamberti* Martyris, auro argentoque feſtive inducta, [1] cum eam nondum Pontifex ſaepe petitam nanciſci non poſſet. Is *Lambertus* (ut hoc obiter dicam) cum ſervus eſt civis cujusdam Caeſaraugustani Ethnici ipſe Chriſtianus, & ex edicto Daciani tyranni, quo cautum erat, quisquis Chriſtianum alicubi deliteſcere ſciret, aut ipſe in familia haberet, confeſtim ad abjiciendam fidem cogeret, aut nolentem Tyranno proderet, monitus a Domino, ut hac in parte morem gereret, cum conſtanter detrectaret, ab eo [2] capite plexus eſt. Quod ſublatum, ſuis ipſe manibus in civitatem detulit usque in locum, ubi plurimorum aliorum pro Chriſto trucidatorum corpora inſepulta jacebant, in quorum medium progreſſus, his verbis locutus fertur: *Exultabunt ſancti in gloria*, reſpondentibus corporibus uno ore, *Laetabuntur in cubilibus ſuis.* deinde reclinato corpore in medio eorum quievit. Ob quae & alia, quae de inclyto hoc Martyre memoriae produntur, ſingulari erga eum Hadrianus religione erat, & ſe plurimum Caeſaraugustanis devinctum putabat, qui tanti muneris honore ſe dignum judicaſſent.

## CAPUT XXI.

*Hadrianus Romam proficiſcitur, ubi Papa coronatur. Peſtilentia, ignorantia rerum Italicarum, aerarium Pontificium exhauſtum &c. cauſſae ſunt, quominus ſuppetias ferre poſſit rebus adflictis. Ariminum recuperat, & Rhodo ſuccurrere voluit, ſed fruſtra.*

Paratis autem omnibus ad profectionem Italicam neceſſariis, ac rebus omnibus, de quibus viſum erat, ex ſententia ordinatis, praeſertim Hiſpanicis, quarum curam proprie habuerat, laetus alacrisque, ac Deo fretus, Tarracone pridie Nonas Auguſti ancoram ſolvit, praeſidio undecim triremium, naviumque onerariarum triginta, quibus plus minus quatuor millia peditum & ſatis juſtum numerum equitum impoſuit. Et ſecunda navigatioue provectus ab urbibus, ad quas in itinere appellebat, offici-

quo pertinet epigramma *Salmonii Macrini Juliodenſis*, (cujus poëmata edidit Rob. Stephanus anno MDXLVI.) ad Cardinales, cum mortuo Hadriano contenderent de Pontificatu.

*Julius expulſis Gallis mortem oppetit, ipſum hoc*
*Dum Leo conatur, ſuſtulit hunc Nemeſis.*
*Nec minus ardebat Batavus, quando una relatum*
*Aeſtas, elatum vidit & una Deum.*
*Si ſapies, ſucceſſor eris quicunque, cavebis*
*Italia Gallos pellere: relligio eſt.*

1 *Cum eam nondum Pontifex.*] Vid. Jovius cap. IX.

2 *Capite plexus eſt.*] De hoc ſancto Lamberto vid. Lucius Marineus Siculus de reb. Hiſpan. lib.

officiosissime exceptus, Ostiam, [1] mox Romam pervenit, octavo post mense, quam creatus est, summa veneratione sacrosancto Senatu, totoque Clericorum Monachorumque ordine obviam eunte, plebe etiam tota ad cognoscendum numquam visum Principem certatim effusa, festisque vocibus [2] alacriter acclamante. Mirifice autem rapiebat omnes laeta illa hilarisque cum gravitate juncta morum majestas, frontis auctoritas, [3] staturae proceritas, totius oris corporisque augusta dignitas. Porro peractis [4] solennibus coronationis, quae pridie Kalendas Septembris celebrabantur, protinus totus convertitur ad cognoscendas res urbanas, ferendasque suppetias rebus afflictis, ubicumque opus esset. Sed quo minus id facile posset, multa in caussa erant. Primum omnia Romae foedans pestilentia, per quam versari ibi vix ulli tutum erat, tum incursus Turcarum, Pannoniam, aliasque Christianae ditionis regiones, ferro, flammaque ac rapina misere miscentium, ad haec Lutheranismus omnia in Germania confundens. Praecipue vero obstabat, sicut supra subindicavimus, ignoratio rerum Italicarum, regionum, urbium, & procerum, quorum tum primum ei nomina discenda, indolesque perspicienda erat, ut quibus quae functio recte committi, quibus non posset, intelligeret. [5] Postremo a Leone, & mox [6] triumviris Cardinalibus, in negotia Ecclesiae [7] exhaustum aerarium. Tametsi nihil reliqui fecit, quin faceret, quod posset. Statim Ariminum eo ipso milite, quem secum ex Hispaniis eduxerat, a *Sigismundo Malatesta*, qui illud per insidias occuparat, quoniam urbem eam ducentis amplius annis majores ejus ditione tenuissent, licet pater ejus *Pandulphus* vendidisset, recuperat, adjutantibus Duces ejus [8] *Francisco Maria*

lib. v.

1 *Mox Romam pervenit.*] III Kal. Septemb. Onuphr. Panvin. Chron. Roman. Pontific. ad ann. MDXXII.

2 *Alacriter acclamante.*] Plane contraria nobis persuadere conatur Guicciard. lib. XV. in init. ubi ingressum Hadriani in Romam narrans, dicit *Quamvis ejus adventus summopere exoptatus esset, hoc tamen spectaculum, cum se Pontificem natione barbarum, Italicarum & Curiae rerum prorsus imperitum, neque saltem ex illis gentibus, quae jam diuturno commercio Italiae familiares erant, habere cogitarent, omnium animos commovit.* Verum jam supra rationem dedimus, quare Guicciardinus, aliique Itali iniquiores Hadriano fuerint.

3 *Staturae proceritas.*] Vid. supr. cap. VI.

4 *Solennibus coronationis.*] Coronationis insignia suscepit per *Marcum Cornelium Venetum.* S. R. E. Archidiaconum, Boissard. tom. III. Icon. pag. XIX. Coronatus vero die Dominico pridie Kal. Septemb. Onuphr. Panvin. Chron. Roman. Pontif. ad ann. MDXXII.

5 *Postremo.*] Accedebat, quod Italia universa hoc tempore belli inter Caesarem & Franciscum Gallorum Regem saevis fluctibus esset agitata, sedes Apostolica bello particulari cum Francisco Maria Feltrio, Urbinatium Duce, & Alfonso Atestino Ferrariensi implicita, Ariminum a Malatestis recens occupatum, Cardinales factionibus divulsi, diffidentesque invicem, Rhodus obsessa a Turcis, & extrema rerum omnium in Ecclesiastica ditione perturbatio esset propter octo mensium, quibus Pontifex aberat, anarchiam. vid. Polan. lib. I. Hist. Conc. Trident.

6 *Triumviris.*] V. Jov. cap. IX.

7 *Exhaustum aerarium.*] Ita ut non tantum omnes thesauri consumpti essent, verum & ipsae gemmae publicae & sacrorum solemnium ornamenta foederatoribus oppignorata essent. vid. Jovius, cap. X.

8 *Francisco Maria Feltrio.*] Erat hic Julii secundi Papae fratris filius, qui eum a propinquo suo *Ubaldo*

*Maria Feltrio* Urbinatium, & ¹ *Alfonso Atestino* Ferrariensium Principe, quorum opera in eo bello optima fortissimaque usus est, quos ob id in amicitiam recepit, cum *Franciscum Leo* Pontifex principatu exutum, hostemque declaratum sacris vetuisset, contra *Alfonsum* propterea quod contra Pontificiam majestatem multa molitus criminaretur, tum *Julius* tum *Leo* hostilia multa statuissent. Mox quoque succursum voluit urbi Rhodo, quae tertium tum mensem a *Solimanno* Turcarum Imperatore gravissima obsidione preme-

*baldo Feltrio* sine mascula prole decedente, adoptari, Urbinatemque Ducem & haeredem fieri curavit, & cui nomine debiti stipendii, *Johanne Sfortia* sine haerede mortuo, Pisaurum adsignavit. Ciacconius in Julio II. Leo autem X. Medicaeae domus splendorem & ditiones augere volens, hunc *Franciscum* ditionibus spoliaverat, & *Laurentio Mediceo* donaverat; quas tamen ille Hispanorum auxilio adjutus, recepit, & difficillimum bellum cum Leone per octo menses sustinuit, quod Pontifici maxime sumptuosum exstitit, cum in eo, octo millia auri pondo a Papa expensa dicantur vid. Cabrera in Leone X. Jovius lib. III. & IV. Elog. Leon. X. Guicciard. lib. XII. Hist. Ital. & XIII. Leone autem mortuo ab Hadriano *ad omnia*, ut dicit Jovius in vita Alfonsi Atestini, *lenissimo*, *simul & aequissimo*, in gratiam receptus, Urbinum recepit, Guicciard. lib. XIV. & postea a Venetis foedere junctis cum Carolo, omnium copiarum Imperator dictus contra Gallos. Guicc. lib. XV. & moriens filium *Guidonem Ubaldum* successorem habuit. Chytraeus lib. V. Hist. Saxon. pag. DLVII. vid. Jovius lib. VI. Elog. viror. bell. laud. illustr.

1 *Alfonso Atestino.*] Alfonsus Herculis Atestini, sive Estensis natu maximus filius, duxerat antea Galeacii filiam, qua mortua duxit *Lucretiam* Alexandri VI. filiam, quae jam tribus viris desponsata, tunc *Gismundi* Biseliorum Principis, Alfonsi Neapolitani Regis filii spurii, a Caesare Borgia trucidati, vidua erat, cum qua dotis nomine acceperat centum millia aureorum. Guicciard. lib. V. & ex qua suscepit *Herculem*, *Hypolytum* & *Franciscum Atestinum*. Et in bello contra Venetos Pontificii imperii Vexillifer nuncupatus meruit, & accerrimum bellum, Venetis ejus ditiones invadentibus, felicissime sustinuit. Guicc. lib. VIII. Papa autem Julius II. interim reconciliatus Venetis, cum Alfonsus Regi Galliae adhaereret, & Venetos bello lacessere pergeret, omni modo Alfonsum a Rege Galliae divellere conabatur, sed frustra, unde ditionibus ejus inhians, sacris eum interdixit, & ditiones ejus invasit, & bello acerrimo prosecutus est. Guicciard. lib. IX. & X. & Jovius lib. II. Elog. Leonis X. & Ferronus lib. IV. Rer. Gall. Postea pacis conditionibus propositis Romam abiit Alfonsus, verum cum Papa instigante Alberto Pio Carporum Principe, eum ibi retinere studeret, ille Columniorum ope elapsus, Ferrariam contendit. Et licet Ferdinandus Catholicus saepe Papam pro eo deprecatus esset, & ipsi amicissimus esset, ille tamen, ignota de caussa, ingrato animo cum Ferdinando Arragonio Duce Calabriae, filio Regis Frederici, in vitam Ferdinandi conspirasse dicitur. vid. Histoire Generale d'Espagne par Loys de Mayerne Turquet livre XXVI. Julio autem mortuo, & Leone X. in Pontificem electo, iterum Romam venit. Guicc. lib. XI. a quo frustra cum amicitiam implorasset, ille fratri suo *Juliano Mediceo* Ferrariam comparare volens, illum in gratiam recipere differt. Postea in colloquio illo celeberrimo anno MDXV. inter Franciscum Regem Galliae & Leonem X. Rex pro Alfonso egit, & promisit Papa, ut Mutina & Regium ipsi restituerentur, datis quadraginta auri libris Papae, quas ipse Caesari dederat, & certa summa pro sumptibus in bello factis. Alfonsus acceptis conditionibus praestare voluit, sed Papa, variis exceptionibus & dilationibus propositis, perficere recusavit. Guicc. lib. XII. & Chytraeus lib. V. Hist. Saxon. pag. DXLVIII. & licet saepius instaret Galliae Rex, & Papa promitteret, non tamen perfecit, sed ei inimicissimus, postea per insidias Ferrariam ipsi eripere studuit, quamvis frustra. Guicc. lib. XIII. Tandem Leone mortuo, ab Hadriano nostro in gratiam receptus est, & ditiones ipsi confirmatae. Guicciard. lib. XV. & cum frustra Clementis VII. amicitiam implorasset, Carolum Caesarem Italiam invadentem adjuvit, & Mutinam recepit. Verum Clemente a Caesare in arce molis Hadriani obsesso & plane capto, cum Galliae & Angliae Reges foedus iniissent contra Carolum, ut Clementem liberarent, Alfonsus quoque se veteribus suis amicis Gallis adjunxit. Postea autem pace inter Carolum & Clementem sancita, & Carolo controversiarum inter Papam & Alfonsum arbitro constituto, Carolus pro Alfonso pronuntiavit. Hinc iratus Clemens, Alfonsum vita privare per insidias tentavit, sed frustra, & trigesimo quinto die post Clementis mortem, obiit Alfonsus. Vitam ejus conscripsit Jovius. vid. & Jov. lib VI. Elog. viror. bell. virt. illustr.

Dedi-

premebatur, cujus ſalutem maximum eſſe momentum ad reliquarum Provinciarum Chriſtianae ditionis ſalutem minime ignorabat, niſi quod ratio, qua id commode fieret, iniri non poterat, deficiente ſcilicet belli nervo pecunia, neque pro expedienda ea moram re patiente. Verſabat quidem ſe in omnes cogitationes, arceſſitis Patribus, ſi quid illi praeſentis fidique conſilii afferrent, implorata fide omnium, quorumcunque poterat, miſſis litteris ad Siculos, Neapolitanos, Hiſpanos, ad quoscumque denique, unde aliquid ſubſidii adfore poſſet ſperare, contractasque aliquot naves apud Genuenſes, milite, commeatu, armisque quantum potuit inſtruxit, inſtructasque Rhodum verſus miſit. At vero dum ventus navibus deeſt, & ii quorum auxilium implorarat, prolatando tempus omne idoneum, ſi quod erat navigandi conſumunt, ac Turca indies acrius obſidionem urget, ſpe omni praeſidii poſita, Rhodii pacti incolumitatem, vitae rerumque [1] deditionem fecere, ipſo die nato Chriſto ſacro, anno humanae ſalutis MDXXII. cum ingenti ejus moerore, quod tanta clades reipublicae Chriſtianae illata, eaque labes nomini ſuo apud poſteros, licet immerenter, adſcribenda eſſet. At quid potuit ſolus, inani aerario, in ſumma Monarcharum diſcordia, Germania

1 *Deditionem fecere.*] Celeberrima eſt illa obſidio Rhodi, quam acerrimam ſtrenue & fortiter ſuſtinuerunt Equites & incolae celeberrimae illius inſulae & urbis; qui tandem omni Chriſtianorum reliquorum ope deſtituti, & viribus fractis, urbem, pacti ſibi vitae incolumitatem, dedere coacti ſunt. Hiſtoriam hujus belli deſcripſit Fontanus, & legitur in tom. II. German. antiq. Schardii pag. DCCCCLXI. vid. Valer. Andr. Biblioth. Belgic. in Jacobo Fontano, qui dicit eum quoque ſcripſiſſe *de expugnatione Rhodi Epiſtolam* ad Hadrianum noſtrum, Baſileae anno MDXXXVIII. cum aliis ſimilis argumenti epiſtolis editam. Non defuerunt autem, qui Hadrianum noſtrum criminati ſunt, quaſi laboranti Rhodo auxilium adferre neglexiſſet. Imo Jovius narrat, Hadrianum licet rogatum a Julio Mediceo, aperte milites & naves, cum quibus ex Hiſpania venerat, Rhodum mittere detrectaſſe, verum pedites illos in Galliam Ciſalpinam miſiſſe ut Caeſaris partes adjuvarent. Jovius epitom. lib. XXI. Hiſtor. & ita Ferronus lib. VI. Rer. Gallic. & Guicciard. lib. XV. culpam amiſſae Rhodi quoque Hadriano adſcribunt. Verum optime hanc calumniam refellit venerandus meus Pater Petrus Burmannus in praefat. tom. I. Theſaur. Ital. pag. XI. oſtendens Hadrianum quamprimum Romam venerit, ſtatim omnes nervos intendiſſe, ut compoſitis ubique terrarum inter Chriſtianos bellis, in communem hoſtem iretur, & litteras miſiſſe ad omnes, ut pace inter Chriſtianos facta, contra Turcos proficiſcerentur: imo Venetis minatum fuiſſe vim cenſoriae animadverſionis, niſi induciis intra tres menſes factis, rei Chriſtianae proſpicerent; ſed oleum & operam perdidiſſe Hadrianum, aliud ſpectantibus Venetis, neque Solimanni iram provocare volentibus, ut ipſe celeberrimus Venetorum Hiſtoricus Paulus Paruta lib. V. Hiſt. Venet. fatetur. & claſſem, quae miſſa erat, ut Rhodiis auxilium ferret, non Hadriani culpa, ſed aliorum, quorum curae commiſſa erat, tardius curſum direxiſſe. Niſi Venetos excuſare velimus cum *Vincentio Pimpinello*, qui Romae oratione habita de hac Rhodi deditione, in qua omnes fere Principes Chriſtianos accuſat, de Venetis loquens, *Accuſarem*, inquit, *etiam vos terra marique potentiſſimi Veneti, in quorum manu erat victoria, niſi vobis ad aemulationem veterum Romanorum jam pridem animo inſitum eſſet, fidem ac jusjurandum non modo amicis, ſed & hoſtibus eſſe ſervandum*, vid. Juſtinianus lib. XII. Hiſtor. Venet. pag. CCLV. aliter eum excuſat Blazius Ortiſius in Itinerario cap. XXVII. ſcilicet Hadrianum conſilio inito cum viris ſtrenuis, & in rebus bellicis ac bellorum expertis, credidiſſe magiſtrum Equitum Rhodiorum facillime poſſe propugnare urbem, quia hyeme inſtante non dubitabant, quin obſidionem ſoluturus eſſet Solymannus, ut ipſe Magiſter Equitum Rhodiorum Hadriano ſcripſerat.

Gotha

mania tot ſuperſtitionibus corrupta, & adeo denique omnibus a reverentia ſacroſanctae ſedis alienatis? Si idem religionis ardor, idem pietatis ſtudium, Principum animos proximis aliquot ſeculis habuiſſet, qui [1] *Gotthofredum Bulonium*, *Hugonem Magnum*, *Tancredum*, *Robertos*, & reliquos proceres ſacri belli, quum Hieroſolyma recipiebatur, haud dubie etiam num Rhodus noſtra eſſet, neque Rhodus modo, ſed etiam clariſſima illa duo imperia Conſtantinopolitanum & Trapezuntinum, & reliqua Graeciae regna longe florentiſſima. Verum o mores o tempora! locum habet adagium *Olim fortes Mileſii.* Poteſtque Eccleſia catholica jure optimo illud Hierimiae deplangere: *Non eſſe qui ſe conſoletur ex omnibus charis ſuis, Omnes amicos ſe ſpreviſſe, & factos ſibi inimicos.* Sed quaerelae alibi locus eſt. Eodem die atque eadem pene hora, qua Rhodus dedebatur, ſaxum ingens e ſuperiore limine portae ſacelli Pontificii in Vaticano prodigioſe decidit, [2] cum Pontifex uno aut altero non amplius paſſu a limine abeſſet, jam ingreſſurus pro religione diei, ad faciendum ſolenne ſacrum, oppreſſitque unum ex Helvetiis, qui ex more cuſtodiae corporis ejus adhibiti erant.

## CAPUT XXII.

*Hadrianus mittit legatum ad conventum Nurenburgenſem, monens Germanos ut auxilium ferrent Ludovico Hungariae Regi adverſus Turcas, & obviam irent Lutheranismo. & eadem de cauſſa litteras ſcribit Frederico Saxoniae Duci. Mittit quoque Cardinalem Cajetanum in Hungariam. Incolas Dalmatiae & Croaciae adjuvat.*

Inter haec non minore ſollicitudine Lutheranismum profligare nititur. [3] Conventus erat Principum, liberarumque civitatum Germaniae apud

1 *Gothofredum Bulonium.*] Hic Dux fuit expeditionis ſacrae, quam decreverat Urbanus II. in concilio Clermontano. vid. Crantzius v. Saxon. XIV. Vitam ejus conſcripſit Jovius lib. I. Elegior. virorum bellica laude illuſtrium. Notae ſunt hae expeditiones ſacrae ſive Cruciatae, quae ſuperioribus ſeculis ad eripiendam terram ſanctam e manibus Turcarum ſuſceptae ſunt ab omnibus Europaeis. Duces autem quos Francia his expeditionibus dedit, recenſet Thuan. lib. I. Hiſt. ad ann. MDV.

2 *Cum Pontifex.*] Auctor Italus, quem exhibet Papenbroch. in propyl. in conat. Chron. Hiſtor. ad Catal. Pontif. pag. CLIV. hunc caſum narrans, dicit non tantum Cardinales qui praeſentes eſſent, cum in tanto periculo verſaretur Hadrianus, gaviſos fuiſſe, verum & quod unus eorum fuerit, qui non verecundaretur fortunae fatoque maledicere, quibus morte fuerat ereptus Hadrianus, & quod maledicus ac blasphemus ille a nemine Cardinalium reprehenſus caſtigatusque, pacatis omnium auribus ac fere annuentibus frontibus, auditus & toleratus fuerit.

3 *Convontus erat.*] Praecipue hic conventus agebatur contra Turcas & Lutherum, ut dicit Mutius

apud Nurenbergam. Huc [1] *Franciſcum Cheregatum* mittit, ſibi antea in Hiſpania cognitum, dum is illic Nuncius Apoſtolicus ageret, tum recens a ſe propter opinionem virtutis [2] Praeſulem Fabrianenſem declaratum, qui [3] verbis ſuis acerrime Germanos hortaretur, ſi ditiones quoque ſuas ſalvas vellent, nollentque omnia ſua etiam foede evaſtari, mitterent auxilia primo quoque tempore, abrupta omni tergiverſatione, proxime ſito [4] *Ludovico* Ungariae Regi adoleſcenti, tum de impetu Turcarum gravius laboranti, quam ut ſolus poſſet reſiſtere, neque ſinerent nobiliſſimum regnum, quod univerſae Germaniae velut firmiſſimus obex praejaceret, immaniſſimo hoſti praedae fieri, qui alioquin ad ipſos quoque pronum acceſſum habiturus eſſet. Simul exploderent impia dogmata a litteris ſacris, traditiſque Eccleſiae & priſcorum patrum aliena, quae apud eos paſſim ſuboleſcerent, memores quanto ardore majores eorum religionem ſanam, remque Catholicam olim asſeruiſſent, a quibus degenerare cum ad famam turpe, tum vero impium foret. Dedit ad haec litteras fere [5] ad ſingulos quoſque Principes, & Eccleſiaſticos & Laicos ejuſdem exempli, [6] ſed praeſertim ad ducem Saxoniae *Fredericum*, in cujus dominatu totius incendii fax *Lutherus* agebat, [7] monens eum, ut haberet ob oculos quam ineluibilis, tetraque glo-

riae

tius in Chron. German. lib. XXXI. Omnes enim timebant, ne Turca, Rhodo capta, impetum converteret in Siciliam, & Italiam, ut refert Vives in Epiſtola Eraſmo ſcripta in Epiſt. Eraſm. DCLIV. Quae autem hoc conventu acta ſunt, legi poſſunt apud Sleidanum lib. I, II, III. & IV. Chytraeum lib. VII. Hiſt. Saxon. & Faſcicul. rer. expetend. & fugiend. pag. mihi CLXXI. & ſeqq. Goldaſt. conſtit. Imper. tom. II. vid. & Seckendorf. Hiſtor. Lutheraniſmi lib. I. ſect. LVI. §. CXLI. & ſeqq. Notandus autem hic error doctiſſimi Schilteri qui lib. VII. cap. III. §. III. de libert. Eccleſ. German. hunc conventum actum ſub Clemente VII. & ab eo Cheregatum miſſum ad Germaniae Principum conventum refert.

1 *Franciſcus Cheregatus.*] *Chiregattus* dicitur in Epiſtolis Eraſmi CCCCXCVIII, DXXX. & append. CLXX.

2 *Praeſulem Fabrianenſem.*] *Epiſcopus Fabienſis* dicitur a Polano lib. I. Hiſt. Conc. Trident. pag. XXVII. Sleidanus lib. III. Comm. eum vocat *Epiſcopum Aprutienſem.* Ab aliis *Epiſcopus Iteramnenſis* nuncupatur. ita Eraſm. Epiſt. DCCCIV. & in Append. CCCXIX. & Labbe tom. I. de Scriptor. Eccleſ. pag. CCCCXVI. In Epiſtola ſcripta Conſulibus, & ſenatui civitatis Bambergenſis, quae exſtat in tom. II. oper. Lutheri pag. CCCLIV. ſe vocat *Electum Epiſcopum Aprutienſem, Principem Therami, ordinarium Apoſtolicum.* Fuit Cardinalibus Sedunenſi & Cometenſi a ſecretis, & multas legationes obivit. vid. Seckend. lib. I. Hiſt. Luth. ſect. LVI. §. CXLI.

3 *Qui verbis ſuis.*] Hadriani epiſtolam ad Germaniae Principes Norimbergae congregatos habet Gennepaeus lib. II. de reb. Memorab. contra Sleidanum, & Wolfius tom. II. memorabil. Lection. pag. CXCIII. & nos eam inter epiſtolas Hadriani exhibebimus. Mandata vero, quae Hadrianus Cheregato Romani Imperii Principibus exponenda dederat, legi poſſunt apud Wolfium ibid. pag. CXCV. vide & Sleidan. lib. III. & IV. Comment. & Polan. I. Hiſt. Conc. Trident. pag. XXVIII. & ſeqq.

4 *Ludovico.*] De eo videndus Jovius lib. V. Elog. viror. bell. virtut. inſign.

5 *Ad ſingulos.*] Ut *priſtinam majorum virtutem imitati, junctis armis Turcas imminentes a finibus arcerent.* Miraeus Auctar. de ſcript. Eccleſ. §. DXXXVI. & Elog. Belg. in Hadriano VI.

6 *Sed praeſertim.*] Antequam jam Cheregatus in Germaniam abiret, Hadrianus litteras per Hieronymum Rorarium unum e cubiculariis ſuis, miſit ad Fredericum. Sleidan. lib. III. Comm. ad ann. MDXXII. quas quoque inter ejus epiſtolas producemus.

7 *Monens eum.*] *Monens eum*, dicit Miraeus Auctar. de Scriptor. Eccleſ. §. DXXXVI. & Elog. Belg.

riae ſuae ad poſteros macula foret, foviſſe hominem phreneticum, qui non minus impiis ac ſatanicis, quam ſtolidis naeniis orbem pene univerſum in exitium involveret. Praeterea adjutorem fuiſſe labefactandae pietati, quam tot Martyrum fuſus ſanguis, tot eruditiſſimorum hominum vigiliae, tot fortiſſimorum Principum invicta arma, ſummo nixu ſtabiliviſſent. Alioquin non eum de ea temeritate cauſſam feliciter dicturum, cum ſtandum eſſet ad tribunal judicis Chriſti, & alia multa in eandem ſententiam. Reſipiſceret igitur, & ingreſſus per veſtigia fidei majorum ſuorum, non ſineret prudentiam ſuam praeſtigiis unius rabioſi homunculi illudi, qui ſcilicet nihil ſcriptis ſuis nefandis produceret, quod temporum ſuperiorum conciliis ex profeſſo damnatum non eſſet. Spondebat ad haec, ubi primum ſedatis bellorum turbis poſſet, indicere concilium univerſale, [1] ut quidquid Romae, quidquid alibi, apud Epiſcopos, Abbates, & univerſum denique ordinem Eccleſiaſticum

in Hadrian. VI. *ut religionis veterum Saxonum memor, peſtem eam* (ſcilicet Lutherum) *pelleret*. Epiſtola haec legitur in Geſt. Pontif. Leodiens. tom. III. pag. CCLVIII. & nos infra inter epiſtolas Hadriani eam exhibebimus. Et ita Hadrianus ſtatim ac in Pontificem eſt electus, diſſidiis de religione ortis componendis manum admovit, & facillime has turbas ſedari poſſe ſibi perſuadebat. Ipſe enim in ſcholaſtica Theologia eruditiſſimus, opiniones, quibus Lovanii imbutus erat, tam ſolidas ac luculentas exiſtimabat, ut vix crederet, in quem quam ſanae mentis hominem cadere poſſe contrariam tueri ſententiam. Hinc Lutheri doctrinam ſtolidam, inſipidam, & rationis expertem adpellare ſolitus erat, & neminem ad eam acceſſurum, niſi ſimplicem & ſenſus inopem judicabat, & ipſos Lutheri ſectatores intus & cum animo ſuo non dubitare de veritate doctrinae Romanae, verum hominum injuriis provocatos callide diſſimulare. Accedebat, quod cum ipſe in inferiori Germania eſſet natus, non dubitaret, quin tota ea natio facile ei accederet. Hinc nihil facilius eſſe putabat, quam Lutheranos in gremium Eccleſiae reducere. Et niſi avaritia, mali & corruptiſſimi Clericorum, praecipue in aula Romana, mores Luthero evulgandi doctrinam ſuam anſam dediſſent, eum numquam ab obedientia Romanae ſedi debita receſſurum fuiſſe exiſtimabat. Hinc ſtatim corruptelas in aula Romana tollere in animo habuit. vid. Polan. I. Hiſt. Conc. Trident. Et ut majori cum ſucceſſu Lutheraniſmo obviam iret, conſuluit paſſim hac in re viros eruditionis & doctrinae laude conſpicuos, inter quos praecipue fuit *Eraſmus Roterodamenſis*, quem Lovanii familiariter cognitum plurimi faciebat. vid. Mallinkrot de Pontific. Roman. commendaverat enim jam Decanus Lovanienſis magiſtratibus oppidanis Eraſmum, ut ipſi legendi munus in Academia Lovanienſi offerrent, uti teſtatur Eraſm. Append. Epiſt. DV. & alia amoris & benevolentiae ſigna in eum jam ediderat. vid Epiſt. DCCXLI & DCCXLIV. & DCCCC. Hinc perſpectis ingenii & eruditionis Eraſmi viribus, hortatus fuit Eraſmum, ut ſtilum vergeret in Lutherum, & Romam veniret, ubi magna librorum copia inſtructus felicius ejus dogmata refellere poſſet. Haec Hadriani epiſtola habetur in Eraſmi Epiſt DCXXXIX. vide & epiſt. DCXLVIII. & append. epiſt. CCCXXXV. & Hadrianus obtulit Eraſmo Decanatum, quem cum recuſaret, mittere voluit ipſi pecuniam, & magnis eum promiſſis in Italiam invitavit. vid. Epiſt. DCCIII. & DCCCX. Eraſmus autem propter aetatem jam ingraveſcentem & calculi dolorem non poſſe venire reſcripſit; conſilium tamen Hadriano dedit, quo juxta ejus ſententiam turbae hae componi deberent. in Epiſt. DCXLIX quod conſilium Hadriano non placuiſſe Eraſmus concludit, quia nihil reſpondit. vid Epiſt. DCCCXLIII. & MCXCV. & poſtea erga Eraſmum aliquantulum mutatus videtur. vid. Ep. DCCIII. Et jam antea Eraſmus per Marinum Caracciolum & Hieronymum Aleandrum, invitatus erat a Leone Papa, ut pro Pontifice contra Lutherum ſcriberet, promittentes ei nomine Pontificis pinguiſſimum Epiſcopatum, quibus Eraſmus reſpondiſſe fertur: *Major eſt Lutherus, quam ut in illum ſcribam ego, major eſt Lutherus, quam ut a me intelligatur, plane Lutherus tantus eſt, ut plus erudiar & proficiam ex lectione unius pagellae Lutheranae, quam ex toto Thoma.* uti videri poteſt in tom. II. oper. Luther. pag. CXVII.

1 *Ut quidquid Romae.*] Vid. Sleidan. lib. IV. Comm.

cum collapsum esset, in pristinum gradum restitueretur, ne quid hac parte possent obtendere, quo minus monitis suis morem gererent. In summa, tantum effecit sedulitate, auctoritateque, quam sanctitas vitae, praestantiaque doctrinae pepererant, tum gratia, qua maxime apud Germanos Pontifex Germanus valebat, ut malum illud jam tum utcumque mitescerет, & spes magna esset, nisi mors ejus impedisset, fortassis brevi, aut in totum, aut ex maxima certe parte explodendum.

Jam vero Legatum [1] in Hungariam *Thomam Cajetanum Cardinalem Divi Sexti* mittit, [2] cujus supra meminimus, cum quinquaginta ducatorum millibus, ita demum erogandis, si expeditio aliqua memoranda ab iis in Turcam pararetur. Quam pecuniam vir ille insignis, nullo modo aliter atque ex praescripto erogare sustinuit, tametsi ab Hungaris magnis & convitiis & minis, ut pro eorum potius arbitratu, qui necessitates suas magis, quam quivis exterus, nossent, erogaretur, acerrime urgeretur. Eadem pietate per magnam vim frumenti pulverisque tormentarii, per extremas urbes arcesque Dalmatiae & Croaciae misit, quae ob captam Rhodum in summo discrimine versabantur. Quid queris? in his rebus non solum quantum potuit, verum etiam supra quam potuit, praestitit.

## CAPUT XXIII.

*Hadrianus Ecclesiam emendare statuit.*

Porro ut promissum de corrigendis Ecclesiasticis etiam re, non verbis praestaturus videretur, multa protinus Romae in statum alium vertit, nova officia super ordinariis sacrosanctae sedis proventibus [3] a Leone instituta, ex quibus pretio datis plurimum quaestus fisco

1 *In Hungariam.*] V. Ortizii Itinerar. cap. XXXI. Romanos persuasisse Hadriano, ut Cajetanum, qui cum eo in plerisque, praesertim in emendandis Clericorum & aulae Romanae vitiis, consentiebat, in Hungariam ablegaret, ut ita sub specie honoris in exilium mitteretur, publice in consessu Cardinalium profiteri non erubuit Joh. Bapt. Flav. Aquilanus in orat. funebr. in obit. Cajetani, uti testatur H. V. H. in not. ad Heusd. Antiq. Ecclesiast. tom. II. in Historia Episcop. Trajectin. p. CXXXII.

2 *Cujus supra.*] Vid. supr. cap. XIX.

3 *A Leone instituta.*] Leo enim cum esset profusissimus, & splendidissimam aulam aleret, varia officia venalia excogitaverat, unde ingentem pecuniae summam colligebat, quam tamen liberalissimus omnem profudit. Erat enim, uti eum describit Guicciard. lib. XIV. & Ferron. lib. V. Rer. Gallic. ludis, musicis, jocis, histrionibus audiendis totum diem immersus, & praeter decorum voluptatibus deditus, & summa in ejus animo magnificentia & splendor, neque in sumptibus, muneribusve dandis modum delectumque servans, quod quoque probat nummisma cujus meminit Andr. Victorell. in addit. ad Ciaccon. in Leone X. & quod exhi-

ſco ejus acceſſerat, paulatim abolebat, & quotquot ejus generis deinde vacaſſent, nulli pretio dabat, etiamſi ipſe id temporis graviter re nummaria laboraret. Sciebat quippe quantum illa ſedi Apoſtolicae oneroſa eſſent, & ſic data ampliſſimam paſſim materiam offendiculis & obtrectationibus praeberent. Abrogabat quoque ea nonnullis, qui gratis nacti fuerant, ratus ſatis eis eſſe debere, quod inde annis plurimis ſine ullo ſumptu onereque commoda non exigua accepiſſent. Quamquam ea in re plurimum difficultatis paſſus eſt, multorum quoque offenſam ſubiit, qui quaeſtui ſuo per hoc plurimum decedere videbant, quod tamen ipſe minimi fecit, quia mores temporum, ſtatusque rerum praeſens, ſic facere commoneret. Quamquam ſi *Paulo Jovio* fides eſt, damna illa ademptorum officiorum, aliunde, nimirum cenſu ſacerdotiorum, penſaturum ſe polliceretur, atque nonnullis etiam penſaverit. Accedit quod [1] *indulgentias* quas vocamus, parcius longe quam anteceſſores concedebat, propterea quod profuſiore largitione ad vilitatem contemptumque apud plebem recidiſſent, & Lutherus ex earum abuſu prima veſaniae ſuae auſpicia ſumpſiſſet, [2] ut ſpes eſſet, ſi diutius ſuperfuiſſet, ad priſtinam reverentiam redituras eſſe, prout jam tum opera ipſius utcumque coeperant. Adde quod [3] *reſervas*, *acceſſus*, *regreſſus*, *coadjutorias*, praeſertim conceſſas ſine adſenſu eorum, quorum erant ſacerdotia, & id genus alia, Romani aucupii neſcio quo nomine appellata retia, quae facilitate Leonis ſupra modum propagata erant, magna ex parte ſuſtulit, praeſertim quod ea via plurimi probroſi ineptique ad opima ſacerdotia obreperent, qui pecuniam haberent, qua nihil non parare eſt maxime Romae, probi litteratique, qui hanc non haberent, ab iis excluderentur. Multaque alia, quae longum eſſet commemorare, quae anteceſſores ejus paſſim ſolent concedere, cum gravi offendiculo plebejorum, & ſacroſanctae

exhibet Begerus Numism. Pontif. pag. XVIII. in cujus priori facie Leonis effigies, in altera mulier nummos a ſacculo effundens, cum titulo *Liberalitas Pontificia*. Hinc breviſſimo tempore non tantum ingentes a Julio relictos theſauros incredibili profuſione exhauſerat, verum & ingentem auri copiam, quam ex iis quae in Curia expediuntur, multisque novis, & ad pecuniam emungendam excogitatis muneribus, ſibi comparaverat, & magnum aes alienum reliquerat, ita ut ipſae gemmae & gazae Pontificiae oppignoratae eſſent, ut ſupra jam vidimus, vid. & Polan. lib. I. Conc. Trid. pag. IV.

1 *Indulgentias.*] Has largiſſime conceſſerat Leo, non tantum ut iis vivis, ſed & mortuorum animis delicta expiarentur. Quae ut recte Guicciard. lib. XII. tantum pecuniae a mortalibus extorquendae gratia concedebantur. Et harum turpiſſimam nundinationem Luthero occaſionem dediſſe inveſtigandi ſcripturas ſacras, exque iis Pontificum dogmata falſa evincendi, eorumque auctoritatem oppugnandi, omnes norunt. De hiſtoria autem Indulgentiarum, & quando earum nundinatio coepta, videndus Polanus lib. I. Hiſt. Conc. Trident. pag. V. vid. & Paul. Lang. Chron. Citizenſ. ad ann. MDXIII.

2 *Ut Spes eſſet.*] Si *licuiſſet Hadriano in Cathedra Petri ſedere decem annos, haberemus illam urbem, ni fallor, aliquanto puriorem* dicit Eraſmus Epiſt. MCXCV.

3 *Reſervas.*] Vid. Blaz. Ortiz. Itiner. cap. XXIII. & XXVIII.

Nequa-

ctae poteſtatis contemptu, concedere noluit. Quid quod non paucos, quos idoneos ſciret, nec ambientes nec expectantes, ſacerdotiis auxerit, diplomatibus, quae in hujusmodi pretio nanciſci neceſſe eſt, gratis plumbatis, ad eosque transmiſſis? qua via aliquot praeclaros jam viros Lovanii ad honeſtam fortunam perveniſſe commemini. Hinc item fuit, quod difficulter cognatos ad beneficia proveheret, non quia eis candide non foveret, ſi alioquin idonei fuiſſent, ſed quia, ut dicere ſolet, *aedificare Sion in ſanguinibus nollet*, hoc eſt, quia in ſacris reſpicere neceſſitudines naturae nollet, ut quae ibi locum non haberent. Quinimo in iis etiam in paribus dotibus alienorum potius quam ſuorum rationem habiturus videbatur. Ex quo fuit, quod litteris magnatum quorumdam inferioris Germaniae ſollicitatus, ut quemdam propinquum ſuum adoleſcentem & forma & ingenio praeſtantem, qui tum recens Magiſter Philoſophiae creatus ſtudia altiora Lovanii ſequebatur, galero Cardinalitio ornaret, ex more ſolenni aliorum Pontificum, [1] nequaquam voluit. Quale etiam legere eſt de *Clemente* Pontifice ejus nominis *quarto*, qui & ipſe interpellatus ab amicis, ut conſanguineo cuidam ſuo, tria habenti beneficia, plura adhuc tribueret, [2] reſpondens, non, inquit, *carni & ſanguini obtemperabo*, *ſed potius Deo*, *nec dignus Petri ſucceſſor eſt*, *qui plus cognationi quam Chriſto tribuit.* Auctor eſt *Platina*. Conſtituerat quoque, ut asſerunt, qui id coram a narrante audivere, antiquare *exemptiones ſecundariarum* (ut vocant) *Eccleſiarum*, *collegiorumque Dioeceſis Leodienſis*, etiamſi opera ſua aliquando impetratas, quod videret eas, contra quam ratus eſſet, ad nihil aliud uſurpari, quam ad impunitatem ſcelerum, & materiam majoris laſciviae & nequitiae, neque viſitationem annuam ad vitia exemptorum corrigenda a Decanis ad id deſignatis fieri juxta formam diplomatis a ſe impetrati. Qua ipſa de cauſſa fortaſſis etiam alias pleraſque antiquaturus erat. Deſtinaverat denique iis ipſis vacationibus, quae obitum ejus anteceſſerunt, adhibitis Theologis & Juriſperitis Romanae Curiae, diſcutere *leges Compoſitionum*, ut vocant, ad quas Datarius ab his, quibus quid Pontifex indulget, aliquid ſubſidii nummarii in neceſſitates Pontificias de more exigit, ut ſi quae moderatae & tolerabiles forent,

1 *Nequaquam voluit.*] Et dixiſſe fertur *Cupere ſe homines beneficiis dare, non beneficia hominibus.* vid. Vit. Pont. Ciaccon. in Hadriano VI. & Jovius cap. ult.

2 *Reſpondens.*] Vid. Ciaccon. in vita Clement. IV. Imo agnatos ſuos in Italiam in conſpectum ſuum venire vetuit, ut ex ejus epiſtola quadam probat ibidem Ciacconius. Laudatur quoque eo nomine *Benedictus* XI. qui, ut beneficia Eccleſiaſtica non niſi dignis conferrerentur, agnatos & conſanguineos ſuos fingebat ſibi ignotos, dicens *Pontificem Romanum conſanguineos non habere*, & *ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedek ſine patre*, *ſine matre*, *ſine genealogia eſſe oportere*. vid. Ciaccon. in vita Benedicti XI. & ibi addition raro exemplo, cum alioquin plerique Pontifices ſummo ſtudio in id incubuerint, ut cognatos ſuos ad ſplendidiſſimos honores proveherent, & regalibus opibus ditarent.

rent, retinerent usum, si quae graves & immodicae, tollerentur. Sed morte occupatus, proposito lusus est.

## CAPUT XXIV.

*Hadrianus Aulam Pontificiam emendat. Gregem saeviente pestilentia non deserit. Omnem impudicitiae speciem a se amovet. Ejus pia vivendi ratio. Antonium Florentinum & Bennonem inter sanctos refert. Hadrianus lentior & timidior. Caeteraque ejus vitia ab Italis notata a quibus Auctor Hadrianum defendere conatur. Theophilus Alexandrinus Episcopus litteras Hadriano scribit, quibus obedientiam sedi Apostolicae defert.*

Caeterum ne quid item in moribus suis privatis desideraretur, ilico a Pontificatu Romae [1] de numero satellitum, equitum, peditumque, quos etiam Pontifices venusto more adsciscunt, multum praecidit. In illa atrocissima [2] pestilentiae vastitate, quae omnia id temporis Romae depascebatur, pastor oves non deseruit; sed aliis plerisque magnatibus sibi fuga consulentibus, ipse nec pavidus multum, nec anxie pharmacis armatus, in urbe permansit, eo officio incolis mirifice gratificatus. Si quando antea, tum maxime speciem omnem impudicitiae amovit. Eoque cum adolescentes aliquot honestae tum indolis tum stirpis in gratiam parentum in familiam adscitos, ex Hispaniis secum in urbem duxisset, intellexitque Italos ex convictu illorum, nescio quae abominanda, nostratibus inusitata, suspicari, statim in Hispanias remisit, in Academia Salmaticensi plenius litteris imbuendos, quibus antea domi ipsius a pio simul & erudito viro [3] *Theodorico Hezio* Secre-

3 *De numero satellitum.*] Pontificio enim illo fastu abjecto, humilem vitae statum agebat, paucis minimisque contentus, inquit Justinianus lib. XII. Hist. Venet. pag. CCLV. Solitudinis enim a natura amans & pompae osor erat Hadrianus, unde notatur ab Italis, quod se in intimas palatii latebras occultaret, & raro in publicum veniret, & si procederet, nullis accitis comitibus, nullo, ut Pontificum mos est, aeris tinnuli signo incederet. vid. Pierius Valerianus lib. XIX. Hieroglyph. cap. XIV.

2 *Pustilentiae.*] Vid. Blaz. Ortiz. Itiner. cap. XXV.

3 *Theodorico Hezio.*] Hic ex pago sui cognominis ortus dicitur a Valerio Andrea Fast. Acad. Lovan. pag. CCCVI. Fuit Canonicus Leodiensis & Hadriano a secretis. vid. Erasm. epist. DCXC. quem *virum timoratae conscientiae, & qui benigna quadam & dulci conversatione studiosus virtutis omnes confovebat*, vocat Blazius Ortiz. in Itiner. cap. VII. Hadriano mortuo Leodium secessit, & licet Clemens VII. saepius eum Romam revocaret, & amplos honores sponderet, constanter tamen recusavit, unde in ejus Epitaphio hi versus inscripti:

Secretario ipſius, utcumque imbuti fuerant eo jubente. Inter prandendum & coenandum ſemper lectorem adſiſtentem habebat, quomodo antea. Aeque parce, ut ſolet, aut etiam parcius cibum capiebat. Aedes ſacras per urbem cum religione ſubinde viſebat. Suo quoque tempore in catalogum beatorum [1] *Antonium Archiepiſcopum Florentinum* retulit, virum ſuo aevo & pietate & doctrina ſingulari, ut luculenter ſcripta ejus demonſtrant. Ad haec *Bennonem*, Miſnenſis olim, ni fallor, Eccleſiae Praeſulem, virum ſua tempeſtate ſanctiſſimum, & apud Germanos miraculis etiam hodie nobilem. Et tamen cum iſta integritate eſſet, ſtuderetque pro viribus in omnibus abſoluti Pontificis partes implere, ut argentum ſine ſcoria non eſt, in quibusdam nonnihil officio defuiſſe viſus eſt. In abſolvendis negotiis undique Romam confluentibus, aliquanto lenior [2] timidiorque erat, quam pro nonnullorum animo. Unde illa in eum [3] *Hieronymi Balbi* Ungari libertas, qui cum Legatus Romam miſſus a Ferdinando Caeſaris fratre, coërcendis Lutheranis & Turcis auxilium imploraret, & ille cunctantius perplexiusque in re petita ageret, frequenti coetu Patrum, *Sanctiſſime*, inquit, *Pater Fabius Maximus cunctando rem Romanam reſtituit, tu cunctando rem Romanam, atque adeo univerſam Europam perditurus videris.* Quo ſcommate & Pontifex mirifice pudefactus, & plerisque Patribus riſus excuſſus fuit. Sed cauſſam ceſſationis in eo putant, quod cum de omnibus rite firmeque ſtatuere cuperet, non haberet quibus cum ex animo conſultaret, quique adjutarent, ubi opus eſſet, neque ſciret, utpote novus illic hoſpes,

*Qui cum magnus erat, maiorque evadere poſſet,*
*Cunctis poſthabitis maluit eſſe latens.*

De eo conqueritur Eraſmus, quod Romae eum vehementer amaſſet, verum reverſus in patriam alius factus videretur, Epiſt. MCCV.

1 *Antonium & Bennonem.*] De horum canonizatione vid. Baron. ad Martyrol. Roman. XVI. Junii & Seckendorf. Hiſt. Lutheran. lib. I. ſect. LVII. §. CXLI. & Acta Sanctor. Junii tom. III. pag. CXLVI. & ſeqq. vid. & Blaz. Ortiz. Itiner. cap. XXX.

2 *Timidior.*] Idem vitium in eo notat Caſp. Barlaeus Epiſt. CCLXIX. ubi agens de Hadriano, & quod in animo habuerat Academiam Trajecti erigere, dicit eum multa in votis habuiſſe, quorum nihil praeſtitit, & quod olim de Bibulo Conſule C. Caeſaris collega dictum fuit, vere dici poſſe de Hadriano: *Illo Pontifice nihil geſtum eſſe, cum ad omnem fere rem erat timidior, & popularis aurae captator ſummus.* Egregie tamen eum ab hac calumnia defendit Blaz. Ortizius in Itiner. cap. XXII. qui eum diligentiſſimum in negotiis deſcribit, & omnem culpam, ſi forte quaedam neglexerit & remiſerit, in officiales ejus & miniſtros, qui tarde & difficulter more Flandrorum negotia expediebant, confert. vid. & cap. XXVIII. licet jure meritoque ex eo reprehendatur a H. V. R. in adnot. ad Hiſtor. Episc. Traject. pag. CXXXVII. cum ſi ulli genti tarditas & ignavia propria vitia ſint, certe Hispanicae, & non Belgicae, ubi quoque vir doctus notat Hadrianum ab Italis ideo tardiorem dictum, quia non ſtatim beneficia, ac vacarent, omnibus promiscue conferebat, & diſpenſationes non permittebat, & ſtatim non omnia, quae Itali volebant, exequebatur.

3 *Hieronymi Balbi.*] Fuit hic vir doctus, & Poëta ſui temporis inſignis, de quo vid. Eraſm. Epiſt. CCCCXIV & CCCCXIX. in append. Italus dicitur a Jacobo a S. Carolo in Biblioth. Pontif. lib. II. pag. CCCXXXVII & Ordinis Praedicatorum Episcopus Corſenſis vel Gurcenſis, Orator Ferdinandi Archiducis Auſtriae ad Hadrianum, qui ſcripſit de poteſtate Romani Pontificis, & orationem, quam habuit Romae ad Hadrianum VI.

ſpes, quibus quid tuto committeret, quos proceſſu temporis cogniturus erat. Alioquin in abſolvendis negotiis nihil minus quam ceſſator erat, ut ad liquidum patet ex rebus ejus geſtis in Hispaniis. Displicuit quoque hoc nomine, quod menſae ſuae ſaepenumero ſcurram quemdam Hispanum *Toccinum* nomine, adſiſtentem haberet, cum is ad eum in urbem toleratus potius, quam arceſſitus veniſſet. Rurſus quod in nonnullos ſacerdotia contulerit, qui ad ea non ſatis idonei viderentur. Ad haec, quod quibusdam deformitatibus Romanae Curiae, vix aut nullo pacto excuſandis, diutius juſto indulſerit. Sicut etiam multo ante Pontificatum male quosdam habuit, quod [1] *Guillermo Crojo*, etiam tum adoleſcenti, de quo ſupra meminimus, poſtea Archiepiſcopo Toletano & Cardinali [2] nepoti Marchionis Cherviani, ad Abbatiam illam opimam Affliginianam apud Brabantos adjumento fuit. Interpretabantur quippe eum hoc facere ad promerendam voluntatem, vitandamque offenſam Marchionis, qui id temporis magno in aula Caroli loco eſſet, cum hoc maxime ſpectaret, ut Monaſterium illud foede prolapſum, auctoritate opeque potentum, ad frugem recoleretur, quae adoleſcenti illi generoſae indolis, ampliſſimaeque ſpei, per Marchionem patruum minime defutura videbantur, ſicut utique nec defuerunt, cum omnibus palam ſit, opera ejus & conſiliariorum omnia fere eo loco in melius correcta eſſe. [3] Sunt &

1 *Guillermo Crojo.*] Fuit hic Dux & Episcopus Cameracenſis, & Ximenii ſucceſſor in Archiepiscopatu Toletano, & denique Cardinalis cum adhuc juvenis eſſet, & ejus praeceptor fuit Ludovicus Vives. vid. Erasm. Ep. CCCXLIX. & ſeqq. & CCCLXXXV. & CCCCXLVII. Obiit autem cum tantum vigeſimum tertium aetatis annum ageret, & Carolum Caeſarem electum in Germaniam ſecutus Wormatiae deceſſit. Barlandus Chron. Brabant. cap. CLXXIX. Erasm. epiſt. DLXV. ubi plura ejus encomia refert. Quidam eum ab Hispanis ſublatum dixerunt vid. Seckendorf lib. I. Hiſt. Lutheran. ſect. XXXVII. §. XCII.

2 *Nepoti.*] Marchionis fratrem vocat Perizon. Hiſt. ſecul. dec. ſexti ad ann. MDXXI. ſed male.

3 *Sunt & alia.*] Displicebat quoque eo nomine, quod raro ſui videndi copiam faceret. quod notat Pierius Valerian. lib. XIX. Hieroglyph. cap. XIV. *Hadrianus*, inquit, VI. *Pont. Max. vir Batavus humanam omnem conſuetudinem ita adverſabatur, ut non niſi propria vel utilitate vel neceſſitate cogente, ſui videndi copiam faceret. Quod ſi, quod raro admodum vidiſſes, ſpatiatum in ſubjectos Pontificio palatio campos obequitaret, nullis accitis comitibus, nullo, ut Pontificum mos eſt, aeris tinnuli ſigno dato, iter arripiebat. Simulac Principes, Antiſtitesque & cohors reliqua ex officio adſecuti eſſent, equum ipſe, nullius ſalutationem moratus, citatiore greſſu perurgebat, conſpectumque omnem hominum, tanquam nihil ad ſe eorum ingenium pertineret, effugere properabat, ſeque in intimas palatii latebras occultabat.* Malam quoque iniit gratiam apud Cardinales Hadrianus noſter, quod per legatum ſuum Cheregatium in conventu Norimbergenſi palam confeſſus fuerit aulae Romanae corruptelam, uti refert Sleidanus, lib. IV. Comm. & Polan. I. Hiſt. Conc. Trid. pag. XXXIII. & Seckend. lib. I. Hiſt. Lut. ſect. LVI. §. CXL. & Joannes Sturmius in Epiſtola, quam ſcripſit Cardinalibus caeterisque Praelatis delectis a Paulo III. ut Eccleſiam emendarent, edita anno MDXXXVIII. In Episcopalis autem non bene geſti ſuſpicionem venit apud eos, qui ſeculari potius quam religioſa prudentia Eccleſiam regendam eſſe prae ſe ferunt, dicit Launojus Ep. VII. pag. CCCXL. in qua epiſtola egregie Launojus Hadrianum defendit contra Cardinalem Pallavicinum, qui Hadrianum quidem Pontificem egregiis moribus ornatum, ſed ad gubernandam Eccleſiam minus aptum, non idoneum, qui munus ſuſtineret tantum, & qui in publicis ſacerdotiis praeſideret, tradidit, dicens lib. I. Hiſt. Conc. Trident. cap. IX. *Clericus fuit optimus, Pontifex re ipſa mediocris.* & tres fuiſſe rationes


HADRIANI VI · PONT · MAX · MONVMENTA ·
Nummus Argenteus ex Museo Caroli Castelli Mantuani.
Numisma ex Museo Equ. Fr. Gualdj.
ADRIANVS · VI · PONT · MAX
ROMA
VT IPSE FINIAM
Emblema ex libro Ægidy Sadeler
ADRI ANVS VI. P.M.
PROH DOLOR
QVĀTVM REFERT IN QVÆ TĒPORA VEL OPTIMI CVIVSQ
VIRTVS INCIDAT
HADRIANO VI.PONT. MAX.EX TRAIECTO INSIGNI INFER.
GERMANIÆ VRBE QVI DV̄ HVMANAR. RER. MAXIME AVER-
SATVR SPLĒDORĒ VLTRO A PROCERIB. OB INCOMPARABILĒ
SACRAR. DISCIPLINAR. SCIENTIĀ AC PROPE DIVINĀ CASTISS.
ANIMI MODERATIONĒ CAROLO V.CAES. AVG. PRAECEPTOR
ECCLÆ DERTVSĒSI ANTISTES SACRI SENAT, PARTIB' COLLEGA
HISPANIAR. REGNIS PRÆSES REIPVPL. DENIQ. CHRIST. DIVINIT.
PONTIF. ABSENS ADSCITVS. VIX. ANN. LXIIII. MEN. VI. D. XIII.
DECESSIT XVIII. KL. OCTOB. AN A PARTV VIRG. MDXXIII. PŌT. SVI
AN. II. WLHEL. ENKENVORT ILLI, BENIGNIT. ET AVSPICIIS T.T. S.
IO. ET PAVLI PRESB. CARD. DERTVSEN. FACIVNDV̄ CVR.
Ioanni Sauenier nobili Leodieñ. Sepulchri imaginem Romæ. extātem in Eccl.a S. Mariæ de Anima Theutonicor. M. Greuter D D.

& alia pleraque, in quibus nonnullis minus probabatur, in quibus eum non omnino tueri velim, quasi ipse solus omnibus horis sapere potuerit, id quod recte nemini concessum perhibetur. Porro illud confidenter dixerim, sicubi ab orbita aberravit, ac si qua in re aliter se gessit, quam fortassis plerisque sapientum probatum fuerit, id tamen nec a sciente factum esse, nec de industria. Si quid indulsit, quod fortasse satius esset non indulsisse, ingenue assero, & ii item asserunt, qui propius eum cognoverunt, non sic indulsit, quin ratio aliqua probabilis, cur indulgeret, ei constiterit, aut certe constare visa fuerit. Non dubium, multa concessit ad graviora incommoda, quae alioquin satis idoneis indiciis oritura videbantur, excludenda. Multa quoque male doctus concessit, quod aliter exponerentur, quam veritas haberet. Multa per ignorantiam, quod eo fuco coloreque polirentur, ut quod improba essent, a tantis curis distracto aegre possent deprehendi. Jam vero nonnulla primo intuentibus visus est inconsultius agere, quae tamen ab acutius attendentibus, & ex ipso eventu rerum, non solum non inconsulte, sed salubriter admodum & prudenter ab eo acta compertum est. Adde quod plurima non approbavit quidem, sed tantum ad tempus toleravit, [1] quia protinus corri-

nes sive caussas, quare de Hadriano sic locuti sunt Itali, dicit Launojus, 1. quia vivebat, ac docuerat. Docuerat autem clerico de bonis Ecclesiae nihil praeter victum & vestitum sibi sumendum esse, & ipse Romanus Pontifex nihil de bonis Ecclesiae praeter victum & vestitum sibi sumpsit, qui non ditandis consanguineis, cumulandis opibus, aut exstruendis aedificiis vacavit. 2. quia antea docuerat, dispensationem Apostolicam super pluralitate beneficiorum hominem non tutum reddere in foro conscientiae, hinc plura beneficia in unum conferre nolebat, sed sacerdotia distribuebat juxta hanc doctrinam, & exemplum adducit Launojus nepotis Hadriani, cui Hadrianus contulerat sacerdotium LXX. ducatorum aureorum, qui cum postea aliud pinguius, quod ad centum aureos adscendebat, postulasset, Hadrianus illum acerbissimis verbis corripuit, ac tandem multorum precibus permotus consensit, ea tamen lege, ut priore se abdicaret. Tertia ratio & quidem praecipua erat, quia Curiae Romanae vitia & abusus emendare statuit. & postquam eum optime defendisset Launojus, in fine ita concludit: *Hadrianum, ut prioris aevi Pontificem colo & veneror, ut qui lapsos Curialium mores erigere studuit, ut qui contra cupidos & avaros antistites patrimonia pauperum vindicare voluit, & consanguineos egenorum sumptibus locupletare noluit, ut qui sacros canones sine urgenti & necessaria caussa relaxare instituit, & Ecclesiam ad eorundem canonum institutum regendam suscepit.* vid. & Seckend. lib. 1. Hist. Luther. sect. LVII. §. CLXI. & H. V. Heusd. Antiquit. Eccles. tom. II. in Histor. Episc. Traject. pag. CXXVIII. Omnis ergo Italorum in optimum Pontificem odii caussa fuit, quod difficilem se praebuerit in dispensationibus, & Curiam Romanam emendare voluerit, quod aegre tulerunt Itali adsueti luxuriis Leonis. Eadem quoque testatur Mallinkrot de Pontif. German. *Sui temporis inquit, Curialistis correctionem non admodum amantibus, parum gratus fuit, & quod, cum insigni modestia & gravitate venerandus esset, non obscure prae se ferret, Ecclesiae reformationem ab ipsa Pontificia aula incipi oportere, si fructuose deberet institui.* Videndus quoque Doctissimus Broekhuzius ad Sannazar. lib. III. Epig. IV. ubi de odio Italorum in Hadrianum agens, notat Hadrianum in eo peccasse, a quo diligenter sibi caverat Tiberius, quod ostenderet intempestivo rigore, quibus vitiis esset impar, & hinc ortum contemptum & odium. Ubi quoque exhibet virulentum illud Joan. Pierii Valeriani carmen, quod nos quoque infra producemus.

1 *Quia protinus corrigere non potuit.*] In animo quidem habebat Hadrianus corruptelas tollere verum pium suum propositum ad effectum perducere nequivit. Obstabant enim Cardinales, qui reformationem abhorrentes, ut ipse Cajetanus, Laurentius Puccius, & praecipue Franciscus Soderinus, qui ipsi tunc ab intimis erat consiliis, qui omnibus modis Hadrianum

corrigere non potuit, correcturus tamen ſuo tempore, cum commodius poſſet. Illud conſtat, ſi quando per affectus, aut per fucatas aliquorum ſtrophas ſibi impoſitum ſentiret, ilico ſua ſponte nulloque monente, erratum correxiſſe, ſi modo integrum foret, vel vehementer doluiſſe, ſi non foret. Ut ut eſt, certum habeat, quisquis in eo nonnulla deſideravit, divinum potius quam humanum eſſe, ita ad omnia perpetuo vigilare, ut non alicubi tibi excidas, praeſertim in tantis occupationibus, & apud homines tam aſtutos, qui mille praeſtigias, mille colores quaerunt, ſub quibus res ſuas meliores faciant, nihil interim penſi habentes, aequum ſit an iniquum, pium an impium quod ſequuntur, dummodo via aliqua aſſequantur. Credat denique functionem ſedis Apoſtolicae operoſiorem eſſe, quam imperitis rerum & in otio quieteque agentibus prima ſpecie videatur, ubi non intempeſtive quis illud Comici produxerit: *Tu ſi hic ſis, aliter ſentias.* Ferunt eo Pontifice *Theophilum* Patriarcham Alexandrinum permotum fortaſſe claritate nominis ejus, litteras Graece ſcriptas ad eum transmiſiſſe, quibus ſedi Apoſtolicae obedientiam, obſequiumque detulerit, & caput Eccleſiae Catholicae reverenter agnoverit, quas vir multarum linguarum ſimul & diſciplinarum exacta cognitione clarus [1] *Hieronymus Alexander*, tunc Pontificiae Bibliothecae curator, nunc Brun-

num impediverunt, ne cogitata perficere poſſet. Unde fertur Hadrianus Guielmo Enchavordio & Theodoro Hezio, communicatis cum iis quae ipſi Cardinales dixerant, profeſſus miſeram eſſe Pontificum conditionem, quibus deerat recte faciendi facultas, etiam cum maxime vellent, & in id operam ac diligentiam impenderent. Polan. lib. I. Hiſt. Concil. Triden. pag. XXVII. & Seckendorf lib. I. Hiſt. Lutheran. ſect. LVI. §. CXLII. & Schilterus lib. VII. cap. III. §. II. de Libert. Eccleſ. German.

1 *Hieronymus Alexander.*] Hujus mentio fit ſaepe ab Eraſmo in epiſtolis, ubi *Hieronymus Aleander* vocatus. Graecae linguae peritus fuit, in qua praeceptor fuit Berſelii, vid. Eraſm. app. Epiſt. CLXXXVIII. Fuit contubernalis Pierii Valeriani. vid. Pier. Valerian. ad Virg. IV. Aeneid. vſ. CCCLXXIII. Hunc *virum doctum* vocat Eraſm. Epiſt. DXLII. & DCLXXXIX. & *virum ingenii & abſolute doctum* Gennepaeus lib. II. Memor. contr. Sleydan. & *admodum diſertum & linguarum peritum*, Cochlaeus Act. & ſcript. Luther. ad ann. MDXXI. Hic Graecas latinasque litteras publice docuit Pariſiis, quingentorum aureorum nummorum annuo ſtipendio donatus a Ludovico XII. Ferron. lib. III. Rer. Gallicar. Deinde fuit Leodienſis Canonicus, Cancellarius Epiſcopi Leodienſis, & Praepoſitus apud D. Petrum. Eraſm. append. Epiſt. CXI. Poſtea Pontificis ſummi Bibliothecarius, uti teſtatur Colomeſius Epiſt. ſingul. XI. & gemina mitra inſignitus, Oretinus ſcilicet & Brundiſinus Archiepiſcopus. Eraſm. Epiſt. MCCXXXVII. Fuit hic antea Eraſmi amicus vid. Eraſm. Epiſt. CCCCLXVI. DI. DXLIII. DLXIX. & DCL. poſtea tamen, inſtigantibus quibusdam Theologis Lovanienſibus, qui Eraſmum Luthero favere credebant, inimiciſſimus Eraſmo exſtitit. vid. Epiſt. DLXXXIII. & Alberto Pio conjunctiſſimus contra Eraſmum eum inſtigare non deſtitit, ut multis locis conqueritur Eraſmus. Poſtea aliquantulum animum mutaſſe videtur, & Eraſmum Romam vocavit. vid. Epiſt. DXCIV. quamquam ſimulate eum egiſſe dicit Eraſmns Epiſt. DCXVIII. ubi eum vocat *natura ferocem, irritabilem, cui nihil neque lucri neque gloriae ſatis eſt.* & Epiſt. DCCXXXII. eum *coram blandum, abſentem alium* nuncupat. vid. & append. Ep. CCCXXX. Et Caeſarem inimicum Eraſmo reddere conatus eſt. vid. Epiſt. DCXLIV. ut & Epiſcopum Leodienſem Epiſt. DCCIII. Luthero fuit infenſiſſimus, & nuncius Apoſtolicus in mandatis habuit Lutheranos ad obedientiam ſedi Romanae reducere, & Lovanii, Leodii & Coloniae Lutheri libros incendit Eraſm. Epiſt. DCVI. & DCLXIV. & in Comitiis Wormaciae habitis cum Nuncius Apoſtolicus eſſet, Lutherum non ſolum inobedientiae & haere-

Brundusinae sedis Archiepiscopus, latine interpretatus est, & una cum ipsa interpretatione, ni fallor, in scriniis Pontificiis ad memoriam posteritatis reposuit. Atque haec fere in Pontificatu salvus ac validus gessit. Caeterum quonam modo amplissimam spem, quam omnibus de se concitarat, & honestissimos ejus maximarum rerum conatus, praesertim in sarciendis quae passim dirupta jacebant, obrepens mors eluserit, restat ut paucis item exponamus.

## CAPUT XXV.

*Hadriani opera foedus inter praecipuos Christiani orbis Principes initum. Hadriani morbus. Guillermum Enchavordium Cardinalem creat, & moritur. Ejus sepulchrum, & monumentum ipsi positum ab Enchavordio.*

Ecce dum totus & mente & viribus reformationem Ecclesiae meditatur, putatque Principes eam ad rem piam scilicet & necessariam haud dubie enixe adjuturos esse, eventus non omnino votis & conatibus ejus respondit. [1] Foedere tamen junxit non quidem omnes, sed praecipuos Christianae pietatis Monarchas, liberasque Italiae civitates, inprimis sedem Apostolicam, Carolum lectum Caesarem, Henricum Angliae, Ludovicum Ungariae Reges, & minores aliquot Italiae Principes. Quorum omnium Legatis apparatissimum epulum Romae [2] *Pompejus Columna* Cardinalis dedit. Tametsi caussa foederis praecipua erat, tueri Itali-

haereseos verum etiam seditionis, rebellionis, impietatis, & blasphemiae graviter accusavit, uti refert Cochlaeus Act. & script. Luther. ad ann. MDXXI. Et diploma Pontificis quo Lutherus haereticus declaratus, in Germaniam emisit, & ab Electore Saxoniae petiit, ut Lutherum captivum Papae traderet. Polan. lib. I. Hist. Conc. Trident. pag. XV. & XVII. vid. Lutheri. Oper. tom. II. pag. CXVI. & pag. XXXII. ubi dicit, quod *Judaeus natus, ad insaniam iracundus, quavis occasione furens, impotentis arrogantiae, avaritiae inexplebilis, nefandae libidinis & immodicae fuerit.* Et extat ibid. pag. XXXIV. carmen virulentum discipuli cujusdam Lutheri, ubi mores ejus describuntur. Postea autem Archiepiscopus Brundisinus creatus Galliam petiit. Erasm. Epist. DCCXXXI. & deinde Venetiis ut Epicureus vixit. Erasm. Epist. MCCLVIII. & Cardinalis a Paulo IV. creatus, Romae obiit anno MDXLII. vid. Jovius Elog. Doctor. viror. pag. CXVII. & Chastaigner Nomencl. Cardinal. p. CXXXI. ubi scripta ejus memorantur.

1 *Foedere.*] Leges hujus foederis recenset Guicciard. lib. XV. & P. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic. & Galeac. Capell. Comment. de reb. gest. pro restit. Francisc. Sfortiae lib. III.

2 *Pompejus Columna.*] Fuit hic nobilis Romanus, & Julio vivente Episcopus Reatinus. Hic cum Julius gravissimo morbo decumberet, Populo Romano in Capitolium convocato, una cum Antimo Sabello gravissima oratione populum ad libertatem capessendam instigare conatus est, unde Episcopatu privatus est. Postea a Leone X. fuit pileo donatus, & cum Julio Mediceo de Pontificatu decertavit. v. Guicciard. lib. X. & XIII. vitam ejus conscripsit Jovius, ubi plura de eo videri possunt. vid. & Jovius lib. VI. Elog. viror. bellic. virtut. illustr. Obiit Neapolitanus Prorex anno MDXXXII. vid. Chastaign. Nomencl. Cardinal. pag. CXIV. ubi & scri-

Italiam ab incursu Turcarum, qui a capta Rhodo feroces, a bello minime cessaturi videbantur, quam ob caussam Caesar etiam cum Venetis pacem firmavit. Unus Gallus extra jus foederis erat, sed sic, ut inseri posset, si conditionibus oblatis vellet. Ac constitit foedus illud usque ad obitum Pontificis, a quo mox diremptum fuit. Foederi autem publicando locus constitutus aedes Virginis Matris erat, vulgo *Sanctae Mariae Majoris*, olim *Sanctae Mariae ad praesepe* appellata. Hic cum Pontifex per se interesse cuperet, quo res majoris auctoritatis esset, Medici vetuerunt; quippe jam tum laborare e renibus coepit, quo ante quadragesimum postea diem absumptus fuit, conatique sunt persuadere, publicationem eam in aede Divi Petri celebrari juberet, palatio videlicet Pontificio proxima, quo accedere sine magno valetudinis incommodo posset, cum si ad aedem illam Virginis concederet, quae longo satis intervallo inde distabat, id non posset sine magna corporis concussione, quae sic affecto non posset non esse vehementer noxia, & propemodum exitialis. Verum ille, sive fisus auxilio numinis, cujus negotium bona fide ageret, sive non ratus tantum subesse discriminis, quantum denunciaretur, ut sententia cederet, adduci non potuit. Quarto itaque Augusti, qui dies longe fervidissimus erat, aliquanto post meridiem in palatium concessit, aedi illi virginis, de qua diximus, vicinum, comitantibus aulicis omnibus. In quo quidem itinere plurimum pulveris hausit, qui multitudine equorum, in ingenti scilicet terrae siccitate, qualis per aestatem Romae esse solet, excitabatur. Ac diuturniore equitatione adeo defatigatus est, ut vesperi cubitum decesserit incoenatus, appetentia scilicet cibi prorsus dejecta. Postridie, qui dies etiam plurimum fervebat, languidus admodum in templum venit, & amictu Pontificali non parum ponderoso oneratus, sacro solenni prolixoque, quod *Pompejus Columna* Cardinalis celebrabat, publicationique foederis, quae a *Vincentio* Pompeji a secretis fiebat, ad finem usque interfuit. Unde multo magis dejectus, totoque corpore sudore destillans, ut etiam vestes ipsae maderent, in palatium, ubi pernoctarat, redit. Ac mox vestibus positis, in lectum cubitum concedit, cubantem sudor ingens repetit, ut lectum stragulamque penitus madefaceret. Neque ullum cibi desiderium adest, ut tot sudoribus exhaustas vires posset refovere. Et tamen sic prostratus eodem die sub vesperam, pari difficultate Vaticanum repetiit, postridie scilicet, quam inde abiisset. Ex eo vero tempore renum dolor indies magis ingravescebat, ut suprema illi adesse facile posset intelligi. Quo animadverso, convocatis fratribus Cardinalibus, ultimum vale dicit, summo eis studio re Christiana mandata, quae tum si umquam alias graviter laboraret,

quam-

quamque ipse ad statum meliorem, pacem, quietemque reducere cupivisset quidem, si modo rerum arbiter Deus vitam longiorem indulsisset, suppeditatis simul viribus & auxilio. Porro pileum Cardinalitium, quo titulo ipse habuerat, circumstantibus praesertim Julio Medice, & Ludovico Suessano, in *Guillermum Enchavordium* contulit, [1] cujus supra meminimus, in quem quoque antea Episcopatum suum Dertusensem transtulerat, nonnullis agentibus, ut eo ipso pileo *Theodoricum Hezium*, de quo item antea mentio fuit, decoraret, quod & fortassis factum fuisset, si modo viro illi optimo ad dignitatem eam tuendam aliunde satis prospectum fuisset. Atque eum ad modum rebus omnibus publice privatimque rite quantum potuit ordinatis, sacramentisque Ecclesiasticis Christiano ritu religiose acceptis, [2] octavo Calend. Octobris, qui dies exaltatae cruci tum festus erat, ad extremum ferme halitum mentis compos, naturae concessit, [3] quo tempore Galli, *Bonviveto* Duce, repulsis Caesarianis, amnem Ticinum transierant, anno humanae salutis MDXXIII. Pontificatus sui [4] anno secundo, cum annos sexaginta quatuor, menses sex, dies sedecim aetatis implevisset, vir dignus, qui Pontificatui annis multis praesedisset: quem utinam [5] ita Romani, Italique, ut Germani, iique

scripta ejus recensentur.

1 *Cujus supra.*] Vid. supra cap. XVI.

2 *Octavo Calend. Octobris.*] Male cum sit XVIII. Kal. Octobr. ut patet ex monumento sepulchrali, quod ipsi Enchavortius posuit, & ut recte Valer. Andr. & Launojus Ep. VI. pag. CCCXXVII. hora inter XVIII. & XIX, Onuphr. Panvin. Chron. Roman. Pontif. ad ann. MDXXII. vel XIV. Septembris, ut in Calendario Romano dicitur XVIII. Octobris. Ut Labbe de Scriptor. Eccl. tom. I. pag. CCCCXV. Locrius Chron. ad ann. MDXXIII. Papebroch. in Propylaeo in conat. Chronico Historico ad Catal. Pontif. part. II. pag. CLIII. & Seckendorf. lib. I. Histor. Lutheran. sect. LVII. §. CLXI. Ipso die exaltationis Sanctae Crucis, qui fuit dies Lunae, obiisse adfirmat Brochius in MSS. & Suffrid. Petri in append. ad Bekam in Philippo Burgundo. Errant ergo Vernulaeus lib. III. Acad. Lovan. X. qui cum XV. Cal. Octobr. obiisse dicit, ut & Chytraeus VII. Hist. Saxon. p. DCCLIII. qui pridie Idus Septembris defunctum, & Polanus I. Hist. Conc. Trid. pag. XXXIV. qui XIII. Septembris eum mortuum adfirmat.

3 *Quo tempore Galli.*] Vid. Ferron. lib. VII. Rer. Gall.

4 *Anno Secundo.*] Postquam sedisset annum unum, menses octo, dies sex. Val. Andr. Bibl. Belgic. Labb. de Scrip. Eccl. d. l. dies novem dicit Locrius d. l. A die scilicet electionis, menses vero sex dies triginta a die acceptati muneris. Papebr. d. l. postquam annum unum & hebdomada triginta sex sedisset, dicit Suffrid. Petr. d. l.

5 *Ita Romani Italique.*] Audita enim Hadriani nostri morte Itali optimi viri sanctissimos mores ferre non potentes, exultarunt. Sic Guicciard. lib. XV. *Obiit Hadrianus*, inquit, *parva sui, sive ob temporis, quo regnavit, brevitatem, sive quod rerum esset imperitus, opinione relicta, & cum totius aulae (utpote quae vel Italum, vel saltem in Italia educatum hominem in sede videre cuperet) incredibili voluptate.* & Papebr. in Propylaeo ad Act. SS. Maji in Conat. Chron. Histor. ad Cat. Pont. part. II. pag. CLIV. *Hadriani mors Romanis nuntiata eisdem grata supra modum accedit; universim enim Curiae parum acceptus erat Hadrianus, eo quod sua Beatitudo longe discreparet ab illa amplitudine, magnificentia & splendore, quem proximiores sui decessores sectati fuerant, quamvis revera esset propinquior bonis illis qualitatibus, quae requiri solebant in electionibus Pontificum, temporibus a primitivae Ecclesiae spiritu minus remotis.* Et paulo post: *Lacerabatur vir iste sanctus hominum linguis atque dicteriis, velut parum idoneus regimini rerum secularium, variisque calumniis impetebatur, quia non habebat mensam lautam, curiamque magnificam, sed privatim instar religiosi vivebat, unum secum habens familiarissimum sodalem, quem etiam unicum creavit Cardinalem,* sc. Enchavordium.

iique apud quos ab aetate viridi vegetaque versatus erat, penitus cognovissent. Crediderim fassuros fuisse, haud alium ullum seculis multis fuisse, qui spartam illam, ut ajunt, felicius ornare potuisset. Neque accessuros cuidam ipsorum, qui in libro quem [1] de *Piscibus* inscripsit, de eo prodit: ***hominem sicuti in administranda Republica hebetis ingenii, vel depravati judicii, ita in esculentis insulsissimi gustus fuisse.*** Sic scilicet de viris bonis censent, qui affectus in consilium, non rem ipsam adhibent. At vero seculum illud turbulentum, & nunc multo turbulentius, fortasse tali Pontifice [2] dignum non fuit, ut non raro Deus iratus salutares Reipublicae Rectores de medio tollit, quia subditi per mores improbos diu habere non merentur. Fateor, justa erat senectute, & ad metas humanae aetatis accedere incipiebat. Atqui immatura mors eorum virorum, meo quidem animo, omnibus videri debet, qui per ingenium etiamnum florentissimum, per memoriam adhuc praesentissimam, per multiplicem rerum usum, quanto majorem cum senes jam, quam olim juvenes habent, quae omnia in Hadriano erant, in publicum prodesse & possint & velint quidem; sed per communem omnibus mortalitatis sortem non permittuntur. Quamquam [3] egregia ejus

1 *De Piscibus.*] Scilicet Paulus Jovius, qui librum de Piscibus Romanis scripsit, & capite primo hanc calumniam in Hadrianum effundit. Extat hic liber in tom. I. Thesauri Salengriani.

2 *Dignum non fuit.*] *Cum Curia Romana tali Pontifice esset prorsus indigna, visum Deo eum ab hac mortalitate abducere*, dicit Polanus lib. I. Hist. Conc. Trident. p. XXXIV. *Quod orbis eo indignus esset, feliciore sane seculo dignus*, Miraeus Auctar. de Script. Eccl. §. DXXXVI. & Elog. Belg. in Hadrian. VI. & Barland. Chron. Brab. cap. CLXXX. *In hoc viro*, inquit, *nimis illud verum ostensum est, omnia in humanis quo meliora, eo minus diuturna esse; nam ut optimus erat ejus Pontificatus futurus, ita brevissime effluxit.* Eo adludit quoque Epitaphium, quod ipsi posuit *Tranquillus Molossus*, Poëta Italus, qui eo tempore floruit.

*Longior in terris aetas Tibi Sancte, fuisset,*
*Praesul ad innumeras prodita Olympiadas,*
*Si male vixisses, brevius tibi contigit aevum,*
*Exemplum rarae quod pietatis eras.*

Quod Epitaphium exhibet Arisius in Cremona litterata tom. II. pag. LXXVI. habet quoque & Pontanus in Epist. a Mathaeo edit. LIV. ubi & alterum ejusdem Tranquilli Molossi conspicitur:

*Quod bonus, & recti custos, quod pacis amator,*
*Correctorque aulae luxuriantis eras;*
*Scilicet hac una caussa, vir sancte, peristi,*
*Vixisses annos Nestoris improbior.*

Ubi Pontanus dicit utrumque epigramma Laurentium Pignorium Patavinum exhibere in Epistolis suis symbolicis, & miratur libertatem usurpatam ab homine Patavino sive Veneto. Forte autem hi versus respiciunt mortem Hadriani, qui a multis veneno sublatus creditur, ut statim videbimus. Alterum quoque carmen primo die funeri ejus affixum refert & Lokhorstius in Epistola, quam Buchelius edidit, & nos infra totam exhibebimus.

*Cita mors Hadriani*
*Hinc mors tam cita, quod mores & tempora nostra*
*Prava nimis, talem non meruere Virum.*
*O mors, O tempora!*

Vid. & Heusden. Antiquit. Eccles. tom. II. in Hist. Episc. Traject. pag. CXXXI.

3 *Egregia.*] Optimum quoque elogium ipsi dixit Valer. Andr. Fast. Lovan. pag. XCV. *Vir fuit*, inquit, *vitae sanctimonia, probitate, castitate, modestia singulari, pacis, justitiaeque cultor eximius, litterarum omnis generis adprime eruditus.* Et Chytraeus lib. VII. Histor. Saxon. pag. DCCLII. *Adrianus VI. humili loco natus, sed ingenio, doctrina, integritate vitae, morum sanctitate & industria excellens.*

Subla-

ejus virtus, eximia pietas, excellens eruditio, de omnibus benemerendi incredibile ſtudium, eum facile, ni fallor, ab interitu aſſerent. Vivet quippe per haec, vivet in ſecula, atque eo quidem diutius, quo aequiores poſteri de omnibus, quam praeſentes, erunt judices. Defuncti corpus in templo Divi Petri, in veſperam usque inſequentis diei in publico conſtitit, affluentibus eo certatim omnis generis mortalibus, aliis religione quadam manus pedesque, quos hominis vere ſancti eſſe credebant, oſculaturis, aliis propius libereque viſuris mortuum, quem reverentia quadam contingere auſi non fuerant vivum. Quare multorum adflatu, utique in tanto aeſtu, quantus tum Romae erat, reſoluto corpore, adeo facies deformata fuit, ut Hadriani eſſe vix agnoſceretur, ut inde plerique ſuſpicionem caperent, [1] ſublatum veneno. Quod ut familiares ejus conſtanter aſſerere non velint, ita nec inficiari auſint. Sane diſſecto corpore, quo rei fides exploraretur, veneficii notas certas nullas compertas ferunt. In ore ſtomachi initia quaedam fuere apoſtematis atri, quod vel ſolum brevi extinguendo ei Medicus, qui aderat, ſuffecturum ajebat. Id autem natum conjectabant ex moerore, triſtioreque melancholia, quod tot paſſim malis ex univerſo orbe, velut de compoſito irrumpentibus, ex animi ſententia non poſſet occurrere, cum alioquin nihil minus quam melancholicus eſſet. Praeterea nihil ſingularis vitii in corpore repertum ajunt. Conditus eſt temporario [2] monumento in aede Divi Petri inter duos Pios, ſecundum & tertium, Picolhomineae familiae Pontifices, [3] cum hoc elogio: *Hadrianus Sextus hic ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit.* qua utique parte elogium verum dixit. Quippe numquam

1 *Sublatum veneno.*] Plurimi hoc tradiderunt. vid. P. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic. Mallinkrot de Pontific. German. & Baleus de Rom. Pont. in Hadriano VI. & Schilter. lib. VII. cap. III. §. II. de libert. Eccleſ. German. & Begerus Numismat. Pontific. pag. XX. cum *puduerit Romanos, quod ſolo virtutis nomine praeteritis tot illuſtriſſimis ſuae coronae viris, ultra alpes, ex infima ſtirpe ſibi Pontificem adſciviſſent.* Ut addit ibidem Begerus. & memorabilis eſt epiſtola Lokhorſtii Canonici Eccleſiae S. Mariae qui Romae tempore mortis Hadriani agens, Decano & Capitulo Eccleſiae S. Mariae ſcribit Hiſtoriam mortis Hadriani, quae edita eſt a Bucchelio poſt Hiſtoriam Hedae & Bekae in Append. pag. XI. quam, quia notatu digniſſima eſt, nos infra totam exhibebimus. Blazius Ortiſius in itinerario cap. XXXIX. dicit varias opiniones emerſiſſe de ejus morte, aliis veneno peremptum, aliis ex incognito morbo deceſſiſſe adfirmantibus, quod, inquit, *Dei judicio qui ſecretorum nihil ignorat, eſt relinquendum*, qui tamen cap. XXXVI. adfert teſtimonium Medici cujusdam, qui Hadrianum veneno interemptum judicavit. ubi vide.

2 *Monumento.*] Huic monumento adfixi erant verſus, quos habet Jovius in fine vit. Hadr. vid. Struvius Actor. litter. tom. III. & Sweert. Athen. Belgic.

3 *Cum hoc elogio.*] Ita & refert Sweertius, ut & Struv. d. l. Saepe enim dixerat ſibi fuiſſe jucundius Lovanii Gymnaſium cum ſtudiorum laude moderari, quam Romae Pontificia in ſede Hierarchiam Pontificiam adminiſtrare. Ante corporis tranſlationem in Vaticano, hi verſus adfixi:

Quo

quam ei in Pontificatu ita bene fuisse adnotari poterat, quin intra privatam vitam consistere multo malle videretur. Caeterum *Cardinalis Enchavordius*, ut in defunctum quoque amicitiae fidem praestaret, quam luculentam in vivum praestiterat, [1] alterum ei monumentum amplissimum ex alabastro posuit, in templo sanctae Mariae Germanorum, ad arcum Flaminium, cum plurimis ejusdem materiae statuis virtutum ejus, quarum ductu ad id fastigii emerserat, clarissimis indicibus. In quod etiam cum paucis ab hinc annis, summa celebritate, magnaque impensa transtulit, euntibus in pompa Cardinalibus, Episcopis, omnibusque Curiae proceribus, centum quoque Presbyteris amictu lineo, singulis quoque funale manibus gestantibus. Curatum est ad haec, ut postridie translationis eodem loci a cantoribus Pontificiis, musice summo splendore sacrum celebraretur, praesentibus nimirum rursus omnibus Cardinalibus, Episcopis, Curiaeque praecipuis, cuique venienti in manum dato cereo dimidiatae librae, impetrato simul a Pontifice, quicumque recurrente anno, eo ipso loco pro salute Hadriani ter religiose precationem dominicam, totiesque salutationem angelicam diceret, indulgentias plenarias, quas vocant,

*Quo Romanorum sextus Pater atque Sacerdos,*
*Hoc etiam pietas conditur in tumulo.*

1 *Alterum ei monumentum.*] Monumentum illud magnificum sepulchrale, quod ipsi posuit Enchavordius, ad vivum exhibetur in addit. ad Ciaccon. de vit. Pontific. in Hadriano VI. cui haec inscripta verba:

HADRIANUS. VI. PONT. MAX.
TRAJECTO. INSIGNI. INFERIORIS. GERMANIAE. URBE. ORIUNDUS.
DUM. HUMANARUM. RERUM.
MAXIME. AVERSATUR. SPLENDOREM.
ULTRO. A. PROCERIBUS.
OB. INCOMPARABILEM. SACRARUM.
DISCIPLINARUM.
SCIENTIAM. AC. PROBE. DIVINAM.
CASTISSIMI. ANIMI. MODERATIONEM.
CAROLO. V. CAESARI. AUGUSTO.
PRAECEPTOR.
ECCL. DERTUSENSI. ANTISTES. S. SENATUS. PATRIBUS. COLLEGA.
HISPANIARUM. REGNIS. PRAESES.
REIPUBL. DENIQUE. CHRISTIANAE.
DIVINITUS.
PONTIFEX. ABSENS. ADSCITUS.
VIXIT. ANN. LXIV. MENSES. VI.
DIES. XIII.
DECESSIT. XVIII. KAL. OCTOB. ANNO.
A. PARTU. VIRGINIS.
CIↃ IↃXXIII. PONTIFICATUS. SUI. ANNO.
SECUNDO.
GUILIELMUS. ENCHEFORTIUS. ILLIUS.
BENIGNITATE.
ET. AUSPICIIS. TT. SS. JOANNIS. ET.
PAULI.
PRESBYTER. CARDINALIS.
ET. DERTUSEN. EPISCOPUS. FACIUNDUM. CUR.

Vid. & Valer. Andr. Fast. Acad. Lovan. pag. XCV. Sweert. Athen. Belgic. Miraeus Elog. Belgic. in Hadriano VI. Chastaigner Nomenclat. Cardinal. pag. CXVI. Jacob a S. Carolo Biblioth. Pontific. lib. I. pag. CVIII. & H. Heusd. Antiquit. Ecclesiast. tom. II. in Histor. Episcop. Traject. pag. CXXXI. vide. & Locri Chronic. pag. DLXXXVII. Et eandem inscriptionem, quae in monumento illo habetur, legi quoque ad imaginem Hadriani in collegio, quod extruxit Lovanii, tradit idem Valer. Andr. Fast. Academ. Lovaniens. pag. CCCV. Notandum vero in superiori parte monumenti hujus, quod in additionibus ad Ciacconium videmus, exstare numismata ab Hadriano cusa, vid. Andr. Victorell. Ibid. Alium nummum in honorem ejus cusum a Trajectinis nostris exhibet Struvius in tom. III. Actor. Litter. quem quoque ibidem illustrat, ut & alia numismata quae Molinetus & Bonnanus habent. vid. & Beger. Numism. Pontif. Roman.

cant, in perpetuum obtineret. Datis denique tribus pretiosissimis tapetis, auro textili fabre concinnatis, quae pallia vocant, ornando sepulchro, & parietibus sepulchro proximis, dignus utique ob haec & alia ea fortuna, qua eum suprema aetate floruisse vidimus. Siquidem, ut quidam ait, *parata oblivio mortuorum est*, plurimique haud aliter amicos, atque rustici agros colunt, donec scilicet fructus sperari potest, spe fructus adempta, omnium potius quam amicitiae memores. At vero longe aliter *Enchavordius*, coluit Hadrianum vivum, coluit etiamnum tenuis fortunae, coluit ad amplissima provectum, pulcherrimo omnibus exemplo, amicitias cum probis candidisque semel institutas numquam deserendas, & amore honesti, non commodi, fovendas esse. Tametsi eum in Hadrianum animum, non iis modo, quae Romae praestitit, declaravit, verum etiam nec minus aperte iis, quae Lovanii, praesertim collegium illud Theologorum, cujus supra meminimus, ab Hadriano institutum, sed non satis dotatum, omni favore, consilio, auxilio, omnibusque officiis liberalitatis benigne prosequendo, ut ejus alter conditor non injuria appellari possit, benignius haud dubie adhuc prosequuturus, si vita longior comes fuisset, crediderim, quod non minus eam pietatem utique pro statu horum temporum, quibus omnia haeresibus plena sunt, & Theologos doctos existere in primis necessarium est, Deo gratam duceret, quam facultates extruendis sacellis aut monasteriis dedicare, quam nonnulli propemodum solam Deo acceptam putare videntur. Pro quibus meritis ex animo optamus, ut divina ei benignitas immortalitatem & pacem illam beatorum sempiternam largiatur.

Atque haec sunt fere Princeps optime, quae de Hadriani vita praesentia nobis memoranda videbantur, quae quidem nec omnia esse, quae de eo memorari potuere, nec ea gratia expolita, sicuti in limine testati sumus, ut viro tanto dignum fuit, & quivis alius eruditior potuit, minime diffitemur. At id extra propositi nostri rationem fuit, ut qui satis habuerimus potiora attingere, reliquis minutioribus iis relictis, qui ea plenius aut ipsi coram videre, aut ab aliis idoneis auctoribus fando audivere. Et rursus ea ipsa visum fuit non Apellaeo penicillo depingere, quod tenuitas nostra minime patitur, sed humili & tralatitio, ut simplicitate nostra provocati, quibus major scribendi tum facultas, tum felicitas est, aliquid reddant augustius, ut etiam hoc honore decoretur mortuus, cui nihil honoris defuit vivo. Restat ut lector quicumque haec legere, si modo ullus, dignabitur, sic quidem legat, ut inde fructum referat. Si quid laudandum in eximio viro, qualia ferme omnia

 sunt,

ſunt, ſi quid fore uſui ad bonam frugem, ad honeſtam gloriam, ad honoratum nomen conſpexerit, id diligenter in alvearium pectoris ad imitationem recondat. E diverſo ſi quid carbone notatum, ſi quid deſideratum in eo audierit, ut ſunt mortalia, hoc doctus errore ejus pro virili evitare meminerit. Ita futurum eſt, ut quam facem ille ad virtutem & ad res plurimas laude dignas poſteris praetulit, ipſe quoque aliis praeferat, & quibus veſtigiis ad perpetuam immortalitatem dux praeceſſit, ut confidimus, ipſe quoque comes ſequatur, id quod faxit Dominus, in quo celſitudinem tuam iterum valere exoptamus.

F I N I S.

# PAULI JOVII
## NOVOCOMENSIS, EPISCOPI
## NUCERINI,
## VITA
# HADRIANI SEXTI.

*PAULI JOVII NOVOCOMENSIS, AD [1] GULIERMUM CARDINALEM DERTHUSENSEM, IN VITAM HADRIANI VI. PONTIFICIS MAXIMI,*

# PRAEFATIO.

*Movit me praeclara quadam aemulatione gratissimi animi tui studium, Gulierme Cardinalis amplissime, ut Hadriani Sexti memoriam literarum beneficio ad posteros quam longissime proferrem. Nam tametsi magnis opibus & liberalitate pene incredibili sepulchrum marmoreis signis inter caetera Urbis ornamenta conspicuum sanctissimi viri cineribus operosa celeritate persolveris, id tamen ad aeternitatem, quam quisque optimus pro gloria avidissime semper spectavit, nequaquam firmissimum erit, & maxime diuturnum, quod vel elaborata excelsaque artificum opera, uti fortunae atque innumeris invidiae casibus subjecta, vel una, nec longi quidem temporis injuria celerrime consumantur. Itaque & meo & vetere decreto, & tua praesertim authoritate impulsus, non injucundum tibi fore putavi, si ad dignitatem sumptuosi operis, fidelis etiam historiae & literarum honos opinione mea facile sempiternus adderetur: scilicet, ut posteri diffuse intelligant, quantum Hadrianus virtute animi pietateque in omni fortuna praestiterit, nec e titulo tantum marmoribus inciso, sed e perpetuo actionum omnium annalibus Christianae vitae exempla, sacratis praesertim hominibus petantur. Et hercle desiderio votoque tuo dignum videtur, ut optimi viri nomen non in urbe tantum legatur, inclusum scilicet angustis unius aediculae spatiis, verum etiam ubique terrarum latina voce celebretur. Hujus autem publici beneficii laus apud te aliquanto, quam apud authorem verior & cumulatior erit, quum imperasse scripturo majus sit atque praeclarius, quam jubenti liberalique animi magnitudine flagitanti, me nequaquam gravate, vel infeliciter obsecutum fuisse. Sic enim turbidioris seculi mores ferunt, ut ditissimus quisque laudari effingique literis ineptum & absurdum putet, quando ipsum scribenda facere, & benigna manu excitare ingenia oporteat, quod occupatis avaritia animis fieri nequit, unde servili improbaeque adulationi certior atque nobilior sit locus, quam liberalibus eloquentiae studiis, quorum praesidio perillustre, nec periturum quidem spectatae virtuti lumen adferatur. Nec mirum est si existimaris, optime*

 *Gulier-*

1 *Gulisrmum.*] Scilicet *Enchavordium*, cujus merita in erigendo magnifico & splendido illo monumento sepulchrali, de quo ad Moringum vidimus, hic praedicat. Nos quoque pluribus de Enchavordio ad Moringum Cap. XVI. egimus.

*Gulierme, inter multos bonarum literarum praecipuus & liberalis aestimator: decurristi enim felici passu per omnes fortunae gradus, ut in hanc summi prope honoris sedem proveherere, quum tibi ab ineunte aetate perpetuae comites adessent rarissimae virtutes, innocentia, modestia, fides: adjecisti demum pietatem, quae est una omnium virtus Senatore Sacerdote dignissima; hac enim multos divitiis atque natalibus florentes facile superas, & cum priscae aetatis optimis Cardinalibus certissima cum laude contendis. Studia porro tua plena officiosae humanitatis, moderationis atque justitiae ita in Senatu, in Urbe, totaque Italia, atque Germania nudantur, ut quum neminem omnino ambitiose colas, vel astute captes, vel maligne circumscribas, hic ipse, quo emines, pilei purpuraeque honos merito tuo inferior habeatur. Ob id fere nemo est in Urbe bonus & studiosus, qui tibi fortunas amplissimas, & in hac viridi venerabilique canitie, seram felicemque senectam non optet. Miseri etiam, quorum sanctissimae sunt precationes, pro tua salute vota suscipiunt, utpote quos vel durior egestas oppresserit, vel atrocior & foedior afflixerit morbus, vel immitis Fortuna jactaverit. Et hoc loco annumerare foeminas lubet, quas profligato quondam pudore, nunc demum ab honesti decoris cura religionis amor, abdicatis voluptatibus, intra pudicitiae septa conclusit; ea enim suppliciter vitam & dignitatem tuam superis commendant, quoniam his omnibus alendis, fovendisque pia, liberali, opportunaque manu semper occurris. Et id quidem jucundiore & clariore cum laude, quod quum tibi uni, qui aurea, & vere beata mediocritate delectaris, sis frugi, moderatus & diligens, erga hos demum, velut contemptis opibus, pietate singulari profusissimus habeare. Igitur ea mente, qua tot virtutes colis, atque ea fide qua scripsimus, hoc ingenii mei munus suscipias velim: perjucundus enim labori fructus cedet, si unam ante omnia egregie propensi animi voluntatem expendes, postquam id, uti volebas, & ego ipse cupiebam, elaborata florentique facundia praestare nequiverim. Vale.*

# PAULI JOVII VITA HADRIANI SEXTI.

## CAPUT I.

*Hadrianus Dei providentia Papa creatus. Ejus natale solum & parentes. Lovanii studiis operam dans, Philosophus, Theologus & Jurisconsultus summus evadit. Poëtas odit.*

Nemo unquam ab ulla sacrorum comitiorum memoria, ex his qui literarum & virtutis opinione claruerunt, vel minore sua ambitione, vel tenuioribus amicorum studiis Hadriano Sexto Pontificatum est adeptus: quippe qui tot candidatis, qui gratia, meritis, atque opibus nitebantur, sine contentione superatis, ipse Romae nulli cognitus, & vix auditus, ab Hispania, extremisque Germaniae oris ad summum rerum fastigium, tam felici quam inopinato eventu facile pervenerit; Ita ut hinc liquido constet Pontificatum fato dari, comitiorumque suffragia nequaquam libidine, decretoque hominum, sed certa & incredibili Deorum immortalium providentia gubernari.

Natus est Hadrianus in inferiore Germania ad Belgicum Oceanum, in urbe Trajecto, quae Provinciae dat nomen, ac inter Batavos & Canenifates summam obtinet claritatem. Nam Episcopus sacrorum Princeps armatis etiam praeest, & late dominatur, estque ex eorum procerum insignium numero, qui Caesaribus adesse, & bello paceque operam praestare consueverunt. Hunc ultimum terrae tractum *Hollandiam* vocant, cujus fines ab occaso Oceani fluctibus alluuntur, caetera ad insulae formam bicornis Rhenus intercipit.

Hadriano pater fuit *Florentius*, qui familiae nomen tulerat, vir animi probitate & civili industria potius, quam honestis opibus insignis; nam adeo angusta re familiari utebatur, ut quum in filio a primis statim pueritiae

ritiae initiis miram indolem nobilioris ingenii deprehenderet, & ob id eum altius omnino erudiendum arbitraretur, pecuniam vel in frugalissimae vitae sumptus suppeditare non posset. Itaque Lovanium missus impetravit, ut in collegio Portiorum gratuito aleretur. Sunt enim in eo celebri Gymnasio quatuor collegia disciplinarum omnium referta Doctoribus, *Lilium* scilicet, *Falconium*, *Castrense*, & [1] *Portium*, in queis vetere instituto, honestis atque ingenuis, quos egestas presserit, in aliquot annos ad capiendum ingenii cultum alimenta publice praebentur.

Per hunc modum Hadrianus, patre Florentio annuae impensae metu liberato, sese ita liberalibus studiis exercuit, ut nemo eo attentius aut ardentius literis operam navare diceretur. Nulla fere eum umquam a scholis juvenilis voluptas evocabat, & quum esset supra disciplinae duritiem, vini cibique parcissimus, etiam caeteros aequales suos perenni continentia, & lenitate animi superabat, eratque in eo tanta discendi felicitas, ut quae aliis essent obscura, vel nimia commentantium subtilitate abstrusiora, ea jucunde rimanti apprehendentique longe facillima viderentur. Ita paucis annis singulas scholarum classes ingenio & doctrina facile princeps, secundissimo cursu percurrit. Primum ei Dialectici honorem detulerunt, quum nemo esset ejus ordinis, qui ei solertia & acuitate disputandi conferretur. Pari quoque favore apud Philosophos, uti saepius spectata eruditione insignis, ante omnes candidatos lauream promeruit. Porro in Mathematicis ei prope unica contigit laus, quum plerumque sine praeceptore convolutas earum artium subtilitates, & per se caperet sedulo, & caeteris admirantibus lucidissime recitaret. Ad extremum tantis instructum disciplinis Theologi in scholam avide receperunt, quibus in studiis perpetua cum laude usque ad senectutem religiose conquievit, ita ut carptim tamen & subcisivis temporibus Pontificii juris decreta perdisceret. Caeterum (quod unum ei viri elegantes defuisse praedicant) eloquentiae cultioris flores, & Poëtarum amoenitates contemnere erat solitus, sive quod putaret eas sibi aliquid de gravissimorum studiorum auctoritate detrahere, sive quod castis & piis ingeniis Poëtarum lusus pravos mores importare. & religionibus plurimum officere arbitraretur; erat enim severitate Christiana adeo verecundus, ut nihil nisi sobrium & pudicum, vel jlocalariter auribus admitteret.

CAP. II.

1 *Portium.*] Cl. Hasaeus in Bibliotheca Bremensi clas. v. fasc. 1. diss. vi. hic reprehendit Jovium, quod 1. *Portium* vocat, cum sit *Porcium*, vel *Porci* scribendnm, nisi dicere velimus vitio typographico *Portiorum* hic exaratum legi, cum infra cap. 11. *Porci* legatur. Deinde reprehendit eum, quod *collegia* vocat, cum sint *Paedagogea* dicenda, ut ex Lipsio in descriptione Lovanii docet. vid. & Sweert. Athen. Belgic. pag. LXXX. dubito tamen, an non promiscue *Paedagogea*, *Gymnasia* & *Collegia* dicantur.

# CAPUT II.

*Hadrianus Sacerdotium Parochiale accipit a Margaretha Caroli Burgundiae Ducis vidua. Decanus & Vicecancellarius Lovanii creatus. Collegium Lovanii instituit.*

Eo modo probatissimi nominis fama fruentem *Margarita* [1] Maximiliani Caesaris filia, quae tum Belgis imperabat, sacerdotio Parochiali [2] in Hollandia liberaliter honestavit; quod tam sibi inopinatum est visum, quam postea Pontificatus summus per singulos officiorum & sacrorum ordines evadenti inexspectatus fuit. Enimvero praeclara virtus adeo ei prospere fortunam & Principum animos conciliarat, ut quum nihil prorsus ambiret vel appeteret, sed in altitudinem studiorum abditus, saepe hominum, qui literas nescirent, colloquia devitaret, ad honores & dignitates occultiore vi siderum non invitari, sed rapi crederetur.

Nec multo post ab hac morum & doctrinae praerogativa, suffragiis sacerdotum omnium Lovanii in templo maximo Decanus est effectus, qui est in ea urbe inter sacratos homines summae dignitatis locus. Id quoque sacerdotium alium honorem secum traxit. Is est in gymnasio praecipuae potestatis & praecellentiae magistratus, [3] *Vicecancellarium* vocant, in scholis collegiorum omnium cuncta moderantem. Nam ei Professores deligendi, commutandique, & quod est praecipuum & insigne munus, bene meritos de optimis studiis laurea exornandi cura demandatur, tanquam viro in omni doctrinae genere peritissimo, qui non temere quemquam, nec nisi acerrimis e gravi judicio disputationibus excussum, omnibusque obiter probatum suffragiis, laurea corona, & peramplis privilegiorum codicillis decoraret. Ab hoc sacerdotio magistratuque ditior factus, nihil mox antiquius duxit, quam Lovanii collegium, ut quintum adjiceretur, sub *Hadriani* nomine luculenter aedificare, adjunctis praediis, quibus studiosi adolescentes oppressi inopia cum Doctoribus alerentur. Gratissimo namque animo quum Porcii collegii benignitatem agnosceret, privati beneficii gratiam publica liberalitate reponendam statuebat. Quod adeo super ejus vires Lovaniensibus est visum, ut non minus ambi-

tur. De his vero vid. ad Moringum.

1 *Maximiliani.*] Male, cum fuerit Anglorum Regis filia, Caroli Burgundiae Ducis vidua. vid. Moring. cap. VI. quem errorem quoque Onufrius Jovium exscribens commisit.

2 *In Hollandia.*] Sc. *Goederzee.* vid. ad Moring. cap. VII.

3 *Vicecancellarium.*] Vid. ad Moringum cap. VIII.

ambitiose, quam pie tantae rei inchoandae consilium suscepisse diceretur, quando facultates ejus, quae erant mediocres, vix jaciendis fundamentis suffecturas appareret. Sed quum parcimonia & sancta frugalitate auctiores sibi efficeret rerum omnium reditus, adeo ingenti animo cuncta est complexus, ut sibi jam tum ampliorem & supremae quidem proximam fortunam praesagire videretur. Ferunt [1] *Bernardinum Carvajalem*, qui erat inter Cardinales auctoritate atque opibus insignis, quum id collegium tam felici ausu coeptum, quam facili successu operis perfectum admiraretur, quodam ingenuo dolore concepto, fortunae suae indignitatem suspirasse, quoniam id opus ad laudem sempiternam Decanus haud plane dives condere fuisset ausus, quod ipse tantus Cardinalis, sicuti ab antiquo animi decreto destinasset, nondum inchoare potuisset.

## CAPUT III.

*Hadrianus Carolo Praeceptor datus egregiis praeceptis eum instruit. Carolus nimis cito deserit praeceptorem, cujus postea poenituit.*

[2] Per id tempus *Philippus* Hispaniae Rex, Maximiliani Caesaris filius, apud urbem Burgos [3] morbo correptus interiit, relicto *Carolo* septenni filio, qui nunc amplitudine Imperii, & Augusti Caesaris nomine insignis, rerum potitur. Huic ipse avus Caesar felici prudentia cum praeceptorem esset daturus, unum Hadrianum praecipua quaesitum cura delegit, repudiatis qui se ambitiose obtulerant, vel amicorum studio producti, ingenium variis artibus ostentabant. Enimvero ille gravis & pius Imperator, non modo lectissimarum literarum magistrum, sed optimorum etiam morum egregium formatorem, tantae indolis & fortunae puero adhibendum existimabat, quasi eum jam supra Hispaniae regni haereditatem, quae ei materno nomine obveniebat, sibi in Imperio successorem fore divinaret. Dicere enim solebat, turpe quidem esse magno Principi nescire literas,

1 *Bernardinum.* ] De eo egimus ad Moring. cap. IX.

2 *Per id tempus.* ] Anno scilicet MDVI. juxta Paul. Lang. Chron. Citizens. ad d. a. & Mutius in Chron. Germaniae lib. XXX. qui eum egregio elogio ornat. XXVI. die Septembris, Suffrid. Petr. Append. ad Bekam in Philippo Austriae.

3 *Morbo correptus interiit.* ] Cum ageret annum XXVIII. aetatis, ut Gomecius lib. III. de reb. gest. Franc. Ximen. & Mutius & Suffr. Petr. dd. ll. & errat Jovius qui lib. III. de vita M. Consalvi eum obiisse dicit, nondum expleto vigesimo quinto aetatis anno. Qui quoque occasionem morbi & mortis referens, *Philippum*, inquit, *Belgico more epulantem, importunisque exercitationibus deditum, diverso sub coelo atrox invasit morbus & eripuit.* Egregie tamen Philippum laudat, & elogio ornat Erasmus in Adag. tit. *vita hominis misera.* adagio primo.

*Scho-*

teras, ſed longe turpiſſimum his eum moribus atque virtutibus omnino caruiſſe, quae populis & gentibus imperantem, cum eximia pietatis atque excellentiae laude contra ſuperbiam atque libidinem, & reliquas immoderati animi cupiditates, invictum penitus & incorruptum praeſtarent. Nec Hadrianus Caeſaris opinionem fefellit, cum nemo fere ipſo ſolidae doctrinae opinione celebrior, nemo ſobrietatis & caſtimoniae laude ornatior, nemo vitae modeſtia, innocentia, religione praeclarior haberetur. His enim exactae diſciplinae praeceptis Carolum adoleſcentem, per ſe natura docilem, ingenioque pacatum, ad has, quas in ipſo maximo atque optimo Imperatore, impetrata pace, & Franciſco Sfortia reſtituto, agnoſcimus, & admiramur, incomparabiles juſtitiae, probitatis & clementiae laudes provexit; ita ut afflicta tot malis Italia quum aequiſſimi & moderatiſſimi Principis beneficio ſublatis bellis pacem receperit, in ejusque ſalutari tutela nunc primum ſecure admodum reſpiret, & perjucunde refloreſcat, non modo gratiſſimis votis Caeſari gratias, uti ſalutis & quietis auctori, habendas exiſtimet, ſed magiſtrum etiam pro ſua pietate in coelum receptum, qui diſcipuli animum ſanctiſſimis moribus inſtruxerit, religioſiſſime veneretur; quoniam aliquanto majus & auguſtius fuit optimi quam maximi Principis cognomen bonorum omnium judicio meruiſſe, quum ea omnia, quae benigna manu fortuna praebuerit, ejus etiam nunc poteſtate, inpotentique arbitrio teneantur; illa vero divina virtus, qua duce non modo ad totius orbis imperium, verum etiam conſummata victoriarum laude, in coelum certis paſſibus contendit, firmiſſimam poſſeſſionem ſempiterni fructus, & perennis gloriae praeſtare videatur.

Defuit tamen Hadriano ſumma felicitas in excolendo puero. Nam Carolus quum mores in Principe literis potiores exiſtimaret, nec his perdiſcendis tantum operae vel temporis, quantum equorum & armorum ſtudiis, impertiendum arbitraretur, deprecante praeceptore, citius quam debebat, [1] ſcholam deſeruit. Ferunt [2] *Carolum Ceurium* nobilem Belgam, qui tum erat nutritius, ut integra adoleſcentis poſſeſſione frueretur, alumnum militares jocos ſaepius offerendo, ſenſim avertiſſe a literis, propterea que Hadrianum auctoritate imparem, & natura leniſſimum, officio facile deceſſiſſe; ita tamen ut diſcipulo perblande diceret, futurum aliquando, ut eum praeſentis negligentiae poeniteret. Audivi ego Caeſarem quum Genuae latinam orationem a quodam recitatam nequaquam praeclare intelligeret, ſuſpirantem haec verba ingenuo ore protuliſſe:

1 *Scholam deſeruit.*] Vid. ad Moring. cap. XII.
2 *Carolum Ceurium.*] Male vero hic *Carolus Ceurius* vocatur, cum *Guielmus Crojus* dicendus eſſet. de eo ad Moring. cap. XVI. egimus.

liſſe: *Agnoſco*, inquit, *nunc maxime & cum dolore quidem Hadriani Magiſtri mei divina monita, quum hos flores & elegantias latini ſermonis percipere nequeam, & meminerim eum ſaepe praedixiſſe me aliquando puerilis incuriae poenas daturum.*

## CAPUT IV.

*Hadrianus in Hiſpaniam mittitur ad Ferdinandum, qui eum Epiſcopum Derthuſenſem creat, & ſummo in honore habet.*

Itaque *Ceurio* ad ſummam potentiam contendente, Hadrianus ad Ferdinandum Regem in Hiſpaniam mittitur, ampliſſimo quidem cum munere legationis, niſi [1] ex honoris ſpecie vir aequiſſimus longius ablegari videretur.

Erat eo tempore *Ferdinandus* animo nequaquam pacato erga Regulos ulterioris Hiſpaniae, quod primo ſtatim [2] Philippi adventu, deſerta veteri aula, ſeſe ad illius amicitiam recepiſſent, cum fere omnes pro ſene, & eo quidem genere Catalauno, & parum liberali, novum atque legitimum Regem juventa, natalibus, & vitae ſplendore maxime florentem, cupide ſequerentur, uſque adeo, ut *Fredericus Toletanus* Albae Regulus, fere omnium ſolus, integra ſacramenti religione fidem ſervaret. Quibus procerum ſtudiis Philippus eo ſeſe extulerat, ut ſocerum plane excitum ulteriore Hiſpania, juvenili quadam alacritate contemnere videretur, maneretque ſola inter eos imago neceſſitudinis & amicitiae, non expreſſa quidem mutuis officiis, ſed inanibus tantum epiſtolarum & verborum titulis ſuſtentata, tanta quidem utrimque ſuſpicione, ut quum ad conſtituen-

1 *Ex honoris ſpecie.*] Ceurii artibus magis amotum quam legatum dicit & Seckendorf. lib. I. Hiſt. Lutheran. ſect. LVI. §. CXI. vid. ad Moring. cap. XIV.

2 *Philippi adventu.*] Minime enim adventus Philippi in Hiſpaniam, vindicaturi regnum Caſtellae, gratus erat Ferdinando. Regnum enim Caſtellae ex haereditate fratris Henrici Regis Caſtellae, devenerat ad Iſabellam Ferdinandi uxorem: qua ſine maſcula prole mortua, Caſtellae ſucceſſio ad Joannam, Ferdinandi & Iſabellae filiam, Philippi conjugem pertinebat. Verum Iſabella teſtamento Ferdinando, quamdiu viveret, vel ut alii, donec Carolus XX. aetatis annum adtigiſſet. vid. Chytraeus lib. IV. Saxon. pag. CCCCXIX. regni adminiſtrationen reliquerat. Hinc Philippus in Iſabellae poteſtate non fuiſſe leges ad regni adminiſtrationem poſt mortem ſuam ſervandas praeſcribere contendens, ſe Regem Caſtellae nuncupat, & invito ſocero in Hiſpaniam profectus, cum ibi veniſſet, omnes fere proceres ad eum accurrebant, unde Ferdinandus coactus fuit in pacis leges deſcendere, & cedere ei omni jure, quod in Caſtellae regnum habere poſſet. vid. Gomec. de geſt. Franc. Ximen. lib. III. & Jovius lib. III. de vita M. Conſalvi. Poſtea autem Philippo mortuo, cum Johanna ejus vidua, mortem mariti impatienter ferens, in maniam decidiſſet, ideoque ad adminiſtrationem non idonea eſſet, Ferdinandus, qui incurioſe iſtius morbi curationi incumbere exiſtimabatur, uti tradit Baco Verul. Hiſt. regni Henrici VII. p. m. MCXXII. Caſtellam ſibi vindicare tentabat, & tandem anno MDIX. inter Maximilianum & Ferdinandum convenit, ut Ferdinandus, niſi maſculam prolem ſuſciperet, (Iſabella enim mortua duxerat ſecundam uxorem Gaſtonis Foxii ſororem, filiam Johannis Comitis Foxii. Chytraeus IV. Saxon. p. CCCCXXIV. & Thuan. lib. I. Hiſtor. ad ann. MDV.) adminiſtrationem Caſtellae haberet, donec Carolus XXV, aetatis annum adtigiſſet, & ita hae turbae ſedatae ſunt. vid. Guicciard. lib. VIII. Hiſt. Ital.

*Magnum*

tuendas leges, quibus in regendis Provinciis uterentur, ſpeciemque conjuncti animi populis praebendam neceſſe eſſet, ut in colloquium devenirent, delecto campeſtri loco parum familiari habitu, tanquam ad hoſtilem aciem promotis utrimque equis ſint congreſſi. Nec multo poſt Ferdinandus Neapolim navigavit, ut inde [1] *Magnum Conſalvum* abduceret, virtute & liberalitate, ſuſpectisque artibus ad imperium adſpirantem. Sed eo in Italiam navigante, *Philppum* [2] vehemens extinxit morbus. Itaque rebus cum Neapoli, tum in Hispania feliciter confectis, rediens Ferdinandus aliquanto amarior & aſperior eſt effectus adverſus proceres, qui propter intempeſtivam ingrati animi levitatem, intemperanti obſequio novi Regis gratiam veteris majeſtatis honori praetuliſſent. Harum igitur offenſionum memoriam Hadrianus ex animo Regis opportuniſſimo tempore deterſit. Erat enim ad temperandas affectiones Regis tum exulcerati, & ad vindictam vergentis ingenii vehementer accommodatus, tum ipſa ſanctorum morum exiſtimatione, tum ſuaviſſimis Philoſophiae Chriſtianae praeceptis, quibus Rex ipſe prudentiae & religionis laude inſignis, facile obtemperabat.

Regulis eo modo ſincera fide a Rege in amicitiam receptis, Derthuſenſis

1 *Magnum Conſalvum.*] Hic proprio nomine vocatus eſt *Hernandus Gonſalvus*, ex familia Aghilara, patria Cordubenſis, patre *Petro Corduba*, matre *Elvira Erreria*, & in aula Eliſabethae Reginae Caſtellae educatus, qui famam adeptus eſt in bello decennali adverſus Granatam, quae capta anno MCCCCXCII. Chytraeus lib. V. Hiſt. Saxonic. pag. DLIII. Vir impiger & fortiſſimus miles. Qui cum Ferdinando ex Hispania veniens, eum adjuvit in recuperando regno Neapolitano, & ſtatim ac in Italiam veniſſet, Hispanica jactantia *Magnus* eſt appellatus, ad ſupremam ejus poteſtatem innuendam, quae appellatio poſtea ob res praeclare geſtas omnium fere conſenſu ad inſignem ejus virtutem, atque in re militari ſcientiam ſingularem declarandam, perpetua manſit, ut dicit Guicciard. lib. II. Hiſt. Ital. qui porro libris ſequentibus res ab eo geſtas perſequitur. Gallis enim ejectis, regnum Neapolitanum Regi Hispaniae confirmavit. vid. & Thuan. lib. I Hiſtor. Verum cum ob varias animi dotes inſigni amore Neapolitani eum complecterentur, ille regnum Neapolitanum ſibi ipſi vindicare in animo habuit. Quo animadverſo Ferdinandus eum revocat; verum ille varia impedimenta & excuſationes cauſſatus profectionem protrahebat & differebat. Unde Ferdinandus ejus potentiam metuens, Neapolim trajicere cogitat. Conſalvus autem ſibi timens, nuntio ad Ferdinandum miſſo, obſequium ipſi vovet. Unde Ferdinandus eum in Sancti Angeli Ducatum aliasque poſſeſſiones in regno Neapolitano confirmat, aliaque munera in eum confert. Philippo autem Archiduce mortuo, cum Ferdinandus, ut ſibi confirmaret regnum Caſtellae, Neapoli relicta, in Hispaniam tenderet, Ferdinandus non tutum credens Conſalvum Neapoli manere, eum ſecum ſumpſit ſub ſpecie honoris, promittens ei ſtatim ac in Hispaniam veniſſet Magiſtrum Ordinis Compoſtellani creare, qui honos primus a Rege eſt. Verum Conſalvo in Hispaniam abducto Rex promiſſa implere negavit, & ita Conſalvus Hispaniam ingreſſus poſtea vitam ſolitariam egit, & obiit in fine anni MDXVI. annos agens LXII. cui Ferdinandus, licet extra aulam viveret, & non ſatis aequo in eum eſſet animo, ob virtutis memoriam honores defunctis Regibus in Hispania fieri conſuetos, exhiberi voluit. Idque dicit Guicciard. lib. XII. *maxima omnium populorum adprobatione, quibus magni Conſalvi nomen ob eximiam ejus liberalitatem erat gratiſſimum, & ob prudentiae opinionem, tum quod in militari ſcientia omnium ſui temporis Imperatorum virtutem ſuperaret, exiſtimarent, in ſumma erat veneratione.* Plura de eo videri poſſunt apud Jovium, qui tribus libris vitam & res ab eo geſtas conſcripſit. Egregium elogium ipſi quoque dixit Ferronus lib. III. Rer. Gallicar.

2 *Vehemens.*] Vid. Gomec. lib. III. de geſt. Ximenii.

ſenſis Episcopus fato ceſſit. In cujus locum judicio Regis, & procerum omnium Hadrianus nequaquam ejus honoris appetens eſt ſuffectus. Exiſtimabatur enim eo ſacerdotio longe digniſſimus; quoniam praeter incomparabiles virtutum omnium dotes, ſe etiam tanto oneri fore imparem, verecunda reluctatione praedicabat, & non modo opes, verum & conſpicui nominis amplitudinem non exiguo, ſed modeſto animo comtemnere videretur. His ſuſceptis Episcopatus inſignibus, nihiloſecius in vetere obeundae legationis munere perſeveravit uſque ad vitae exitum Ferdinandi Regis, qui eum propter eximiae probitatis atque juſtitiae laudem ſanctiſſimi parentis loco enixe coluerat.

## CAPUT V.

*Hadrianus Ximenio Cardinali Toletano Hispaniarum praefecto adjungitur. Conjuratio Cardinalium Romae contra Leonem* x. *detecta, & Hadrianus Cardinalis creatus.*

Mortuo autem Ferdinando, cum Carolus nepos ſummo populorum ſtudio tot regnorum haereditatem adiviſſet, remanſit etiam tum in Hispania ex legato conſiliorum, rerumque omnium particeps, & moderator effectus, quamquam ſumma regendae Hispaniae Cardinalem Toletanum reſpiceret.

Secutum demum eſt id tempus, quo Leo Pontifex in Umbria difficili bello implicitus, eam Cardinalium conjurationem detexit, cujus princeps fuerat [1] *Alfonſus Petruccius Senenſis.* Is enim a Leone patria pulſus, quum vindictae libidine atrox facinus animo agitaret, iracundiae ſuae decretum cum aliquot Cardinalibus ſtultiſſima linguae libertate communicarat, unde mox indiciis nefarii conſilii facile deprehenſis, ipſe in quae-

1 *Alfonſus Petruccius.*] Fuit hic Pandulphi, Senenſis Domini filius, a Julio II. Cardinalis creatus. Unus fuit ex junioribus Cardinalibus, qui Leonem ad Pontificatum evexerant. Mortuo tamen ejus patre, Leo, ut dicit Guicciard. lib. XII. *ut ei civitati inter Pontificium & Florentinorum imperium ſitae homo ipſi fidus praeeſſet, vel quod poſtea ſe eam vel fratris vel nepotis imperio ſubjecturum ſperaret*, Alfonſum hunc cum Borgheſio fratre Senis expulit, & Senarum imperium ad *Raphaëlem Petruccium, virum*, uti dicit Jovius lib. III. vit. Leon. X. *ſtabili fide, ſed ignarum litterarum & probris omnibus coopertum*, veterem ejus amicum, quem poſtea quoque Cardinalem creavit, tranſtulit. Hinc odio ardens Alfonſus, vitae Leonis inſidiabatur, & primum per chirurgum aliquem eum e medio tollere meditabatur. Cui cum occaſio deeſſet, & Alfonſus interim ſe continere non poſſet, quin palam de Pontificis ingrato animo quereretur, quotidie odioſior factus & ſuſpectus, tandem Roma excedere coactus fuit. Verum cum litterae quaedam ejus interceptae eſſent, Papa, quaſi ejus rebus conſulere vellet, publicae fidei litteris datis, & ejus non violandi fide proprio ore Hispaniae Regis legato data, Romam eum advocavit. Ubi cum perveniſſet captivus in Angelicam arcem perductus eſt, Legato Hispaniae, qui fidem publicam violatam clamabat, fruſtra pro eo deprecante, & proxima nocte a carnifice ſtrangulatus eſt, cum tantum annos XXVII. ageret. vid. & Pierius Valerian. lib. I. de litterat. infelicit. pag. CCLXIX. edit. ult. Cabrera in Julio II. & Leone X. & Guicciard. lib. XIII. & Jovius vita Leonis X. lib. III. & IV.

Ra-

quaestione tortus, & demum necatus, insaniae suae poenas dedit. Caeteri, quum neglecta salute Pontificis, tanti periculi consilia minime detulissent, adempto jure punicei pilei cum ignominia senatu sunt amoti. Fuere ii [1] *Raphael Riarius*, & [2] *Bendinellus Saulius* Ligures, & [3] *Hadrianus Cornetanus*. [4] *Francisco* autem *Soderino* clementer ignovit, ne si ob

1 *Raphael Riarius.*] Fuit frater Hieronymi sororis Sixti IV. filii, & a Sixto quoque Cardinalis creatus. Hic jam antea adjuverat conjurationem contra *Laurentium Mediceum*, sed detecta conjuratione, servatus fuit propter adolescentiam, ac ingenii simplicitatem, uti refert Jovius in vita Leonis X. Hic Julio II. mortuo, ambierat Pontificatum, & cum saepe audivisset Alfonsum secum de Leone conquerentem, eique minantem, & talia verba proferentem, ex quibus animadvertere poterat eum in animo habere, occasione data, Pontificem e medio tollere, quia non patefecerat, captus quoque, & carceri traditus fuit, & purpureo galero exutus, centum millibus aureorum & exilio mulctatus fuit. Eodem tamen anno a Leone dignitatibus fuit restitutus. vid. Cabrera in Leone X. & Guicc. lib. XIII. Jovius lib. IV. vita Leonis X. Fuit autem hic Raphael amicissimus Erasmo, ut patet ex Epist. Erasm. CLXVIII. & CLXXX.

2 *Bendinellus Saulius.*] A Julio II. purpura donatus fuit. Hic iratus fuit Leoni, quod Mediceus Cardinalis in quorumdam beneficiorum petitione ipsi antepositus esset. Jovius IV. vita Leonis X. Hic a Leone in perpetua vincula damnatus, postea certa pecuniae summa data restitutus est. Guicciard. lib. XIII. Hist. Ital. unde eum falso apud Leonem delatum, & postea ab eo restitutum dicit Cabrera & Jovius d. l. quod alii negant. vid. Andr. Victorell. addit. ad Ciacc. in Julio II. & Leon. X.

3 *Hadrianus Cornetanus.*] Dictus hic *Hadrianus de Castello* vel *Castellensis*, natione Italus, patria Cornetanus, humili loco Corneti, Thussiae ad mare oppidi, natus, qui per omnes gradus ad Cardinalitiam dignitatem adscendit, quam ab Alexandro VI. obtinuit. vid. Onufr. Panvin. Rom. Pontif. pag. CCCXXXVII. Et in summum vitae discrimen venit eo tempore, quo Alexander sextus vitio ministrorum suorum veneno sublatus est, cum ipse quoque ex eadem lagena venenata bibisset, uti refert Jovius lib. II. de vita Magni Consalvi, & Ferron. lib. III. Rer. Gallic. Fuit hic vir doctissimus, quem *virum magnum & multa eruditione, prudentia, & in rebus civilibus dexteritate praeditum* vocat Baco Verulam. Histor. regn. Henrici VII. p. m. MXXXVI. & *primus omnium fuit*, inquit Chastaign. Nomenclat. Cardinal. pag. CIX. *qui post Ciceronis seculum suis scriptis mortales ad perfectas litteras ex probatissimis auctoribus hauriendas excitavit.* Et varia ingenii sui monumenta reliquit, in quibus eminet *Commentarius de sermone latino.* & hic est ille, quem quidam confundunt cum nostro Hadriano, ut ad Moringum cap. V. observavimus. Videndus & de ejus scriptis Jacob a S. Carolo lib. II. Bibl. Pontif. pag. CCXL. Hic ambitione adipiscendi Pontificatum, cum hariolus quidam praedixerat successurum Leoni, cujus nomen esset *Hadrianus*, senex humili loco natus, sed doctrina & probitate eminens, in vitam Leonis cum Alfonso Petruccio conjurasse dicitur. vid. Seckendorf. lib. I. Histor. Lutheran. sect. XLVII. §. XCVII. & Sanderi Elog. Cardinal. Quod vaticinium, si umquam fuerit, in Hadriano nostro adimpletum jam ad Moringum adnotavimus. Hadrianus autem multatus duodecim aureorum millibus, cum se non tuto, vel saltem cum dignitate Romae agere posse cogitaret, clam Roma excessit, neque postea de eo aliquid nunciatum, & incertum quo abiit & obiit, uti referunt Jovius lib. IV. vit. Leonis X. Ciaccon. in Alexandr. VI. & Leone X. & Guicciard. d. l. Pierius autem Valerianus lib. I. de Litterat. infelicit. pag. CCLXIX. edit. ult. dicit quoque eum clam abiisse, neque quo abierit quemquam explorare potuisse; addit tamen: *constans est opinio, eum insuto in interiorem toracem auro oneratum, comitis famuli perfidia oppressum, auroque surrepto cadaver in solitarium aliquem locum objectum occultari.* Jacob autem a S. Carolo lib. II. Bibl. Pont. pag. CCXL. eum anno MDXVIII. obiisse adfirmat. Ita huc usque fata hujus viri nobis tradiderunt scriptores, qui conjurationem cum Alfonso Petruccio in Leonis caput initam caussam infortunii hujus Cardinalis doctissimi fuisse memorarunt. Opportune vero, dum haec praela exercent, & dum perlustramus *Martenei & Durandi Collectionem veterum scriptorum & monumentorum*, incidimus in Epistolas *Thomae Volsaei* Cardinalis Eboracensis, quae tom. III. circa finem exstant, ex quibus discimus, virum hunc de gradu suo dejectum immodica ambitione *Volsaei* Cardinalis, qui, cum suspecta esset Hadriani auctoritas, & immensae congestae opes, & ut sibi Ecclesiam Batonicensem, cujus Episcopus erat Hadrianus, compararet, Regis Henrici VIII. auctoritate, Hadrianum omnibus modis dignitate sua privare annisus est, ut recte Editores monent in fine praefationis, qui plura de impotentia & ambitione hujus *Volsaei* Cardinalis, in observatione praevia ejus Epistolis pag. MCCLXX. ibid. notant.

4 *Francisco Soderino.*] De eo videndus Ciaccon. in

si ob recentem injuriam senatu motus esset, [1] id veteribus odiis dedisse videretur. Sed horum calamitatem [2] Senatus reputatione periculi consternatus, cum alienos ab ea severitate animos in dicendis sententiis ostendisset, Pontificem impulit, ut novis Cardinalibus Curiam impleret, indignatum, quod parum benevolo fidelique animo detectae conjurationi crederetur. Ea enim tum videbatur Senatorum naturae lenitas, ut plerique in misericordiam versi, nequaquam uti debebant, Principis periculo permoverentur, & etiam cogitati sceleris poenam non justitiae, sed crudelitatis nomine, haud obscuris sermonibus appellarent. Quibus de caussis Leo beneficii pariter atque injuriae natura gravis aestimator, ut inimicorum contunderet spiritus, & majores & fideliores necessitudines sibi & Mediceae familiae compararet, [3] unum & triginta Cardinales, una atque eadem liberali pronuntiatione in Senatum legit, egregio aedepol excellentique delectu, si in universum [4] quisque a morum literarumque censura spectaretur, nec immodicus numerus severiorum animos offenderet, qui sacrosancti ordinis dignitatem imminui, & foedari tanta multitudine praedicabant. In his fuit Hadrianus, Leoni quidem antea ab egregia nominis fama plane cognitus, sed tum praesertim Maximiliani Caesaris literis, [5] *Alberti Pii*, [6] *Guiliermique Enchavordii* plenissima commendatione laudatus. Erat hic *Guiliermus* ex eadem inferiore Germania vetus ejus familiaris, qui cum Pontificia in aula ab ineunte aetate honesta cum laude solertis industriae versaretur, Hadrianum impense laudare, & doctis sanctissimis viris omnibus nostrae aetatis praeferre

in Alexandr. VI. & ibid. add. & Chastaign. Nomencl. Cardin. pag. CX. & infra cap. XIII. Multatus autem hic fuit decem millibus aureorum & exilio. Cabrera in Leone X. licet Guicciard. dicat eum sponte Roma excessisse, & Fundos se contulisse, ubi ad Leonis obitum vixit. vid. & Jov. lib. IV. vit. Leonis decimi. Hic fuit *Marsilio Ficino* amicissimus, qui cum haereseos & magiae suspectus esset Innocentio VIII. Franciscus Soderinus hanc suspicionem ex ejus animo dimovit. vid. comment. de vita Marf. Ficini pag. LVII. quem nuper edidit Schelhorn in Amoenitatibus litterariis Francof. anno MDCCXXV. tom. I.

1 *Veteribus Odiis.*] Quae narrat auctor noster lib. II. de vita Leonis X.

2 *Senatus.*] Multi tamen Cardinales, quibus numerosa illa Cardinalium creatio ingrata erat, restitisse dicuntur, vid. Gomecius lib. VII. de reb. gest. Franc. Ximen. *patribus plane despectis, atque his contracto pallore mussitantibus* dicit Auctor noster lib. IV. vit. Leonis X.

3 *Unum & triginta.*] Primus fuit hic Leo, qui antiqui instituti ratione non habita, veterem & antiquum, atque a nullo umquam ante eum Romano Pontifice excessum numerum LIII. longe superavit, cum sub eo plus minus LXV. Cardinales simul viventes fuerint. vid. Onuphr. Panvin. de Episc. titul. & Diacon. Cardinal. pag. m. XIX.

4 *Quisque a morum literarumque.*] Merito dubitat Jovius, an Leo quidem respexerit animi dotes eorum, quos in Cardinalium collegium cooptavit, cum Sleidanus lib. III. referat Leonem partim sui muniendi, partim pecuniae conflandae gratia Cardinales legisse, & aperte Guicciard. lib. XIII. eum plurimos, quod pecuniis exhaustus & in maxima aegestate esset, pecunia cooptasse, & Ferron. lib. I. Rer. Gall. eum ingentem nummorum vim ex hac creatione contraxisse testentur, & Paulus Langius In Chron. Citizens. ad ann. MDXIII. dicit eum ex pacto ab his Cardinalibus quingenta millia aureorum accepisse.

5 *Alberti Pii.*] De eo vid. ad Moring. cap. XVI.

6 *Guilermi Enchavordii*] Vid. ad Moring. cap. XVI.

ferre erat ſolitus. Itaque Hadrianum arridentis fortunae prorſus ignarum, nec tale quicquam tranquillo ingenio cupientem, is qui pileum ab urbe detulerat, operandis ſacris occupatum invenit, ita ut quieta admodum & lenta quadam hilaritate venientem excipere, nec paulo jucundius, & liberalius tanto munere laetari videretur. Qui animi habitus ea moderatione definitus erat, ut nihil ad invidiam propter faſtum, ſed propter incorrupti animi ſimplicitatem ad gloriam omnium teſtimonio verteretur.

## CAPUT. VI.

*Carolus Imperator creatus, Hadrianum Hispaniae praeficit. Hispanorum rebellio. Principibus rebellium captis, motus ſedati.*

[1] Sequenti anno Carolus, confirmata cum Francisco Rege ad Noviodunum amicitia, quam [2] iniquis conditionibus impetraſſe videbatur, in Hispaniam venit, circumvectusque per ulteriores Provincias, paſſim civitates & Regulos in verba jurantes ſacramento adlegit. Nec multo poſt Caeſar Maximilianus in Germania moritur. Inde pro novo Caeſare deligendo Procerum Comitia habita, in queis ipſe etiam Franciscus Gallorum Rex magnis innixus largitionibus pro ſe eum ſummi Imperii honorem petebat. Sed Germani natura Gallis infenſi, quamquam nonnulli praeſenti pecunia corrupti, & ingentium pollicitationum ſpe inducti, labare viderentur, facile tamen rerum omnium, praeterquam publici decoris memoriam abjecerunt, atque ita Carolus cunctis ſuffragiis [3] Caeſar eſt appellatus. Nec mora, tanto cognomine auctus, uti neceſſe erat, quam primum in Germaniam redire conſtituit, ut de more apertis in campis Caeſar & Imperator militaribus Comitiis acclamaretur. Itaque eo in Calecos ad Columnas Herculis antiquum portum, ut inde per Oceanum in Germaniam navigaret, contendenti, Hadrianus cum imperio toti Hispaniae praeficitur, tanta cum dignitate, ut Caeſar recuſantem, & praeoptantem ſequi, humaniſſimis precibus, ut manere vellet, exorare cogeretur, quando, Rege abſente, in Hispania Praeſi-

1 *Sequenti anno.*] Scilicet anno MDXVI. foedus Novioduni percuſſum eſt, cujus leges recenſet Guicciard. lib. XII. in fine Hiſt. Ital. & Chytraeus lib. V. Hiſt. Saxon. pag. DLVI. & Thuan. lib. I. Hiſtor. ad ann. MDXVI. & P. Heuterus lib. VIII. Rer. Belgic.

2 *Iniquis.*] Pacem hanc neceſſariam potius quam honeſtam vocat Jovius lib. I. de vita Ferdin. Davali Piscarii.

3 *Caeſar appellatus.*] Vid. ad Moring. cap. XVI.

Praeside opus foret praeclarae dignitatis & famae, qui populos nequaquam adhuc parendi obsequio confirmatos, omnibus moderationis atque justitiae exemplis in officio contineret. Verum Hadrianus vel ob id in Hispania remanebat invitus, quod alienae improbitatis invidiam sibi viro innocentissimo minime subeundam esse judicabat. Erant enim Hispani ferme omnes Belgis ipsis vehementer irati, qui [1] *Ceurio* Principe atque auctore, civitates inusitatis avaritiae commentis expilassent. Siquidem *Ceurius* Caroli nutritius, uti erat in procuratione omnium rerum cum incredibili auctoritate constitutus, in unam eam praesertim curam rapacis ingenii nervos intenderat, ut quanta vis maxime posset signati auri, vel impudenti ratione cogeretur. Erat enim novo Caesari paranda classis, exornandus in Germania exercitus, remunerandique Proceres, qui eximia & constanti suffragiorum benignitate Augusti Imperii coronam detulissent. Is erat in *Ceurio* consilii praetextus. Caeterum cum omnia apud eum essent venalia, non Caesarianos modo, sed privatos etiam loculos inexhausta cupiditate auro replebat, adeo ut passim foedissimis avaritiae probris & maledictis proscinderetur. Oderat *Ceurium* Hadrianus propter acerbitatem atque insolentiam avarioris animi, & super haec manebant adhuc vestigia veteris injuriae; nam Hadrianus dum Lovanii collegium conderet, conjuncti soli non magnam aream cum attigua domuncula ad majorem publici aedificii laxitatem & elegantiam, a *Ceurio* nec aequo pretio, nec religiosissimis precibus impetrare potuerat. Existimabat etiam se in Hispaniam specie honoris fuisse ablegatum *Ceurii* impulsu, ut Carolus adolescens uno ipsius imperio pro libidine regeretur. Tum vero minime dubitabat, quin & ejus quoque opera in Hispania relinqueretur, ut ad arma consternatae & plane desciscentis provinciae, immani aestu, & saevis fluctibus jactatus & absorptus interiret. Nec eum fefellit opinio: nam Caesare jam adhuc Toleti agente, haud vanus rumor increbuit conjurare in unum ulterioris Hispaniae populos, & Toleti esse, qui *Ceurium* opprimere cogitarent. Quibus cognitis Carolus, *Ceurio* trepide suadente, adeo propere cunctisque inopinantibus, & spurcissima quidem coeli tempestate urbe excessit, ut nequaquam proficisci, sed prae metu prorsus effugere crederetur. Ubi Caesar ad Oceanum pervenit, legationes ad conventum evocantur, &, quae est conventuum fere omnium summa, pecuniae postulantur, quas imperare nefas est, nisi Reges ad promerenda ea subsidia populis variarum rerum immunitates concedant. Petebatur autem ab universis, ut civitates Belgis Praesidibus liberaret, hique honores aequissima liberalitate indigenis homi-

[1] *Ceurio.*] Vid. ad Moring. cap. XVI.

*Petro*

hominibus mandarentur; namque officia ita ad quaeſtum Belgis dono data erant, ut ea demum praeſenti pecunia Hiſpanis hominibus venderentur; ſed Caeſar durior eſt inventus, quoniam ea inſolenter atque ſuperbe petentibus, nihil fere concedendum arbitrabatur. Comminatus etiam fuerat [1] *Petro Gironi* Regulo, qui non dubitaſſet [2] contumaci ore profiteri, ſe oſtenſurum, quid in Hiſpania auctoritate clientelisque valeret, poſtquam Caeſar ſibi iniqua lite circumvento, & ſemioppreſſo jus dicere recuſaret. Caeterum aliquot civitatium legati, qui ut privatim gratiam & proemia promererent, Caeſari graviora pecuniae ſubſidia petenti propenſiore obſequio obtemperarant, a civibus ignominia mulctantur, nonnullique etiam populari tumultu pulſantur. Eodem quoque judicio Segobienſes legatos ſuos, quoniam audacter & fortiter pecuniam ſe collaturos pernegaſſent, niſi ampliſſima immunitatis privilegia eſſent conſecuti, tanta cum laetitia & gratulatione receperunt, ut honoris cauſſa triumphantium more urbem intrarent. Quibus de cauſſis Hadrianus initia rebellionis mature opprimenda exiſtimans, adverſus Segobienſes *Ronchillium* [3] ſaevum atque atrocem rerum capitalium Praefectum, cum ala Praetoria & cohorte cuſtodum corporis mittit: a Regulis etiam proximis auxilia implorat, quibus diſcedens Caeſar ipſum totius Hiſpaniae Praeſidem creatum vehementiſſime commendarat. Verum *Ronchillio* Segobienſium agrum devaſtante, & commeatus e proximis oppidis in urbem importari prohibente, ut fame ſubigeret, Toletani & Salmanticenſes in auxilium Segovienſibus advolant, & pulſo *Ronchillio*, obſidionem ſolvunt. Tum vero Hadrianus ingenti cura angi, evocare beneficiarios Proceres, & ampliores copias parare, quibus effrenes, inſanientesque populos ad officium revocaret. Ante alios [4] *Antonius Fonſeca* Caeſaris partes ſuſcipit, & ad Metimnam campi nobile emporium proficiſcitur, ut inde aenea tormenta, quae regiis armamentariis ſervabantur, in praeſentes uſus educeret, facile intelligens nullam vim vel militaribus copiis,

1 *Petro Gironi.*] Fuit hic Urennatum Comitis major natu filius, & ſtatim ac Regem Ferdinandum obiiſſe audiverat, jam turbas excitaverat, quas narrat Gomecius lib. VI. de reb. geſt. Franc. Ximen. & lib. VII. & Loys de Mayerne Turquet Hiſtoire Generale d'Eſpagne livre XXVI. & XXVII.

2 *Contumaci ore.*] Erat enim homo liberrimae & dicaciſſimae lingae, & ut Gomecius lib. VII. tradit de reb. geſt. Ximen. *aderat ipſi quidem acumen & judicium, ſed nimis liberum & audax.*

3 *Saevum atque atrocem.*] De quo teſtatur Loys de Mayerne Turquet Hiſtoire Generale d'Eſpagne livre XXVII. quod fuerit *homo durus, ſeverus, audax & ſuperbus.*

4 *Antonius Fonſeca.*] *Vir inter Vacceos princeps,* dicit Gomecius lib. III. de reb. geſt. Franc. Ximenii. *Coccejorum in Vacceis Dominus.* Gomec. lib. VII. *in quo erat animi praeſtantia & longo rerum uſu prudentia.* ibid. *vir nobilis & rei bellicae peritia atque animi praeſtantia clarus.* ibid. *vir nobilis ac militaris, ſed animi vehementioris.* P. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic. Hic fuit antea legatus Ferdinandi Catholici ad Carolum Galliae Regem. Jovius lib. I. de vit. magni Conſalvi.

copiis, nullamque vel optimo Duci inesse auctoritatem, quae justo tormentorum apparatu caruisset. At Metimnenses uti plane eodem judicio publicam caussam secuti, foederatique finitimis, captis repente armis, ne tormenta educantur, egregie resistunt. Id vero minime ferens *Fonseca* vir nobilis, & ingenio ferox, ut plerumque fit in turbidis & repentinis casibus, consilium plane audax, & successu longe foedissimum capit; proximis etenim tectis ignem inferri jubet, ut in summo urbis & fortunarum omnium periculo, cives a tuendis tormentis ad restinguendum incendium, servandamque patriam nequaquam inepta ratione evocaret. Sed tanta vesanis obstinatisque animis contumacia inerat, ut tueri tormenta, quam patriam ab miserabili incendio servare pulchrius existimarent, adeo ut discedente *Antonio*, servatisque tormentis, tanquam victores in ipsis patriae cineribus effuse laetarentur. Ferunt ingentes opes, & pretiosa totius Europae mercatorum, qui nundinas ibi celebrant, mercimonia omnis generis, & aromata item Lusitani Regis incomparabili jactura conflagrasse. Quae res sicuti Hadrianum incredibili dolore affecit, quod tantae cladi caussam praebuisse videretur, ita populos, jam suopte ingenio nequaquam Regiis magistratibus parentes, ad rebellandum, ea veluti accepta injuria, vehementer incitavit; nam haud dubie totius Hispaniae opes uno eo incendio absumptae videbantur. Nec mora, singulae fere civitates praeter Baethicas in unum conjurant, copias instruunt, & non obscure, uti erectae ad libertatem, a Praesidibus Caesaris rebellant; Regium tamen nomen in honore habent, & magistratus tantum odisse videri volunt, a quibus expilati oppressique indignissima paterentur. Ante omnia Judices creantur viri fortes acerrimique, qui caussam populorum cognoscant. Tum vero humillimo cuique fas fuit injurias deferre, & liberrime conqueri de impotentia, acerbitateque Praetorum, qui contra consuetudinem antiquorum Hispaniae Regum populos omnes nulla moderatione vexavissent; ea enim diserte conscripta ad Caesarem, ut flagitia suorum inspiceret, continuo missuros dictitabant. Erat tum Valleoleti Hadrianus cum Senatu Regio evocandis Regulis, & parandis praesidiis intentus, cum ad eum [1] Popularium copiae, duce *Petro Girone*, qui unus fere nobilissimi generis a Caesare defecerat, pacato agmine veniunt. Quorum adventu cognito, Senatores metu territi, alii alio habitu, atque itinere dilabuntur. Hadrianus autem eodem animo urbe egressus, dum abire con-

1 *Popularium copiae.*] Foedus hoc, in quod conspirarunt hi Hispani, dictum *S. Junta* vid. Perizon. Hist. secul. decimi sexti ad ann. MDXXI. Chytraeus lib. VII. Hist. Saxon. pag. DCCXIII. & P. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic. Praecipui qui conjurationem hanc inierunt, enumerantur a Loys de Mayerne Turquet Histoire Generale d'Espagne livre XXVII.

Indacus

contendit, a *Girone*, *Joanneque Padillia* sistitur. Ii summo cum honore verborum eum cohortantur, ut redire in urbem, & conquiescere vellet, satis superque enim perspectam esse omnibus Hispaniae populis ipsius virtutem, innocentiam, moderationem, atque ita ipsum, atque ipsius nomen omni tempore propensissime colituros, se & tum Caesaris nomini parere, & perpetuo fidem servaturos; sed decrevisse benemeritas de Regum nomine civitates nolle eas turpissimae servitutis compedes diutius perferre, quas avarissimi & injustissimi viri, adolescentis Regis Praesides, nihil tale exspectantibus innexuissent. Hadrianus itaque tranquillo vultu, postquam ita necesse esset, armatis hostibus paret; verum dat secreto operam cum sacerdote quodam, ut persosso urbis muro, qui vetustate obsitus facile terebrari poterat, noctu educeretur, quoniam privato captoque similis, postquam Senatores diffugissent, parum incolumi dignitate sibi nequaquam diutius permanendum apud rebelles arbitrabatur, & in proximo Rivosicci oppidum erat Amirantis Reguli, ad quem perfugere cupiebat. Nec multo post omnibus deceptis intempesta nocte perforato muro sese ejecit, conscensisque ad id praeparatis equis, cum sacerdote in pacatum evasit. Ejus fugam Valleoletani quamquam graviter tulissent, tamen familiam cum universo apparatu ad eum inviolatam postero die, praeclara venerationis atque observantiae testificatione, dimiserunt.

Interea Caesar, cognita tredecim civitatum defectione, opportuno salubrique consilio, duos summae dignitatis atque virtutis Regulos regendae Hispaniae praeficit, eosque ad persequendos, qui defecissent, pari cum imperio Duces creat, [1] *Indacum* scilicet *Velascum*, qui erat Magister equitum, & [2] *Fredericum Henricum*, quem ab ipsa maritimi officii praefectura *Amirantem* vocabant. Hi coactis undique copiis ad Rivosiccum Egurrorum olim forum, ubi tum erat Hadrianus, cum paucis Senatoribus perveniunt, & de gerendo bello consultant, omnibusque consiliis Hadrianum adhibent, quamquam is novo successorum adventu, veluti abrogata potestate pene privatus esse videretur, quasi is, qui esset externus, & Bel-

1 *Indacus Velascus.*] Fuit Friasiorum Princeps, Equitum in Castella Magister, quem Comitem stabuli, magnae apud Hispanos dignitatis vocabulo appellant, uti tradit Gomecius lib. III. de reb. gest. Ximen. qui libro VI. hunc *Inachum Velascum* vocat, ubi tradit lites quas cum Ximenio habuit. vid. & Chytraeus lib. VII. Hist. Saxon. pag. DCCXIV. *Ignicus Velascus Castellae Constabilis* dicitur a P. Heuter. lib. VIII. Rer. Austr. Lucius Marineus Siculus de reb. Hispan. lib. IV. recensens titulos & officia magnatum Castellae, dicit, quod *Comestabilis sit magnus Princeps, qui Regem comitatur, & praesertim in bello gerendo.*

2 *Amirantem.*] *Almirantum.* Gomec. ibid. qui eum Methinensium quoque Ducem facit. Medinae Ducem vocat Chytraeus lib. VII. Hist. Saxon. & P. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic. *Almirans* vero maris Hispani jus habet in navigantes & imperium, ideoque Dux maris & Dominus intelligitur vid. Lucius Marineus Siculus de reb. Hispan. lib. IV.

& Belga, itemque vir ſacratus & ſenex, bellique penitus ignarus, militaribus conſiliis minime foret admiscendus. Sed ſingulari humanitate, aequitateque Ducum facile fiebat, ut priſtino honore, & ſolita rebus in omnibus auctoritate potiretur, ita ut ambo Hadriani domum honoris & reverentiae cauſſa communi quadam benignitate frequentarent.

Dum haec a Caeſarianis Ducibus parantur, [1] Populares ad ſummum inſolentiae provecti, non modo eos, qui a Regiis injurias pertuliſſent, audiebant, & bona ſpe maturae libertatis implebant; ſed populos etiam nobilioribus Regulis ſubjectos tanquam publici diſceptatores, cauſſarumque omnium ſupremi judices, ut magnis querimoniis injurias deferrent, invitabant. Quae res importune mota, Procerum omnium animos ſubito timore corripuit, adeo ut qui modo ejus belli tumultusque ſpectatores eſſe cupiebant, tam propinquo periculo monerentur, ut ſeſe protinus ad Regios conferrent, tempeſtivaque inclinatione applicando vires & promererent gratiam apud Caeſarem, & adverſus populares ditionem & dignitatem ſuam in tuto collocarent. Eadem de cauſſa [2] *Petrus Giro*, deſertis eorum caſtris ad nobiles ſe recepit. Quo discedente *Johannes Padillia* a Toleto, & *Johannes Bravus* a Salmantica Duces creantur, & ad Tordeſillam contendunt. Haec olim fuit Segiſama Julia, ubi [3] Regina Caeſaris mater a Philippi conjugis interitu mente commota, in lachrymis, deſperatis medicinae remediis, miſerabilem vitam ducebat. Igitur eam, uti Reginam ſalutant, ſuadent, ut munia Reipublicae ſuſcipiat, & ſeſe adverſus externos Praeſides, uti Ferdinandi Regis filiam deceat, cuncta gubernet. Haec omnia quum ipſa alacri animo ſe facturam diceret, & ex intervallo atrae bilis nonnunquam opportuna loqueretur, utpote quae ſe Caeſaris matrem, & Ferdinandi filiam tenaciſſime meminiſſet, nequaquam tamen adduci potuit, ut libellis & codicillis ſubſcriberet, ita ut ea vecordi detrectatione Popularium conſiliis magnum incommodum afferre crederetur. Interim *Padillia* ne otium tereret, copias ad oppidum Villapandam ducit, cujus diſceſſu praeclaram occaſionem rei bene gerendae Fortuna Caeſarianis Ducibus oſtendit. Remanſerant cum Regina Popularium Principes, & illi praeſertim Judices, ad quorum nutus cuncta gerebantur exiguo cum praeſidio militari. Itaque *Velascus* & *Henricus* opportuno tempore eductis copiis ad Tordeſillam advolant, oppidum temere

1 *Populares ad.*] Rebelles hos a Francisco Gallorum Rege concitatos, & ingentibus promiſſis animatos dicit. P. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic.

2 *Petrus Giro.*] Qui deſertis rebellium partibus, ſe ad Caeſarianos contulit, & certis annis exulare, & ſine ſtipendio militare juſſus, eo tempore fideliter exacto, veniam conſecutus eſt, & fortunam, patriam, famam & honores recepit. Pont. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic.

3 *Regina.*] *Johanna* ſcilicet, quae poſt mortem mariti in ſummam melancholiam incidit. De qua vid. Hiſtoire Generale d'Eſpagne par Loys de Mayerne

re munitum, priusquam *Padillia* fiat certior, atque opem ferat, invadunt & occupant. Judices ipſi cum magna imbellium Popularium turba capiuntur, diripitur eo impetu oppidum, atque ipſa etiam Reginae domus. Quo negotio ad momentum ſummae victoriae proſpere confecto, ad Rivoſiccum revertuntur. Nec multum inde *Padillia* & *Bravus* his detrimentis acceptis, ſe ipſos colligunt, parandasque copias cenſent, quibus ſeſe adverſus Regios tueantur. Erant apud oppidum Torum circiter octo millia hominum ex his qui pro ſalute publica libertateque, Zamorenſi praeſertim Epiſcopo concitante, arma ceperant. *Zamora* autem antiquitus *Sarabris* fuit. Ad hos, ut in unum jungerentur, *Padillia* & *Bravus* motis caſtris contendunt, & ex itinere Lupatoniam turrim, quae erat in ditione Amirantis, acriter oppugnant. At Regii Duces de conſilio itinereque hoſtium haud inani conjectura judicantes, quin & ipſi protinus copias educerent, nullam omnino conſultationi moram attulerunt, quoniam magnae facilitatis arbitrabantur, ſi hoſtibus, priusquam majoribus copiis augerentur, occurrerent. Itaque a Rivoſicco cum expedito tormentorum apparatu obliquis itineribus profecti, noviſſimum hoſtium agmen apud villam Alariam conſequuntur. Erant ſuperiores peditatu Populares, ſed eo tamen tumultuariis armis inſtructo. & prorſus ignaro militiae: Equitatu autem Regii ſuperiores erant cum numero tum virtute; nam quiſque Regulorum ſecum inſignes & veteranos equites adduxerat. Quum in conſpectu utraeque acies eſſent, & Regiis antecurſoribus abeuntium terga premerentur, & undique Regii toto campo provolarent, *Padillia* & *Bravus* pedeſtres copias mature progredi jubent, ipſique alacriter cum univerſo equitatu ora convertunt, ut dum inſultantium impetum a tergo ſuſtinent, peditibus ſpatium detur conficiendi ejus exigui itineris ad tutiſſimum receptum; nam villa Alaria, ut diximus, erat in conſpectu. Caeterum *Padillia* & *Bravus* acerrimo cum primis contracto certamine, dum ſeſe audacter efferunt, & a peditatu temere disjunguntur, intercepti, circumventique a multitudine Regiorum equitum capiuntur, Qua fortunae iniquitate territi pedites, dum prima acies ad villam effugit, & poſtrema victorum impetum non ſuſtinet, toto campo conciduntur: fugientibus tamen, & ad terram arma projicientibus, non obliti humanitatis *Velascus* & *Henricus* parci jubent. Tantus enim pavor amiſſis Ducibus militum animos occuparat, ut qui paulo ante ferociſſime atque acerbiſſime vociferando, Regiis extrema ſupplicia minabantur, puncto temporis animo conciderent, nec quicquam aliud quam fugam, abjectis etiam gladiis, ſpectarent: ita ut nulla eorum integra manus, uti pavore diſſipata, ex tanta multitudine in unum omnino certum locum evaſerit. Poſtridie Hadrianus

drianus proelii campos invisit, & quamquam sacrato homini, tot conspectis hostium cadaveribus, non erat exultandum, ea tamen victoria vel ob id magnopere est laetatus, quod nefarii belli Duces vivi in potestatem devenissent. Eos *Velascus* & *Henricus* noxiorum habitu ad ignominiam asinis impositos per castra circumduci sub voce Praeconis, & demum [1] jugulare jussere, ut caeteros eo supplicii genere deterrerent. Ferunt [2] *Padilliam* aequo pioque animo tulisse eam calamitatem, *Bravum* vero contumaci ore se proditorem esse pernegasse, ac ob id a Lictore virga immaniter fuisse violatum, ad quem *Padillia* conversus dixisse fertur: *Heri*, inquit, *sodes summa virtute nobis depugnandum fuit, hodie autem ea aequo animo subeunda arbitror, quae fortuna tulit conatibus nostris adversa, quum nemo nisi parum pius, aut insanus ad immortalem Deum in hoc infelici vitae exitu animum non convertat.*

## CAPUT VII.

### *Hadrianus Navarram Caesari vindicat.*

Caeterum ultimis omnium Toletanis vixdum pacatis, bellum Gallicum est exortum. Per occasionem enim tumultuantis Hispaniae [3] *Asparosius* [4] Lotrechii frater, Navarrae regnum invaserat, occupatoque Pompelone, atque ejus arce in potestatem redacta, ad Hiberum usque amnem arma promoverat. Neque enim ulli humanarum rerum non ignaro dubium erat, quin Caesari in ipsa occupatione intestini belli aliquod saevum vulnus inferretur. Sed fortuna, quae ejus rebus effusissime semper favit, sublatis, discussisque periculis, longe secus ac sanus quisquam putasset,

yerne Turquet livre XXVI. §. XXII.

1 *Jugulare jussere.*] Perizonius Histor. secul. decimi sexti pag. CVII. eos in praelio caesos dicit. Corpora eorum in quatuor partes sunt secta, & aedes, quas Toleti splendidissimas habitarant, e fundamentis dirutae, area sale disseminata, marmoreaque eodem loco columna posita, cui actae rei historia fuit insculpta. vid. P. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic. & Loys de Mayerne Turquet Histoire Generale d'Espagne livre XXVII.

2 *Padiliam aequo pioque.*] Hic enim non suasponte, sed hortatu & instinctu uxoris suae *Mariae Pacaecae*, Tendilii Mendosae filiae, foeminae atrocis, saevae, ambitiosae, & dubiae famae, arma contra legitimum suum Dominum susceperat. Et quae quoque, marito capto & occiso, vixillum conjugis, ne concitatae multitudini Dux deesset, gerendo bello sustulerat. Sed quae brevi post debitas quoque poenas luit, & carnificis manu violentam mortem subire coacta est. vid. P. Jovius lib. XX. Epitom. Histor. & Pont. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic. qui omnino cum iis, quae Jovius hic narrat, conferendi.

3 *Asparosius.*] Fuit hic *Andreas Lopensis Asparotti Dominus*, & erat Dux exercitus Francisci I. Regis Galliae. frater celeberrimi Ducis Lautrechii, Foxensis, qui diu copiis Regiis in Italia praefuit. vid. Guicciard. lib. XIV. cum hoc autem capite confer quae ad Moringum cap. XVIII. adnotavimus.

4 *Lotrechii.*] De eo vid. Jovius lib. VI. Elog. viror. bell. virt. illustr.

*Vehemen-*

putaſſet, cuncta opportuna atque facilia ad victoriam paravit; nam populi, qui dudum ad fidem redierant, defectionis infamiam egregia voluntate & illuſtribus factis diluere cupiebant, cohortantibus Ducibus Regiis, atque ipſo praeſertim Hadriano paſſim concionante, facile contra Gallos arma verterunt: qui certe niſi magnis laborioſiſque delectibus late habitis, magnaque impetrata pecunia exciri, armarive in ipſo otio minime potuiſſent. Itaque valido exercitu Hiberum propere traducto, hoſtes in Navarrae finibus adſequuntur. Galli tum forte a Grunio, quod antiquitus *Juliobriga* dicebatur, ad Pompelonem modicis itineribus ſeſe recipiebant, utpote qui de calamitate Popularium, Regiorumque victoria certiores facti, in tuto ſiſtenda ſigna, & Pompelone expectanda auxilia, priusquam de prelio decertarent, arbitrabantur. Sed quum eorum inordinatus & ſegnis admodum eſſet receptus, *Velascus* & *Henricus* transverſis & asperis tramitibus progreſſi, ita eorum iter celeritate in paucis milliaribus adaequarunt, ut a fronte viam, quae ad Pompelonem ducit, occuparent. Nec mora, collatis ſignis pugnari coeptum, & ab initio quidem feliciore Gallorum equitum irruptione, qua Cantabrorum cohortes protritae, fugataeque fuerant; ſed ubi Hispani expanſis equitum alis a tergo & a lateribus ſeſe intulere, & peditum promota ſunt ſigna, Gallicae turmae, & Vaſconum cohortes numero valde inferiores ſuſtinere nequiverunt, quin ſeſe in fugam praecipiti curſu mandarent. Pauci in acie, multi in fuga cecidere, aliquos etiam praealtae ſegetes in fuga praetexerunt. *Aſparoſius* Dux ipſe colliſa ferreis clavis galea [1] vehementiſſime ſauciatus, in poteſtatem *Beomontii* Reguli devenit. Captus eſt & [2] *Tornonius*, qui pari prope cum imperio copiis praeerat. Caeterum [3] *Beomontius* *Aſparoſium* non multo poſt carcere emiſit, ut creditur, [4] pecunia corruptus, cujus admiſſi ſceleris poenas poſtea judicio Caeſaris, exilio, ſi non capite, perſolvit. *Tornonius* autem apud Hadrianum & Duces in libera cuſtodia eſt retentus. Ea victoria feliciter parta, omnes Navarrae regni oppidorum atque urbium portas Caeſarianis aperuit, atque inde demum Hadrianus ad urbem Burgos eſt reverſus, exardenteque bello cum in Belgica tum in Italia adverſus Gallos, occupatoque in ora Cantabriae a Gallis Fonterabido, operam dedit, [1] ut nulla in re Caeſar aut diligentiam aut fidem omnino deſideraret.

CAP. VIII.

1 *Vehementiſſime ſauciatus.*] Haſta enim in oculos infixa obtritus eſt, unde poſtea obcaecatus eſt. Ferron. lib. v. Rer. Gallic.

2 *Tornonius.*] Hic peditatui praeerat, & Aſparoſius equitatui. P. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic.

3 *Beomontius.*] Hunc *Comitem Beneventi* vocat P. Heut. lib. VIII. Rer. Belg.

4 *Pecunia corruptus.*] Liberatus certe fuit pecunia

## CAPUT VIII.

*Leone mortuo, Hadrianus variis competitoribus praelatus, Papa creatur, quod populus Romanus, quia exterus erat, aegre fert.*

Interea Leo Pontifex levi ab initio, & fere contemnenda, sed mox vehementi atque mortifera febre, inopinantibus Medicis, [2] extinguitur. Tum vero Cardinales, justis novendinalibus defuncto persolutis, ad comitia coeunt. Advenerat Mediolano, mutatis ad celeritatem jumentis, *Julius Medices*, qui pulsis Gallis apud exercitum erat legatus. Is magnis opibus & clientelis innixus, recentique fama rerum prospere gestarum, & prudentiae civilisque modestiae nomine commendatus, ante omnes Pontificatum petebat, traxeratque in partes [3] sexdecim Cardinales, in queis plerique erant [4] juniores, qui vel ob id ardentius, atque expeditius Julio favebant, quod pro se ipsis minime petendum arbitrarentur, & gratiam apud novum Pontificem praeclaro maxime studio, apertisque suffragiis omnino parandam existimarent. At Seniores, quorum plures erant candidati, quamquam duplici fere numero caeteros superarent, multis tamen de caussis ut Pontificem declararent, adduci non poterant, privatis scilicet implicati votis, & variis factionibus impediti; ita ut nequaquam in unum sincera voluntate consulerent, & saepe ad alium atque alium magnis ambitionis fluctibus volverentur. Sed unum & certum Senioribus, detestabili consilio conjuratis, decretum erat, nemini nisi ex ipso sui corporis ordine suffragari, quod aetatis honore, & opinione virtutis Junioribus praestare viderentur. Id porro magnas afferebat difficultates, quo minus Pontifex libera voce diceretur; nam quisque ex Senioribus suo ambitu inductus, quum ad Pontificatum aspiraret, in eo vehementissime laborabat, ut occulta mutui suffragii pactione alios atque alios ex Junioribus sibi obstringeret, daretque operam fallendo, atque infir-

nia Francisci Regis, qui eum in solatium amissorum oculorum suo aere liberavit, uti refert Ferron. d. l.

1 *Ut nulla in re Caesar.*] Singulari prudentia Hadriani pristinam tranquillitatem Hispaniae perturbatae restitutam agnoscit quoque P. Jovius Epitom. lib. xx. Histor.

2 *Extinguitur.*] Vid. ad Moring. cap. XIX.

3 *Sexdecim.*] *Quindecim* dicit Guicciard. lib. XIV.

4 *Juniores.*] In duas enim factiones abierant Cardinales non tantum in hac electione, verum jam antea in electione Leonis X. qui Pontifex renunciatus, cum tantum XXXVII. aetatis annum ageret, ubi praevaluerant Juniores, ita ut *Alfonsus Petruccius* Cardinalis populo, novi Pontificis promulgationem exspectanti, elata voce dixerit: *Pontificem habemus Leonem decimum, ac vigeant valeantque Juniores*, referente Cabrera in Leone X.

Barnar-

infirmando alienas ſpes, ut in multos dies Comitia proferrentur. Nam ſi primi competitores repulſam ferrent, nemo erat adeo maculoſus & degener, qui ſibi ipſi non blandiretur ad petendum, & certam ſpem minime collocaret in ipſa aetatis vel doctrinae praerogativa, aut in uſu rerum & generis claritate. Ea enim eſt ambitioſorum natura mortalium, ut quum ipſi nulla inſigni dote praeſtantioris ingenii ad laudem emineant, aliena vitia in cenſu tanquam proprias virtutes adnumerent. Igitur plerique inimicos probris & falſis ſaepe calumniis onerabant, ut caeteros a ferendis ſuffragiis praetextu pietatis deterrerent: adeo ut non modo malignis ſuſurris in ſacroſancto conclavi, verum & per urbem ſingulorum mores famoſis carminibus notarentur, tanta maledicendi libertate, ut populus pariter & magiſtratus, quos ſeveriore poena perſequi debuiſſet, uti jucundiſſimos Poëtas ſingulari petulantia celebrarent. Ea res foediſſime tolerata exiſtimationem ſacro ſancti ordinis magna ex parte convellit, effecitque, ut ſacerdotum nomen paulo ante in Provinciis auguſtum & venerabile, deſpectui & ludibrio penitus haberetur, quum ea carmina contumelioſiſſime conſcripta, ad extremas usque totius Europae nationes permanarent, a quibus non multo poſt tam atrox & mortiferum id acceptum eſt vulnus, quo omnes, capta ac direpta urbe Roma, dignitate & fortunis exuti turpiſſime concidimus. Prodierat candidatus ante alios [1] *Bernardinus Carvajal* Hiſpanus, Senatus Princeps. Qui quum vel demiſſe prehenſando apud ſurdas aures nihil proficeret, facile repulſam tulit; nam per ſe quisque Cardinalium ab illa valde funeſta & prope execrabili [2] *Alexandri Sexti* memoria, Hiſpanici nominis ingenia perhorre-

1 *Bernardinus.*] Hic jam ante Pio III. mortuo, ſpem de Pontificatu conceperat, quo tempore parum aberat, quin Pontifex renuntiaretur, uti refert Ciaccon. in Julio II. de hoc Bernardino plura obſervavimus ad Moringum cap. IX. ubi vide.

2 *Alexandri Sexti.*] Hic Alexander VI. dictus ante Papatum *Rodericus Borgia*, Lenzolius Valentinus Hispanus, a patruo Calixto III. Papa adhuc juvenis Cardinalis creatus, partim pecunia, partim officiis & ſacerdotiis, quae habebat amplisſima, repromiſſis, complurium Cardinalium ſuffragia palam coëmerat, & ita anno MCCCCXCII. Papatum obtinuerat. Hic a Paulo Lang. in Chron. Citizenſ. ad ann. MCCCCXCII. dicitur *vir aevo grandis & mirus, in quo (ut quidam de eo ait) vitia aequabant virtutes.* & ad ann. MDIII. *quo vivente Romae ſacra venalia cuncta.* Et Franciscus Tarapha de Regibus Hispaniae circa finem, dicit quod fuerit *vir magni animi & prudentiae recolendae, & beatiſſimae memoriae avunculi ſui Calixti Papae* III. *ſemper aemulator.* Fuit vero omnium Paparum, qui umquam vixerunt, ſceleſtiſſimus, qui immoderata ambitione, & peſtifera perfidia, omnibusque horrendae crudelitatis, monſtruoſae libidinis, & inauditae avaritiae exemplis, ſacris atque profanis rebus absque diſcrimine venditis, univerſum orbem veneno interfecerat, uti tradit Guicciard. lib. VI. In animo enim habens filio ſuo *Caeſari Borgiae* Principatum Italiae vindicare, potentiſſimos quosque & ditiſſimos Italiae proceres & Cardinales veneno e medio ſuſtulit, ut ita faciliorem viam ad Principatum totius Italiae filio ſuo vindicandum aperiret. *In Alexandro* inquit Guicciard. lib. I. *ſolertia & ſagacitas ſingularis, conſilium excellens, vis ad perſuadendum admirabilis, & ad res graves pertractandas diligentia & dexteritas incredibilis fuit; ſed has virtutes longo intervallo vitia, moresque turpiſſimi ſuperabant, non ſinceritas in homine, non pudor, non veritas, non fides, non religio, ſed inſatiabilis avaritia, ambitio immoderata, crudelitas plusquam barbara,*

horrebat, & ipse quamquam probe eruditus & gravis, quod a Julio Pontifice excitato schismate descivisset, recentis adhuc ignominiae notam praeferebat. Secutus est *Alexander Farnesius*, magna Romanae nobilitatis & optimarum literarum praesidia secum ferens. Is uti nemini invisus, nec omnibus gratus, non multum abfuit a summo, quod petebat, honoris fastigio, nec haesisset in cursu, si ad suffragiorum numerum, quem speraverat, tenorem in accessibus esset consecutus. Siquidem *Julii Medicis* nutu, authoritateque Juniorum suffragia regebantur, cujus id unum erat summae prudentiae consilium, ut neminem, qui gratia pollere videretur, suorum suffragiis juvari permitteret, nequid temere vel imprudenter admitteretur, quo sibi eripi posset is honos, ad quem tantis studiis atque opibus, & fatali, sed nondum matura felicitate, contendebat. Ab hac dissensione Senatus utrimque magis & magis studia accendebantur; nam utraque pars cum in tanta spe sitique obtinendae vel trahendae supremae dignitatis aestuaret, si ab altera vinceretur, calamitosum, & turpe maxime fore existimabat. Nec quisquam adduci poterat, quin alienae constantiae exemplo contumacissime persistendum censeret: ita ut liquido constaret, neminem posse Pontificem creari, qui Junioribus & Julio minime placuisset; quoniam ex ordine Seniorum nemo reperiebatur, qui se eo honore non dignum putaret, & id studio & praecipiti liberalitate alteri vel amicissimo concedere vellet, quod privato ipsius merito, aut aetati in aliena praesertim altercatione facile tribui posse videretur. In Comitialibus enim superiorum temporum procellis nonnunquam accidebat, ut Senatores commutata voluntate, non ad eos, quos antea certis animi decretis evehere destinassent, sed ad obscuros & minime ambitiosos homines repentino veluti turbine raperentur. Praeter haec duae etiam subortae

*& sitis ardentissima suos, qui non pauci erant, filios, quacumque ratione evehendi, in quibus aliqui, ne ad prava consilia deessent instrumenta, erant nulla in parte minus detestabiles patre.* Periit autem Alexander justissima Dei vindicta. Cardinali enim cuidam diviti, vel ut alii, pluribus Cardinalibus necem cogitans, cum convivium instruxisset, & ministri per errorem ipsi, filioque ejus ex venenata lagena potandum dedissent, veneno, aliis parato, ipse sublatus est. Filius autem *Caesar Borgia* in difficillimum morbum incidens, liberatus quidem fuit, sed carceri inclusus, postea a Julio II. omni ditione exutus, dimissus, Neapolim se recipiens, a Consalvo in Hispaniam missus est, unde custodia elapsus, cum profugisset ad Johannem Navarrae Regem, proelio quodam tumultuario glande trajectus, occubuit, & Pampelonae sepultus est. vid. Ciaccon. Panvin. & Jovius in ejus vita. Guicciard. lib. VI. & VII. Ferron. lib. III. Rer. Gallic. Thuan. lib. I. Hist. ad ann. MCV. & Jov. lib. II. & III. de vita M. Consalvi, & in vita Leonis X. & gesta Caesaris Borgiae descripsit Jovius IV. Elog. vir. bellic. virt. illustr. Ita fere omnes scriptores ejus temporis fata hujus Pontificis & filii ejus posteritati mandarunt. Papebrochius tamen in conatu Chronico Historico ad Catalogum Pontif. Rom. in Propylaeo ad Acta St. Maii. pag. CXLIII. ex testimonio cujusdam *Joannis Brocardi, Clerici Ceremonialis praesentis*, probare nititur, Alexandrum morte naturali, scilicet febre, supremum diem clausisse, & eum ex *vitis Pontificum Joannis Stellae*, tanquam optimum Pontificem describit, & nullam ejus scelerum mentionem facit. Unde facile constat parum fidei ipsi adhibendum esse. vid. H. V. R. in adnotat. ad Heussen. Historiam Episcopat. Daventr. tom. I. pag. CCLXXXIII. & seqq. in VIII.

*Antonium*

tae factiones Caesari aut Gallo faventium. Quibus de causis fiebat, ut tota suffragiorum ratione conturbata, in plures dies ipsa Comitia, fremente populo, traherentur. Ob id *Farnesius*, quum aliquamdiu diligenter ambiendo, & plures sibi amicos adsciscendo, partes ad suffragia vocare, & gratiae fortunaeque suae periculum facere decrevisset, ut Caesarianorum certiore studio uteretur, *Manueli* Caesaris legato fidem obstinxerat, tanquam Caesari eo datae fidei pignore numquam defuturus, si ejus auspiciis Pontifex esset effectus. Quae res nequaquam feliciter occultata, ab eo Gallicae factionis aliquot Cardinales protinus avertit. Sed *Medices*, qui tametsi hominem probaret & coleret, eum tamen sibi minime praeferendum judicabat, illius spes facile constantia sua praecidit. Et hercle supra omnes insigni studio erga Caesarem praecellebat, utpote qui dudum spectatis operibus, belloque adversum Gallos praeclare suscepto, opes suas & dignitatem cum Caesaris fortuna miscuisset. Hac tanta & semper illustri existimatione, & certissimis amicorum studiis fretus, ita Juniorum suffragia moderabatur, & Seniorum vota flectebat, ut jam non mediocri invidia conflagaret, quod per eum, impotenti quadam ambitione Comitia retardantem, stare videretur, quominus aliquis probatus & insignis senex libero omnium voto Pontifex diceretur. Itaque Seniores ad Medicem legatos mittunt [1] *Antonium Montanum*, juris scientia illustrem, & [2] *Thomam Cajetanum* sacrarum literarum studiis longe clarissimum. Ii meditatis orationibus orsi a religione, Pontificatum coelo dari non humaniis studiis dicebant, propterea debere ipsum pertinaciae finem imponere, & restitutis in libertatem Junioribus, aequo animo pati, ut tandem aliquis ab aetate moribus & doctrina probatus, etiamsi ex omni parte minime placeret, Pontifex crearetur; ut is Christianis sacris praeesset, qui non malis artibus, sed commendatione virtutis eveheretur; provectis enim ad sanctissimam sedem nequaquam amicis & fautoribus, sed Diis immortalibus habendas esse gratias, quandoquidem Pontificatus semper calamitosus & infelix exstitisset iis, qui vi contendendo contra leges ambitus, illum invitis melioribus essent consecuti: adfuturum pro certo coeleste numen in suffragia euntibus, si Cardinales rerum omnium praeterquam verae pietatis obliviscerentur. Ad ea *Medices* gravi & moderato sermone respondit, nulli magis quam ipsis eas adhortationes convenire, qui nefaria conjuratione inita, jurare minime dubitassent, nemini nisi ex ipso-

1 *Antonium Montanum.*] Fuit hic juris peritia insignis, a Julio II. pileo donatus, qui auctor fuit Julio II. ut abrogato Pisano Concilio aliud in Laterano celebrandum ediceret. Jovius lib. II. vit. Leonis X. obiit Romae anno MDXXXIII. vid. Ciaccon. in Julio II. De quo videndus Sanderus de Claris Antoniis lib. II. pag. LXXVIII.

2 *Thomam Cajetanum.*] De hoc vide quae ad Moring.

ipſorum Seniorum corpore ſuffragia daturos: non deeſſe apud Juniores omni virtutum praerogativa digniſſimos, qui expetita Senioribus ex aequo mererentur, quos eo ſummae iniquitatis decreto, & deteſtabili ſeceſſione ad contumeliam notatos alienaſſent: neque ſe, qui tametſi exquiſitis literis abunde non ſit inſtructus, nulli umquam vel moderatione, vel juſtitia, vel pietate, vel ſenatoriis officiis, vel clariſſimis erga Rempublicam meritis eſſe conceſſurum. Ad haec etiam liquido conſtare, quanta fide, quantaque propenſione, & frequentia gratiſſimorum amicorum confirmatus, id petere & ſperare poſſet, quod tamen ad declarandam animi temperantiam alteri concedere paratus foret, propterea ſe nominaturum virum inſignem, ut ſe illo invidiae & ambitionis onere liberaret, & praeclara voluntate Reipublicae Chriſtianae conſuleret: quod ſi is a Senioribus minime probaretur, tum vero manifeſte eorum conſilia obtrectationis & caecae malignitatis pleniſſima nudarentur. Ab eo colloquio cum eſſet diſceſſum, Medices prolixe cum Junioribus diſputando [1] conſtituit, ut poſtero die *Hadrianus* Cardinalis Derthuſenſis, conſcriptis in ejus nomen ſyngraphis, in Comitio nominaretur; quoniam is eſſet omni pietatis & continentiae laude conſpicuus, nec Caeſarianas partes deſerturus eſſe videretur, quibus ipſe vehementer eſſet implicatus. Erat enim ei magnopere timendum, ne ſi Gallus novi Pontificis ſtudio bellum in Inſubribus renovaret, Placentia & Parma, vixdum receptae atque aegre per interregnum defenſae urbes, protinus amitterentur, & ſubinde ipſe uti belli ſocius Florentina patria pelleretur. Jam enim [2] *Franciſcus Maria Feltrius* Gallicis inſtructus auxiliis, Urbinum ſecundiſſima populorum voluntate, ejectis Florentinis magiſtratibus, receperat. [3] *Malateſta* quoque *Baleonus*, qui tum cum laude apud Venetos militabat, cum [4] *Horatio* fratre in Umbriam delatus, paternis amicis ad arma excitis, pulſisque Peruſia *Gentile* patruo & *Vitellio Tifernate*, [5] *Pauli* patris necem ulturus eſſe videbatur, quem

Moring. cap. XIX. adnotavimus.

1 *Conſtituit, ut.*] Videbat enim Julius, quod ipſe Pontificatum adipiſci non poterat, hinc malebat peregrinum & factionum expertem, quam aemulum ex praeſentibus Cardinalibus evehi, ſimulque praeſidia ab Imperatore adverſus Gallos, quos Leo, nec non ipſe Mediceus Cardinalis non uno modo offenderant, conquirebat, dum virum, quem Caeſari charum credebat, ſuo extolleret ſuffragio. Et hanc cauſſam & rationem veriſſimam esſe, quare Hadrianus Julii ſuffragium tulerit, & ad hoc dignitatis faſtigium adſcenderit, tradit Seckendorf Hiſt. Lutheran. lib. I. ſect. LVI. §. CXL.

2 *Franciſcus Maria Feltrius.*] De eo vid. ad Moring. cap. XXI.

3 *Malateſta Baleonus.*] De eo vid. Jovius lib. V. Elog. viror. bellica laude illuſtr.

4 *Horatio fratre.*] De eo v. Jov. lib. V. Elog. viror. bell. laud. illuſtr.

5 *Pauli patris necem.*] *Joannes Paulus Balliolus* anno MDXX. *Gentilem* Peruſia expulerat, unde à Pontifice Romam venire juſſus, ille ſibi metuens *Malateſtam* filium miſit, quo non contentus Leo, ut ipſe veniret, contendebat. Ille ab amicis hortatus, & tuto venire poſſe credens, venit, & capite poenas dedit, & *Gentilis* reſtitutus fuit. Guicciard. lib. XIII. circa finem. quem poſtea Malateſta & Horatius iterum expulerunt. v. Jovius lib. V. Elog.

quem Leo Pontifex in mole Hadriani biennio ante capitali ſupplicio affeciſſet. Nec deerat in agro Romano [1] *Rentius Ceres*, qui pro Gallis cohortes conſcriberet, conjunctisque cum *Baleono* & *Feltrio* copiis, bellum atrox Senenſibus & Florentinis ſe illaturum, tanquam Gallorum hoſtibus, minaretur. Haec omnia per notas arbitrarias anguſtiſſime conſcripta, ſyngraphis inter fercula ſedulo occultatis, intra comitia & conclave Julio Medici quotidie nunciabantur. Quibus rerum graviſſimarum periculis adductus, nequaquam diutius in comitio perſeverandum arbitrabatur, ne dum incertam ſpem adipiscendi Pontificatus obſtinatius ſequeretur, praeſentem dignitatem, quae erat ampliſſima, & regnum item Hetruriae togataeque Galliae ditionem, in qua ipſe legationem obtinebat, in manifeſtum diſcrimen devocaret. Super haec tenuiſſimam quoque ſpem vel ob id conceperat, quod certam fidem, uti optimo jure antea ſperaviſſet, in quibusdam Cardinalibus minime reperiebat, quos praeſertim ipſo enixe flagitante, Leo Pontifex in ſenatum legiſſet. Ii erant ante alios [2] *Scaramutia Trivultius*, [3] *Pompejus Columna*, [4] *Dominicus Jacobatius*, [5] *Baptiſta Pallavicinus* Ligur, & [6] *Raimundus Vicus* Hispanus. Itaque Medices deſperato, vel neglecto Pontificatu, Hadrianum nominat. Juniorum ſuffragia perpetuo ſyngrapharum tenore illi favent. Subit cunctos admiratio ad inexpectatum candidati nomen. Tum vero *Thomas Cajetanus*, ad proximos converſus, *ergo*, inquit, *pedibus in ſententiam accedamus, ut poſtquam Diis ac hominibus placet vir ſanctiſſimus, omnibus numeris Chriſtianae virtutis inſignis, Pontifex creetur.* Nec mora, plerique tactis religione animis alacres accedunt, alii cunctabundi, qui nec ejus nomen audiviſſent, erecte tamen ac veluti praeſenti numine impulſi, ſpes ſuas abrumpunt, & rationum ſuarum obliviſcuntur, *Hadrianumque* Derthuſenſem Pontificem renuntiant. Unus omnium *Fran-*

v. Elog. viror. bell. laud. illuſtr.

1 *Rentius Ceres.*] Cremae Dominus, inter ſummos Italiae Duces habitus fuit, qui variis proeliis victor exſtitit, & diverſos triumphos ab Hispanis, bella contra Venetos gerentibus, reportavit. Poſtea miſſione honeſta a Venetis impetrata, ad Pontificis ſtipendia tranſiit. Guicciard. lib. XI, XII. & XIII. Leone autem mortuo, Medicei ditiones occupare meditabatur, ſed Cardinalibus intervenientibus, pax facta, qua Florentini, Senenſes & Rentius promitterent ſe alterutros non laeſuros, & fidejuſſores Romae darent, & quod ad praedas factas adtineret, Pontificis, cum in Italiam veniſſet, ſententiae parerent. vid. Guicciard. lib. XIV. in fine.

2 *Scaramutia Trivultius.*] Fuit Mediolanenſis, inſignis Juriſconſultus, qui antea in Ticinenſi Gymnaſio juris ſcientiam docuerat. vid. Cabrera in Leone X.

3 *Pompejus Columna.*] De eo vide ad Moring. cap. XXV.

4 *Dominicus Jacobatius.*] Fuit Romanus. Elogium ejus egregium vide in addition. ad Ciaccon. in Leone X. pag. MCCCCXVI. varia ejus ſcripta recenſet Chaſtaign. Nomencl. Cardinal. pag. CXIV.

5 *Baptiſta.*] *Johannes Baptiſta Pallavicinus* fuit Genuenſis, a Leone purpura honeſtatus cum ageret annum XXXVII aetatis. obiit anno MDXXIV. Cabrera in Leone X.

6 *Raimundus Vicus.*] Fuit Valentinus Hispanus, poſtea Barchinonenſi Episcopatu donatus, obiit anno

*Franciottus Cardinalis Ursinus*, ut suffragio accessuve juvaret, adduci non potuit, quoniam nefas esse diceret, eum Christianis sacris praeficere, quem non vidisset umquam, nec ab opinione virtutis plane cognovisset. Caeterum exultante *Julio Medice*, quasi vicisset, quod ab inimicis minime superatus, animum ingenti cura liberasset. Alii fere omnes deformi quadam molestia dejecti, & tristes aegris animis reputabant, quisnam rerum exitus esset futurus, postquam amisso e manibus Pontificatu, eum homini externo, nulli fere cognito, & procul agenti in extremis terrarum oris, praecipiti temeritate detulissent. Id vero populus adeo indignanter tulit, ut quum patefacto conclavi Cardinales domum redirent, passim maledictis incesserentur, quod infamibus comitiis non modo urbem Romanam, suo Antistite orbatam, prodidissent, sed, quod insaniae proximum videretur, Italiam etiam Pontificatus honore spoliassent. [1] Erat enim opinio statim edita in vulgus, Pontificem, neglecta Roma, vi aut sua sponte permansurum in Hispania, aut enavigato protinus Oceano Germanos esse petiturum, ut ad immortale decus gentis sacrorum Princeps in terra patria conspiceretur. Adaperto conclavi, quum globus Cardinalium Hadriani pontem esset praetervectus, & opifices puerique minacibus oculis, voceque & manibus obstreperent, nec a foedissimis probris abstinerent, [2] *Sigismundus Gonzaga* Cardinalis, renidenti vultu his agit gratias, quod adversus extrema supplicia meritos contumeliis essent contenti, nec lapidibus publicam injuriam vindicarent.

## CAPUT IX.

*Cardinales Triumviri auctoritate Pontificia Romae constituti. Hadriano in Hispania agenti nuntiatur se in Pontificem electum. Suscipit Pontificatum, & ab Hispanis magno in honore habetur.*

Nec multo post Cardinales ne quid detrimenti Respublica pateretur, *Triumviros authoritate Pontificia* constituunt, qui menstruo cum imperio ex triplici Senatorum ordine sorte ducti, pacis & belli negotiis praesint. Ii in Vaticano Pontificia in parte aedium cuncta administrabant. Interim tabellarii cum privatis literis per Gallias & Pyrenaeos saltus ad Victoriam Vellicam, Cantabriae urbem, tertio decimo die pervolarunt.

anno MDXXV. Cabrer. ibid.

1 *Erat enim opinio.*] Vid. Polan. lib. I. Hist. Conc. Trident. pag. XXII.

2 *Sigismundus Gonzaga.*] Fuit hic frater Marchionis Mantuae, a Julio II. Papa Cardinalis creatus anno MDV. obiit anno MDXXV. vid. Ciaccon. in Julio II.

larunt. Redibat tum forte Hadrianus a Frederico [1] & Henrico Admirante, quem aegrotantem inviserat. Itaque tabellarii aedium scalas conscendenti ad pedes provolvuntur, eumque porrectis literis Pontificem salutant. Ille nihil ad tanti nuncii nomen vultu, animove commotus, paulum substitit, & cum tabellarios ab osculo pedum averteret, conversis ad amicos oculis, *si vera sint*, inquit, *quae nuntiantur*, *mihi profecto plurimum est dolendum.* Nec mora, exultantis & salutantis populi turba, atrium, porticus, atque ipsa etiam superiora conclavia replentur. Ingruente vero nocte nobiles Equites, uti in publica laetitia decuit, Maurorum habitu vibratis funalibus decurrerunt. Verum Hadrianus propterea nihil aut de corporis cultu, aut de pristina vitae consuetudine sibi mutandum esse judicavit, quum prius exspectandas a Senatu literas arbitraretur, quam quicquam vel muneris vel habitus de Pontificia majestate, uti praepopero levique similis, usurparet. Erat enim non fastu aliquo, uti iis plerumque accidit, qui in secundis fortunae flatibus facile contumescunt, sed a simplici morum nitore, stabilique vitae continentia gravissimus. Siquidem literae conscriptae erant a Gerundensi Episcopo, haud plane gravi & certo authore, quibus ille ad promerendam gratiam Pontificatum omnibus suffragiis ei delatum effuse gratulabatur. Sed omnes erecti erant in exspectatione literarum, quae a Cardinalibus cum Senatusconsulto electi Pontificis in Hispaniam mitterentur. Obstabat mare hybernis tempestatibus saevum, infestisque per omnia littora Gallis praedonibus interclusum, Pyrenaeique saltus juga cum praealtis nivibus, tum perpetuis Gallorum custodiis tenebantur: adeo ut, quum tredecim dierum spatio nihil ad confirmandam tantae rei famam penitus adferretur, jam de ea re plerique dubitarent, quasi Galli hostes fictitiis literis ad eludendam hominis dignitatem totum id commentum in Hispaniam deferri curavissent. Caeterum ipse, mirum dictu, ea omnia de se, uti Romae acta erant, ab initio constantissime credidit, quasi ab oraculis fatidicarum virginum edoctus, quae tanto rerum eventu promissis fidem attulissent, sive exactissima siderum scientia, qua plurimum juvenis oblectabatur, in opinione confirmatus, quum in genitura a sede planetarum admodum felici, stella etiam eximiae magnitudinis in horoscopo ad ipsam finitoris lineam praeclara summae fortunae denunciatione praefulgeret: adeo ut *Acredio* Medico anxie nimis & tristi fronte tantae morae spatium per singulos dies, uti spe deposita, supputanti, dicere non dubitarit, ut in spe concepta permaneret, neque amplius eo literarum desiderio torqueretur; se

lio 11. & ibi addit. Andr. Victorell. | cap. VI.

1 *Et.* ] Male, cum non fuerint diversi vid. supr.

ſe enim Dei optimi Maximi beneficio creatum eſſe Pontificem, & brevi fore, ut ab ipſo in ſede Principis Apoſtolorum in urbe Roma ſub illa ſolenni tiara conſpiceretur. Interea a Caeſarea Auguſta os mandibulae *Divi Lamberti* Martyris ad eum pro inſigni munere delatum incredibili cum laetitia ſuſcepit; id enim antea vel aſſiduis precibus impetrare nequiverat, quamvis id Leo Pontifex ab ipſis Caeſareauguſtanis ſacerdotibus per epiſtolam flagitaſſet, & Carolus Caeſar eos ad communicandas ſanctiſſimi viri reliquias etiam atque etiam hortaretur. Hinc eſt illud perfacetum Hadriani dictum ad familiares, languidiore ſpe in ea triſti mora literas de Pontificatu ab Urbe praeſtolantes: *Si non vobis*, arridendo inquit, *ſed mihi ipſi futurus eram Pontifex, mihi quidem amplius non eſt opus tanta ſummi honoris poteſtate, quando jam Divi Lamberti reliquias (quod unum in tota vita vehementer optaverim) vel ad falſam delati Pontificatus famam feliciſſime ſim conſecutus.* Inter hos ambiguae ſpei ſermones, quum per tredecim dies tota ejus aula, & omnis fere Hiſpania ſuſpenſis animis verſaretur, coenanti ſupervenere nuncii ab urbe Roma, qui literas a Triumviris cum Senatusconſulto, ipſisque Comitiorum actionibus deferebant, quos tanta animi tranquillitate ſuſcepit, ut perlectis literis, atque his, quod honeſte perſcriptae viderentur, pacata voce & leni capitis nutu laudatis, nihil plus ſit locutus, quam ut nuncios, tanquam de via feſſos, ad quietem hortaretur. Adeo ut in eo ſedati animi habitu, frigidioreque laetitia *Vianeſius Albergatus*, qui a Leone miſſus ſacerdotum defunctorum haereditates in Hiſpania colligebat, indignanti ſimilis, non obſcura voce dixerit: *Renuatur ergo hic ſummus Pontificatus, poſtquam tam lenta hilaritate ſuſcipitur.* Petebat Senatus, ut poſtquam legitimis omnium ſuffragiis Pontifex eſſet creatus, de ſe bene meritos Cardinales diutius fruſtrari nollet, paratisque ad navigandum rebus omnibus in Italiam primo quoque tempore maturaret, ut quod Deo Opt. Max. Senatuique deberet, opportuna ope afflictis Italiae rebus mature allata, religioſe ſolveretur. Ferunt Hadrianum, uti ipſe poſtea teſtatus eſt, ea nocte diu mente ambigua volutaſſe, an Pontificatum ſuſciperet, nullaque graviore de cauſſa inductum ſuſcepiſſe, quam ut Dei Optimi Maximi nutibus obtemperaret, poſtquam aſpirante coeleſti Numine ab ignotis hominibus tantus honos offerretur. Apparebat enim, ipſo recuſante, Chriſtianae Reipublicae dignitatem dira diſſenſione Cardinalium convelli penitus, & ad non dubium interitum foediſſime lacerari, quoniam inſtauratis Comitiis exitioſo diroque ſchismati materia praeberetur. Nolebat etiam, uti Caeſari deditiſſimus, recentis ejus victoriae curſum impedire; nam Gallos Leonis morte plurimum exultare, ſublatisque

que animis in ſpem novi Pontificis, qui partibus adeſſet, bellum in Inſubribus renovare didicerat: quae omnia, abrupta ſpe pacis atque concordiae, ad conturbationem humanarum & divinarum rerum proculdubio pertinerent. Igitur ſequenti die ſtolatus in publicum prodit, calciamenta aureis crucibus exornat, ſalutanti turbae omnis generis hominum exoſculandos pedes praebet, deſumptoque *Hadriani Sexti* nomine, id confeſtim in publicis libellis literisque praeſcribit. Tum vero finitimi populi ad conſtantem famam creati Pontificis Victoriam undique convenire, ulteriores trans Hiberum Amnem gentes pia quadam hilaritate, poſtpoſitis rebus omnibus, ad iter excitari; quoniam (quod tum rariſſimae felicitati datum videbatur) ab ulla majorum memoria Pontificem in Hispania numquam vidiſſent. Ipſi Reguli inſignes natura admodum pii, atque magnifici, opulentique item ſacerdotes, & Epiſcopi imprimis nobilium civitatum inter ſe ambitioſa liberalitate certabant; nam quisque munificentiae ſtudio, in ſacros praeſertim uſus, ſeſe regalibus donis onerabat, quibus apud Pontificem opimae gratulationis nomine ad parandam gratiam uteretur. Nec defuere etiam pleraeque matronae nobiles, & ſacratae virgines coenobiorum ſeptis incluſae, quae linea omnis generis elaborata pictis operibus, & ad cultum Pontificis, & in ſacras veſtes, ornamentaque altarium, cupidiſſime conferrent. Jamque Hadrianus vel ipſo comitatu vel aulae frequentia, vel inſtrumentis omnibus, in augenda majeſtate ad auguſtiorem pompam exquiſitis, Romano atque ornatiſſimo Pontifici ſimillimus erat. Quum ad Caeſareauguſtam contendit, ipſe purpurea in ſella, ſuccolantibus Hiſpaniae Regulis, effuſa obviam ingenti equitum multitudine, urbem eſt invectus. Venerat tum *Alexander Caeſarinus* Cardinalis ab urbe, qui Pontificem ſacri Senatus & Romani populi nomine vehementer impellebat ad navigandum, ut Italiam atrocibus bellis, & in primis Romani Pontificis Provincias, ab ipſa factionum inſania coedibus ac incendiis expoſitas, matura profectione liberaret. Quum eſſet Caeſareaeauguſtae, libido ei inceſſit ab ſingulari pietate inſpiciendi *Divi Lamberti* cadaveris, e quo paulo ante, ut diximus, mandibulam dono miſſam tam laeto animo ſuſcepiſſet. Itaque loculum & oſſa cupidiſſime, & cum eximia quidem veneratione contemplatus eſt. Quae res in prodigium continuo verſa, quoniam primum ipſius operum cadaver extitiſſet, famam praebuit, eum cito inter mortales eſſe deſiturum. Quam etiam portenti ſuſpicionem auxiſſe viſa eſt lampadis cryſtallus in templi medio ante aram temere effracta, ob cujus caſum & ipſum Pontificem, & qui circa erant ſolemni in veſte ſacerdotes, lucernali oleo foediſſime conſperſos conſtat, ariolis id totum ad funeſti ominis interpretationem facile trahentibus.

 CAP. X.

# CAPUT X.

*Hadrianus, omnes moras abrumpens, Italiam properare festinat, & classe conscensa, duce Ferdinando Andrada, Romam pervenit.*

Caeterum Hadrianus cum pio tum egregio consilio in unam eam curam corpore atque animo erat intentus, ut quamprimum Romam relicta Hispania navigaret. Quamquam plerique Hispaniae nobiles summis precibus & ingentibus promissis eum in Hispania retinere conarentur, *Henricusque* Brittanniae Rex cum ad se religiosa contentione in insulam evocare perseveraret, polliceretúrque viaticum Regiae munificentiae venienti pariter, ac demum quum aliquot dies in Brittannia substitisset, per Germaniam ad Urbem in Italiam profecturo. Sed nihil haec in tam pia, quam decora propositi severitate permanentem omnino morabantur, quin ipse spes omnium, uti parum honestas, sanctissima castigatione praecideret, & per Derthusiam, in qua urbe ipse fuerat Antistes, Tarraconem ad mare deferretur, ubi classem exornarat, contractis undecim triremibus, & navibus triginta onerariis, quibus praesidiariae cohortes decem & totius aulae comitatus imponeretur. Exspectabat etiam *Joannis* Lusitaniae Regis naves aliquot a Gaditano freto, atque item nonnullos terrestri itinere equites, ut aliquanto majore nobilioreque frequentia navigaret. Verum haec diutius non esse exspectanda judicavit, quum Caesarem e Germania in Hispaniam redeuntem ad portum, cui in Asturia Villae Vitiosae nomen est, felici navigatione pervenisse cognovisset. Nolebat enim a Caesare vel retardari, vel omnino in Hispania retineri, quamquam ei nihil foret optatius, quam Caesarem ubique victorem, & dudum a Germanis Imperatorem appellatum, conspicere, complectique arctius, ac item coram docere, quo in statu singulae totius Hispaniae Provinciae relinquerentur. Sed se, uti pius & gravis, jam plane Pontificem esse meminerat, & propterea publicae personae rationibus potius, quam privatae benevolentiae serviendum arbitrabatur, utpote qui statim, repudiatis minorum negotiorum officiis, rerum omnium cogitationes ad pietatem, publicamque salutem prudentissime revocaret. Cupiebat etiam sese confestim eripere ab ea ingentis invidiae procella, quae sub adventum Caesaris sibi uni multo gravior, quam caeteris magistratibus imminebat. Erat enim in eos severe animadvertendum, qui in tumultuosissima populorum defectione,

ctione, perturbata univerſa fere Hiſpania, a Regio nomine rebellaſſent. Nam ſi eorum nomina deferret, & in tabulis ad caeteros metu liberandos proſcriberet, nolebat eos ipſius potius, quam magiſtratus judicio damnatos videri, quos Caeſar, uti aequum foret, ex merito ad pacandas Provincias eſſet percuſſurus. Quando ad ſanctiſſimi Pontificis opinionem pie & clementer dictis factisque omnibus retinendam, nihil melius atque praeclarius foret, quam a miſerorum ſuppliciis atque omni cruenta ſeveritate inviolatum atque puriſſimum animum ſervaviſſe. Itaque [1] ſcribit ad Caeſarem, ut [2] eas colloquii ſpes abjiceret, & uti pium juſtumque Principem deceret, aequo animo pateretur, ſi ipſe graviſſimis de cauſſis incitatus, omnibus poſtpoſitis rebus, quamprimum in Italiam navigaret; ibi enim cuncta bello deflagrare, populosque, praeſertim Pontificiae ditioni ſubjectos, per ſe factionibus implicitos, obnoxiosque potentiorum injuriis vexari paſſim, & vagantibus externarum gentium armis crudeliter evaſtari: nec populum Romanum, qui ſuo Principe eſſet orbatus, nec ſacroſanctum Senatum, qui delato Pontificatu tantum de ſe judicium feciſſet, & ſpes ſuas in externi hominis fide collocare minime dubitaſſet, deſerendos videri; quando nihil turpius eſſet futurum, quam eorum opinionem fefelliſſe, qui uni probitatis atque juſtitiae nomini famaeque ante periculum, non minus pie, quam benigne crediderunt: proinde ut maturo adventu benemeritis de ſe Cardinalibus gratiam referret, dum per leniſſimas tempeſtates mare eſſet idoneum, continuo ab Hiſpania ſoluturum, daturumque operam, ubi primum in urbe conſediſſet, ut Caeſariani Duces aliquanto opportuniore majoreque ſtudio, quam ſi in Hiſpania moraretur, adventus ſui beneficium ſentirent. Nec multo poſt commonefacto ſaepius Senatu, & *Gulielmo Enchavordio*, ob ſpectatam fidem negotiis in urbe praepoſito, circiter quatuor millia peditum & paucos equites navibus imponit, adminiſtrante [3] *Ferdinando Andrada*, quem copiis & claſſi praefecerat, vel ob

1 *Scribit ad Caeſarem.*] Quibus expoſuit cauſſas, cur ita properaret. Sleidan. lib. III. Comment.

2 *Ut eas colloquii ſpes.*] Caeſar enim eum videre exoptabat, verum Hadrianus noſter varias ob cauſſas, quarum aliquas hic enumerat Jovius, illud colloquium evitare ſtudebat. Tres rationes, quare Hadrianus Caeſarem videre recuſabat, adfert Guicciard. lib. XV. init. ſive ob Caeſaris, qui adhuc in extremis Hiſpaniae partibus erat, longinquitatem, ne tantum temporis, cum ſibi deinde incommodis temporibus eſſet navigandum, tereret: ſive quod Caeſarem ſuam in Italiam profectionem differre conari ſuſpicaretur: ſive, quod plurimi dixerunt, ne opinionem de ſe initio conceptam, eum tantopere Caeſari deditum fore, ut ipſi in communi inter Chriſtianos pace concilianda, quod in animo habebat, impedimento eſſet, augeret. Contrarium vero nobis narrat Pont. Heuter. lib. VIII. Rer. Belgic. ſcilicet: Hadrianum legatum ad Caeſarem, qui jam Malgaram advenerat, miſiſſe, gratulantem ipſi de felici navigatione, & ſignificantem ejus deſiderium conveniendi Caeſarem ante ejus diſceſſum; ſed Caeſarem ei renuntiari juſſiſſe, ne de ea re anxius inſtitutum iter retardaret, ſed quamprimum in Italiam trajiceret.

3 *Ferdinando Andrada.*] Hic *Ferdinandus Andrada*

ob id, quod sub magno *Consalvo* ante viginti annos in Italia cum eximia laude militasset, pridieque nonas Augusti Tarracone profectus lenissimis tempestatibus Genuam pervenit. Excepere advenientem Genuenses cum pie, tum liberaliter; quamquam [1] ab recenti calamitate direptae urbis, neque apparatu, neque animis, [2] ullam omnino laetitiam ferrent. Erat tum Princeps in civitate [3] *Hieronymus Adurnius*, virtute animi & bellica laude insignis, qui dudum expugnata arce, Gallicum praesidium expulerat. Is ingentia dona recentis praecipue commeatus, cum publico civium, tum suo etiam nomine, Pontifici detulit, quae tanta fuere, ut Hadrianus, quasi non omnia oculis plane contemplatus, singularum rerum indicem deposceret, ut grato ad ejus officii memoriam animo cuncta consideratius aestimarentur. Advenere etiam a Mediolano ipse [4] *Franciscus*

*drada* Portocarerio, qui copiis & classi Hispanorum contra Gallos praefectus erat, vicarius constitutus erat. Qui cum in expeditionis initio obiisset, *Ferdinandus Andrada*, cui Portocarerius moriens jus imperii transtulerat, ipsi successit, & in Siciliam cum classe adpulit, ubi res egregie gessit, quas narrant Jovius lib. II. de vita M. Consalvi & Guicciard. lib. V. Hist. Ital. Unde eum *belli peritissimum* vocat Ferronus lib. III. Rer. Gallic. In Hispaniam autem cum rediisset, Cardinalis Ximenius, Hispaniae praefectus, copiis & classi, quas ad Algierum expugnandam mittere volebat, eum praeficere voluit, verum ille recusavit. vid. Gomecius lib. VI. de Reb. gest. Franc. Ximen. Postea tamen Praefectus militum praefuit copiis, quas Ximenius contra rebelles Hispaniae proceres comparaverat. vid. Gomec. lib. VII. Notandum quoque, quod classi, quae ad Hadrianum missa fuit, praefectus fuerit *Paulus Victorius*, Gentilis Petri, (qui etiam legatus Reipublicae Florentinae fuit ad Franciscum I. Regem Galliae,) & ipsi in hoc itinere comes fuerit *Petrus Victorius*, qui Barcinonae cum Flandris consuetudinem iniit, & ibi dum cunctaretur classis, vicina loca circumiit, & inscriptiones plurimas collegit, ut discimus ex oratione funebri in laudes Petri Victorii Italica lingua scripta a Leonardo Salviato, edita Florentiae ann. MDCCXIX. in libro, cui titulus *Raccolta di Prose Florentini* part. I. vol. III. vid. & Victor. VII. Epist. XVII.

1 *Ab recenti calamitate.*] De qua vide Ferron. lib. VII. Rer. Gallic.

2 *Ullam omnino laetitiam.*] *Nulla*, inquit Jovius Epitom. lib. XXI. Histor. *Civium*, *recentem cladem suam lugentium*, *laetitia exceptus.* vid. omnino Blaz. Ortis. Itiner. cap. XVI.

3 *Hieronymus Adurnius.*] Celeberrimae factiones *Adurniorum & Fregosiorum* diu Genuae viguerunt, Gibellinorum partes *Adurniis*, Guelphorum *Fregosiis* sequentibus. Genua autem anno MDXIII. Gallis adempta ope Hispanorum, quos pecunia conduxerat *Octavianus Fregosius*, *Antoniottus* & *Hieronymus Adurnius* fuga salutem sibi quaerere coacti sunt, & *Octavianus Fregosius* (sive *Fulgosus*, uti eum vocat Galeac. Capell. in Comment. de reb. gest. pro restit. Francisc. Sfort. lib. II. ubi dicit eum fuisse *virum tum prudentia & rerum usu insignem*, *tum morum probitate Genuensibus admodum charum.*) Dux creatus. vid. Jovius lib. I. de vita Ferdin. Davali Piscarii. *Adurnii* autem ita exules, Maximiliani Sfortiae, aliorumque auxilio patriam recuperare conati sunt, sed infelici successu: Anno enim sequenti MDXIV. cum jam per proditionem ingressi essent Genuam, fortiter dimicantes, a *Fregosio* repulsi, & in fugam conjecti sunt. Tandem autem Genua a Prospero Columna & Piscario occupata, & urbe hostiliter direpta, *Antoniottus Adurnius*, non *Hieronymus*, ut auctor noster dicit, Dux creatus fuit. vid. Guicciard. lib. XIV. Hist. Ital. Ita tamen, ut quia *Antoniottus* parum illustri ingenio & podagricus esset, *Hieronymus* dignitatem fraternam sustinere videretur, uti tradit auctor noster lib. III. de vita Ferdin. Davali Piscarii. Ita ut licet *Antoniottus* nomen Ducis obtineret, *Hieronymus* tamen rempublicam administraret. Proprie enim Ducem Genuae non fuisse patet & ex eo, quod postea ut Caesaris legatus apud Venetos fuerit, ut eos a foedere cum Gallis distraheret, quo negotio dum occupatus esset, obiit. vid. Guicciard. lib. XV. & infr. cap. XV. & Galeac. Capella Comment. de reb. gest. pro restit. Franc. Sfortiae lib. II. circa finem. in Thesauro Italiae vol. II.

4 *Franciscus Sfortia.*] Filius hic fuit Ludovici, frater Maximiliani Sfortiae, qui fratre vivente Barensi-

*ciscus Sfortia*, [1] *Prosperque Columna*, & [2] *Ferdinandus Piscarius*, ut de statu rerum Italiae explicando, & communicando sociorum atque hostium consilia, ipsum earum rerum non plane peritum accurate perdocerent. Quum triduo Genuae substitisset, celebratam illam Smaragdum excavatam in hexagonium poculum, quae una omnium gemmarum pretium superare existimatur, tam cupide, quam humaniter inspexit, miratus, quod in tumultu direptae urbis [3] servari potuisset. Ab Genua

rensium Dux fuerat. Guicciard. lib. XI. Hist. Ital. Hic Mediolano a Gallis occupata, Tridenti exulaverat, ad quem restituendum foedere inter Pontificem & Carolum inito, ille iterum Mediolano potitus erat. vid. Guicciard. lib. XIV. Jovius lib II. de vita Ferd. Daval. Piscar. & lib. VI. Elog. viror. bellic. virt. illustr. & Sleidan. lib. III. Comm. ad ann. MDXXI. & Galeacii Capellae commentarii de rebus gestis pro restitutione Francisci Sfortiae.

1 *Prosper Columna.*] Quia hic secutus fuerat partes Ludovici Sfortiae & Caroli VII. Galliarum Regis contra Alfonsum Arragonium, Romae citatus fuit ab Alexandro sexto; ubi cum non compareret, aedes ejus Romae sunt demolitae, & a Caesare Borgia ditiones ejus occupatae, & licet a Carolo ipsi donatae essent satis amplae ditiones, ut Trajecti Ducatus, urbs Fondana, una cum multis Cajetanae familiae castellis, mons Fortinus, aliaque vicina oppida, ille tamen postea deseruit Gallum, & ad Ferdinandi, qui jam Neapolim recuperaverat, stipendia transiit, & postea sub magno Consalvo meruit, & res egregie gessit, quas narrat Jovius in vita M. Consalvi. Alexandro autem sexto Papa mortuo, Romam venit, & Julius ejus ditiones occupatas a Caesare Borgia restituit; conversus autem iterum ad Consalvum, eum contra Gallos adjuvit in memorabili illa pugna ad Garilianum fluvium, qua Galli caesi regnum Neapolitanum amiserunt. Postea iterum Romam venit, & Julius eum copiis Pontificiis praeficere meditabatur; sed ille sub Hispanis merere pergit contra Venetos, a quibus, Villafranca subito oppressa, captus est anno MDXV. Ferronus lib. V. Rer. Gallic. in princip. & anno sequenti dimissus, postea Romam accersitus, Leo Papa ejus consilio usus in bello contra Gallos, ipsi summam belli mandavit, & Gallis expulsis, *Francisco Sfortiae* Mediolanum restituit. vid. Ciaccon. in Julio II. & Leone X. Ferron. lib. V. Rer. Gallic. Guicciard. lib. I, II, III, IV, V, VI, X, XI, XII, XIII. & XIV. Galeac. Capell. comment. de reb. gest. pro restitut. Francisci Sfortiae. Jovius in vita Ferdin. Daval. Piscar. per tres libros priores, qui & elogium ipsi conscripsit lib. V. Elog. viror. bellic. virtut. insign. & ipsi magnificum Elogium dat lib. I. de vita M. Consalvi. *In Prospero Columna*, inquit, *singularis altitudo, moderatique animi eximia solidaque prudentia, incredibilis auctoritas ac religiosa potius quam severa disciplina cum perpetuo quodam tenore lautioris vitae plurimum enituerunt. Qui ob id sempiterna laude fruetur, quod uti Romani sanguinis Imperatorem decuit, tanquam terrae patriae amantissimus, dira belli incommoda tam pio instituto, quam severo in externos praesertim milites imperio semper averterit.* Obiit vero Prosper eodem fere tempore quo noster Hadrianus, & quidem, ut multi volunt, eodem fato. vid. Blaz. Ortiz. cap. XXXV. Itiner.

2 *Ferdinandus Piscarius.*] Fuit hic *Ferdinandus Davalus* Piscariae Marchio, qui uxorem habuit *Victoriam Columnam*, Fabritii Columnae filiam. Jam admodum adolescens, verum eximiae spei, praefuerat parti copiarum, quibus Julius Papa, & Hispani, bellum gesserunt contra Gallos in Italia, & captus est in proelio illo celeberrimo Ravennensi, in quo Galli cruentissimam victoriam ab Italis reportarunt. Postea redemptionis pretio soluto dimissus, in Italia meruit sub Hispanis, & sub Leone X. Gallos Insubria expellere adjuvit, Guicciard. lib. X, XI. & XIV. Ferron. lib. V. Rer. Gallic. Jovius in vita Alfonsi Atestini, & Galeac. Capell. Comment. de reb. gest. pro restitut. Francisci Sfortiae. & Ferdinando Catholico mortuo, a Proceribus Arragoniis ad Carolum in Belgio agentem missus fuit, a quo ipsi imperium totius peditatus, quod Ferdinandus antea ipsi tribuerat, confirmatum est. Res ab eo gestas, quibus fortissimi Ducis nomen meruit, septem libris conscripsit Jovius, ubi plura de eo videri possunt. qui & lib. I. de vit. M. Consalvi, *Davalum*, inquit, *quonam satis decoro meritae gloriae praeconio dignum existimabimus? quem sicuti inusitatus mirificarum virtutum concursus omnibus bellis admirabilem fecit, ita eum tot opimae incomparabilesque victoriae uno ejus divino consilio, unaque prope ejus fortissima fatalique dextera comparatae, supra summos rarissimarum laudum honores extulerunt.* vid. & Jov. lib. V. Elog. vir. bell. virt. insign.

3 *Servari potuisset.*] Haec servata fuit opera Hieronymi

nua demum in Delphini portum, atque inde secundissima navigatione, comitantibus Adurniorum triremibus, ad Liburnum Pisanum portum est devectus, quo jam venerat [1] *Julius Medices*, quinque Cardinales, & totius Italiae Principum legatos secum adducens. Supervenit & ipse [2] *Fredericus Gonzaga* Mantuanus, Pontificii exercitus Imperator. Itaque exstructo ligneo ponte, qui in mare prominebat, atque eo festa fronde & pictis insignibus exornato, inter magnas acclamantis populi gratulationes, & tormentorum bombos excipitur. Is primo statim egressu pervenusto totius corporis habitu, omnium oculos simul atque animos implevit; erat enim ore probo, gravi, verecundo, ab sancta quadam hilaritate valde conspicuo: venerabundis autem Cardinalibus, & felicem adventum enixe gratulantibus, Florentinisque legatis, qui ingentem copiam rerum esculentarum ad alendum aulae comitatum, recreandosque remiges dono attulerant, tranquillo potius, quam laeto vultu, & sermone dulci brevitate perjucundo respondebat; ita ut quum nulla in gestu, aut verbis familiaritate uteretur, nihil temere, quod esset elatum, & insolens, aut subagreste penitus emineret. Id solum Cardinales & reliquos blandimentis Romanae aulae assuetos, vehementer permovit, quod Pontifex parum humaniter, & fere contemptim secum agere videretur; nam quum solus coenasset, & nautae utendum nocturna aura suaderent, adeo cupide & festinanter ad mare se proripuit, ut Cardinales, in proximo simul coenantes, nec moneret, nec expectaret. Itaque omnibus raptim ad triremes contendentibus, de secunda vigilia oram solvit, & ad Centumcellas est provectus. Ibi affuere a Senatu missi *Pompejus Columna*, & [3] *Franciottus Ursinus*, Romani Cardinales, qui exceptum sub umbella Pontificem ad templum deduxerunt. Ubi postquam ad aram supplicatum fuit, oratio habita est a *Pompejo*, tanti adventus laetitiae accommodata. A Centumcellis postero die Ostiam pervenit, periculosa navigatione, nisi maturasset; nam Tiberinas intranti fauces saeva tempestas exorta est, quae triremes violento cursu in diversum abripuit. Ab Ostia etiam pari festinatione est profectus,

ronymi Adurnii. vid. Jov. lib. III. de vita Ferdin. Davali Piscarii.

1 *Julius Medices.*] Vid. Ortizii Itinerar. cap. XVIII.

2 *Fredericus Gonzaga.*] Fuit hic quoque eo tempore celeberrimus Dux habitus, & qui variis bellis suo tempore in Italia gestis interfuit, & diu sub Gallis meruit, & a Ludovico Rege Divi Michaelis equestri ordine donatus fuerat; verum postea a Leone X. copiarum Pontificiarum Imperator constitutus contra Gallos, se Divi Michaelis equestri ordine, Regi aureo torque remisso, abdicavit. vid. Guicc. lib. XIV. & Jovius de vita Ferdin. Davali Piscarii. & Ferron. lib. V. Rer. Gallic. & Capella de rebus gestis pro restitutione Francisci Sfortiae lib. I.

3 *Franciottus.*] Hieronymus tamen Niger, qui tunc Romae erat, *Pompejum* obviam Pontifici processisse, *Franciottum* vero, qui cum illo iturus erat, aegrotasse testatur, uti refert Andr. Victorel.

fectus, adeo ut Cardinales, qui jumenta ab urbe expectabant, vel paucarum quidem horarum moram impetrare nequiverint. Per hunc modum tumultuario deformique agmine, quum Cardinales ignobilibus jumentis veherentur, & nonnulli minores Antistites, & totius aulae incondita multitudo onusta sarcinulis in fervido sole iter faceret, ad [1] Divi Pauli templum extra Trigeminam portam est perventum. Postero die quarto Calendas Septembris populus Romanus, singulique sacerdotum ordines, solemni pompa per urbem invectum ad Vaticanas aedes deduxerunt.

## CAPUT XI.

*Hadrianus statim initio Pontificatus variis difficultatibus implicitus, Rhodo a Turcis obsessae succurrere nequit. Hadrianus Caesari amantissimus. Enchavordius, Hezius, & Ruffus Hadriano intimi.*

Sequenti die se totum praebuit urbanis magistratibus, ut cuncta sigillatim cognosceret, opemque afferret labanti Reipublicae. Nam Romae pestilentia vulgatis morbis ignobile praesertim vulgus invaserat, & aerarium non modo erat inane, sed gemmas publicas, & sacrorum solemnium ornamenta, & Leo ipse, & Triumviri demum Cardinales foeneratoribus oppignoraverant. Ariminum quoque per insidias occuparat *Sigismundus Malatesta*, quoniam eam urbem, a patre *Pandulpho* divenditam, progenitores ejus per ducentos amplius annos imperio tenuissent. Nunciabatur etiam [2] *Solymannus* Turcarum Imperator Rhodum validissimis tormentis, & cum incredibili militum & rerum omnium apparatu jam tertium mensem oppugnare, Praefectosque Turcarum, qui in Illyrico fines tuerentur, Pannoniam citeriorem crebris incursionibus vastare, nec *Ludovicum* Regem, uti aetate non integra atque ingenii viribus parum validum, sustinere hostes posse, nisi in stipendium Pontificia pecunia juvaretur. Quibus de caussis necesse erat Pontificem rerum Italicarum penitus

rell. in addit. in Hadrian. VI.

1 *Ad Divi Pauli.*] Vid. Andr. Victorell. in addit. ad Ciaccon. in Hadrian. VI. ubi narrat. Romanis in ea urbis porta, qua ingrediendum erat, arcum triumphalem quingentis aureis erigentibus, Hadrianum artifices desistere praecepisse, negantem Christianis & Ecclesiasticis eos arcus, quibus Gentiles gloriabantur, convenire.

2 *Solymannus.*] Fuit hic unicus filius Selymi, hominis ferocissimi & crudelissimi, qui patrem Bajazethum, fratres & cognatos, ut tuto regnare posset, e medio sustulit, & imperii fines, Assyria & Aegypto occupatis, late extenderat, qui obiit anno MDXVIII. successore relicto hoc Solymanno. Guicciard. lib. XIII. Hist. Ital. vitam ejus conscripsit Jovius. in vit. Imp. Turc.

penitus ignarum, & tum primum urbium ſuarum & Provinciarum, Regulorumque nomina perdiſcentem, in omnibus conſiliis vehementiſſime conturbari, adeo ut, quum his curarum fluctibus jactaretur, aliquando diceret: [1] *ſibi fuiſſe jucundius Lovanii gymnaſium cum ſtudiorum laude moderari, quam Romae Pontificia in ſede Chriſtianam Rempublicam adminiſtrare, quando*, inquit, *in eam affectam omnibus malis, & reciſis nervis magnopere debilitatam, miſer inciderim.* Sed anxium & diverſis difficultatibus implicitum, unus maxime de amittenda Rhodo metus agitabat, cujus clariſſimae urbis ſalus neque negligi ſine ſummo dedecore, neque mature ſtrenueque defendi ſine graviſſima impenſa, ingentique periculo poſſe videretur, cum magnis Turcarum claſſibus non modo portus urbis fretumque ipſum, ſed totius etiam inſulae littora & circumjecta maria obſeſſa tenerentur. [2] Suadebat *Julius Medices* ante alios, ut delectas ex his, quas adduxiſſet, cohortes iisdem navibus, omnium rerum copia repletis, Rhodum continuo transportandas curaret; fore enim, ut eae per autumnales tempeſtates validioribus uſae ventis, contempta aut eluſa Turcarum claſſe, in portum plenis ventis inferrentur. Quarum navium profectione auſuros fortaſſe aliquid Venetae claſſis Praefectos, qui in Creta cum quinquaginta roſtratis diligenter excubarent, invitarique percuperent ad egregium facinus, ſi caſu aliquo delendae Turcarum claſſis facultas offerretur. Quod ſi Venetus nihil omnino contra veteres inducias cum Othomanis ſibi tentandum putaret, eo certe ſubſidio cum fortium tum maxime recentium militum feliciter adducto, neceſſe fore ſpes ipſas, ex diſidia Chriſtianorum Principum conceptas, Turcis imminui, & contra Rhodiis plurimum augeri, qui in ea auxiliorum exſpectatione erecti, tantam belli molem fortiſſime ſuſtinerent. Sed quoniam in fatis erat, ut Rhodus amitteretur, Hadrianus ejus rei gerendae occaſionem propter multas, & rei praeſertim nummariae, difficultates, penitus amiſit. Hiſpani quoque, utpote qui ſemel terram Italiam pedibus attigerant, longinquae navigationis laborem ad incertum maxime rerum exitum recuſabant, & *Ludovicus a Corduba*, Princeps Sueſſanus, qui apud Pontificem pro Caeſare erat legatus, Italiae urbes certo praeſidio tueri, atque exercitum inprimis, qui erat in Gallia Ciſalpina, Hiſpano milite ſupplere, quam Rhodiis opem ferre malebat: quoniam Rex Gallus, etiam tot bellis & proeliis victus, quin Italiam repeteret, minime quieturus eſſe videbatur: proinde ſingulis in rebus orando, inſtandoque

1 *Sibi fuiſſe.*] Vid. & Vernulaeus lib. III. Acad. Lovan. cap. x.

2 *Suadebat.*] Eadem narrat auctor in Vitis Imper. Turc. in Solimanno.

Caeſari

doque Pontificem, ne Caesari deesse vellet, vehementissime perurgebat. Erat Hadrianus suopte ingenio [1] Caesaris amantissimus, & quantum salva Pontificii nominis majestate poterat, ejus victoriis non obscure laetabatur; quamquam uti aequus, & quietis & otii cupidus, execrato bello, maxime cuperet sedare eam controversiam, quae inter Gallum & Caesarem sine spe compositionis agitabatur. Erant uni omnium Hadriano valde intimi *Guliermus* ipse [2] *Enchavordius*, quem statim gratissima voluntate a subnotandis supplicibus libellis [3] Datarium, & demum Derthusensem Episcopum fecerat, & *Theodoricus* [4] *Hetius*, a secretioribus epistolis, vir optimarum literarum notitia, & Christiana modestia insignis. Ii Belgae erant, quibus propter usum gravissimarum rerum aliquando miscebatur *Johannes Ruffus* Antistes Consentinus, ei antea familiaris, quum in Hispania apud Ferdinandum Regem pro Pontifice legationis munere fungeretur. Hi Caesarianis rebus propensissimo studio favebant, & summam divinarum atque humanarum rerum, nequaquam late communicata auctoritate, gubernabant. Horum consilio Pontifex bellum adversus *Malatestas*, qui Ariminum occuparant, missis in Umbriam Hispanorum cohortibus, suscepit. Nec multo labore *Sigismundus* est ejectus, utpote qui jam Ariminensibus propter naturae acerbitatem atque saevitiam odio esse coepisset, nec aliunde circumvento obsessoque auxilia mitterentur, adjuvante maxime Pontificios Duces [5] *Francisco Maria Feltrio Urbinate*, atque item *Alfonso Atestino Ferrariensi*, qui ad promerendam gratiam eo bello insignem operam navare cupiebant. Neque tamen abjecta cura Rhodii belli, Pontifex ad Adurnios [6] *Petrum Raborium* Genuam misit, qui onerarias naves conduceret. Sed aegre admodum expedita pecunia, aliquanto tardius, quam oporteret, tres excelsae naves sunt exornatae, quibus incredibili eventu felicem cursum Fortuna denegavit; nam perpetuos duos menses, prodigio quodam contra anni consuetudinem, Eurus & Vulturnus, qui sunt venti omnium adversissimi navigantibus ad Orientem, maria tenuerunt, quum eo tempore naturali terra-

1 *Caesaris amantissimus.*] Quod ex litteris Hadriani ad Fredericum Saxoniae Ducem datis probat Val. Andr. in Biblioth. Belgic.

2 *Enchavordius.*] De quo egimus ad Moring. cap. XVI.

3 *Datarium.*] Quod non parvae existimationis officium esse dicit Ciaccon. in vita Innocentii VIII.

4 *Hetius.*] Male, cum dicendus sit *Hezius*, vide quae de eo notavimus ad Moring. cap XXIV.

5 *Francisco Feltrio & Alfonso Atestino.*] De his vid. ad Moring. cap. XXI.

6 *Petrum Raborium.*] Male, cum sit dicendus *Petrus Barbirius*, ut recte Blazius Ortisius in Itinerario cap. XXVII. Fuerat antea Sylvagii Cancellarii Burgundiae Sacellanus, eumque in Hispaniam comitatus erat, ubi Sylvagio mortuo, in Hadriani familiam transiisse videtur, & ipsi a sacris fuit. vid. Erasm. Epist. DCLIII, DCCLIX, DCCXXXI, DCCCLXXXVII, append. Ep. CLXIV. & CCXCIV. de quo maxime conqueritur Erasmus, quod ipsi antea amicissimus, postea inaudita perfidia eum spoliaverit pensione Curtracensi. Ep. MXXXIV. MCXII. & append. CCCLIX.

terrarum habitu Etesiae flare consueverint. Periit & Rhodii Magistri insignis oneraria, quae a Nicaea Provinciae omnium rerum ingentem copiam ad insulam devehebat.

## CAPUT XII.

*Pestilentia Romae. Hadrianus legatum mittit ad conventum Nuremburgensem, ut Germani Ludovico Hungariae Regi opem ferrent, & Lutheranismo obviam irent. Hadrianus mittit pecuniam Ludovico.*

Interim Pontifex, ingravescente pestilentia, Vaticanis aedibus & conjunctis viridariis se tenebat, neque aditus, nisi a maximis viris, legatisque Principum & Cardinalibus, impetrabatur. Sustulerat is more Germanorum, qui pestilentiam contemnunt, [1] omnem severitatem, quam Libitinae magistratus exercere consueverat adversus eos, qui sese, contracto & dissimulato morbo, incolumibus miscuissent: quae libertas & dissoluta evagandi, tegendique morbi licentia, urbis faciem, multiplicatis funeribus, mirum in modum deformavit. Itaque hortantibus Triumviris Romani populi conservatoribus, instaurati sunt Magistratus cum officialibus, & revocatae leges ad veterem formulam puniendae multitudinis, quae edictis minime paruisset. Interea Pontifex ad Germanos Regulos, & liberas civitates, quarum legationes ad conventum Nurumbergae undique coibant, [1] *Franciscum Cheregatum* misit, qui omnium primus ab ipso Episcopus propter veterem amicitiam, & virtutis opinionem, fuerat effectus. Hortabatur Germanos, ut ad defendendam salutem Ludovici Regis auxilia decernere, atque submittere vellent, simulque earum haeresum obliviscerentur, quae antea recte atque legitime pluribus conciliis essent damnatae; namque Germania fere omnis *Luthe-*

1 *Omnem Severitatem.*] Narrat Jovius lib. XXI. Epitom. Histor. *quod pestilentiae lues, quam minime Hadrianus noster severis legibus more Romanorum coercendam volebat, ita exarserat contactu aegrorum, ut multa funera in compita viderentur, appareretque vastari urbem haud multo dierum spatio, nisi Graeculus quidam, nomine Demetrius Spartanus, sedandae pestilentiae, favente ei turba hominum, negotium suscepisset, nemine superstitionem vetare auso. Nam ferum taurum, cui dimidium cornu dissecarat, magico carmine dextram in aure prolato repente ita mansuefactum reddiderat, ut injecto tenui filo ad integrum cornu, quo vellet, perducens, pestilentiae placando numini ad amphitheatrum immolasset. Nec credulae multitudinis opem ex toto fefellit, quum ab ea inanis sacrificii prospera litatione mitescere morbus cepisset.* Haec vero permissu & auctoritate Hadriani acta dicit Doroth. Asciani in libro cui titulus *Montes pietatis Romansis detecti* p. CCLX. verum pro mera haec calumnia habenda, neque Battus Parmensis, egregius calumniarum in Hadrianum artifex, hujus meminit, ut nec alii. Et recte hanc calumniam refellit in addit. ad Ciaccon. in Hadriano VI. Andreas Victorellus.

*Francis-*

2 *Lutheri* diri hominis superstitione imbuta, Romani Pontificis majestatem nefario criminationum genere proscindebat, quum ipse a veteribus sacrorum institutis, Christianisque moribus descivisset. Sacerdos enim e coenobio, abjecta cuculla, se proripiens, cum sacrata virgine nuptias fecerat, ita ut praeclari modo nominis Theologus in sago militari conspiceretur. Proposita tum erant a Lutheranis centum postulata, in queis pleraque summae aequitatis videri poterant, quod saepius a Romano Pontifice, veluti impositis sacrarum rerum vectigalibus, avarissime premerentur. Caeterum corruptis impietate animis, id unum maxime spectabant, ut honestissimo praetextu avaritiae, foedaeque licentiae, uti quisque sua libidine raperetur, januam penitus aperirent. Alii namque dicata templis praedia impudenter usurpabant: alii professione sacerdotes, abdicato cultu & ejurata continentia, sacratas virgines ex templorum septis, tanquam uxores, celebratis nuptiis, ducebant: alii gulae dediti nefastis diebus contra majorum instituta carnibus vescebantur: nonnulli etiam immani furore perciti, Deiparae virginis simulacra foedabant, & qui ingenio atque eruditione insignes erant, sanctissimorum Patrum dogmata insanis interpretationibus pervertere conabantur. Quorum immanitati neque antea quisquam apprime eruditus, neque tum *Cheregatus*, vel saluberrimis disputationibus feliciter obviam ivit. Misit etiam Pontifex pecuniam in stipendium *Ludovico* Pannoniae Regi; nam multis, & quidem turpissimis de caussis, Pannoniae regnum, paulo ante sub *Matthia Corvino* peramplum & florens opibus, deformatum atque exutum, omni bellica laude pene conciderat, adeo ut Rex, aetate fortunaque admodum imbecillus, vix tueri fines, & arcere Turcas hostes posset, qui crebris & repentinis incursionibus, modo a Danis & Triballis, modo ab Illyricis limitibus, provinciam evastabant.

## CAPUT XIII.

### *Rhodus a Turcis obsessa & tandem capta.*

Interim Rhodii magnitudine incredibilium operum superati, fessique perpetuo sex mensium labore, & vulneribus ferme omnes debilitati, Solymanno

1 *Franciscum.*] Vid. ad Moring. cap. XXII.

2 *Lutheri.*] Lutheri historiam, facta & gesta, quaeque in hoc conventu acta sunt, luculenter descripsit Sleidanus in Comment. de religion. aliique, qui de Lutheranismo scripserunt, inter quos eminet Seckendorfius. vid. & Chytraeus lib. VI. Hist. Saxon. pag. DLXXVII. & seqq. & lib. VII. & P. Lang. Chron. Citizen. ad ann. MDXIII.

lymanno deditionem fecerunt; neque enim ulla jam ſpes auxiliorum ſupererat, & cuncta intus in maxima diuturna propugnatione defecerant. Oſtentabat veniam praeclare victis Solymannus, quaſi in parte gloriae reponeret, ſi longe fortiſſimis viris, jam plane parta victoria, pepercitſſet. Enimvero vix credibile erat, non amplius ſeptingentos illuſtres Equites cum paucis militibus Graecis, tot menſium vigiliis atque laboribus nequaquam ceſſiſſe, quum minore indies ſui fiducia, & majoribus ſemper rerum omnium periculis, adverſus ducenta millia bellatorum, nihil intermiſſa dimicatione, reſtitiſſent. Aequaverat Solymannus murorum & turrium faſtigia terrenis duobus ingentibus tumulis, quos coacta ad opus innumerabili foſſorum multitudine excavantium, & ſenſim ante ſe contra urbem terrenum aggerem provolventium, paucis diebus erexerat, e quibus tormenta inuſitatae magnitudinis directa contra pinnarum ſummitatem ad aequiſſimos ictus omnibus horis emittebantur: invaſerantque jam foſſas Turcae, muroque ſucceſſerant, fundamenta ab imo dolabris & vectibus ſubruendo, ita ut ampliſſimis ubique cuniculis in urbem penetrarent, & ſaepe Rhodiis occurrendo per ſubterraneos ſpecus decertarent. Juſtis quoque proeliis ſaepe Praetoriani, quos *Janizaros* vocant, aggreſſi murum in ſumma propugnacula evaſerant; ſed fortiſſime repulſi praecipitatique, in foſſas temeritatis poenas dederant: nam tametſi a lateribus ex obliquo minoribus tormentis ſternerentur, nihil vel certiſſimae mortis metu, quominus occiſis integri recentesque ſuccederent, omnino deterrebantur. Erat Rhodiis tormentum, quod ab immani violentia *Baſiliscum* appellabant, excelſo in loco conſtitutum, cujus pilis ſesquipedali craſſitudine caſtra & tabernacula longiſſime cum miſerabili obviorum Turcarum interitu petebantur. Magnam etiam gregariorum & opus facientium militum manum autumnus ſolito gravior abſumpſerat, inductoque & evulgato ventris profluvio, dum illi fatigata corpora meridianis ventis intemperanter exponerent; ſed Solymannus ſtabili decreto innixus, ſingulari perſeverantia has tantas difficultates, non minore ſua virtute, quam noſtra deſidia, ſuperarat; propoſuerat enim emori potius, quam abſcedere irrito incepto, ſuadentique *Pyrrho* Baſſae, ut in proximam Cariae continentem tranſiret, atque inde adminiſtrato bello ex tuto victoriae exitum expectaret, graviter ignavia increpita ſuccenſuerat, nequaquam eam inſignem eſſe victoriam praedicans, quae praeſentis Imperatoris manu minime pararetur. Itaque novis delectibus in Cilicia, Syria, Aegyptoque habitis, copias egregie ſupplevit. Nam *Feracatus Gazelle* victo caeſoque, & Mamaluchis ad internecionem deletis, maxime illuſtris, ab Athalia, Iſicoque ſinu, & Antiochia, atque

item

item *Cajerbejus* a Memphi, Pellusioque & Alexandria, in parandis & transmittendis commeatibus & copiis omnem, uti opus erat, diligentiam adhibebant. His tantis adductus difficultatibus *Philippus Villadamus*, militiae Rhodiae Magister, in consilio disseruit, summae esse stoliditatis id ultra defendere conari, quod nec recentibus quidem receptis auxiliis, egregia spe tueri possent, quando jam cuncti fere propugnatores consauciati, confectique vigiliis, animos despondisse viderentur; non esse funesta pertinacia diutius cum fortuna contendendum, quando ipsi, qui in praesidio essent, satis superque officio & dignitati satisfecerint; amissae siquidem Insulae dedecus ad eos pertinere, qui toties implorantibus opem ferre noluissent, ejus hercle admissi flagitii, quod extrema necessitas attulisset, non Rhodios, sed totius Europae Reges, infamia deflagraturos, proinde sumendum esse consilium a prudentia, quam necessitas exprimeret, non ab inani animorum obstinatione, qua nihil iis, qui in extremo casu versarentur, lethalius accidere posset: sibi ergo tam honestum, quam omnibus ad salutem necessarium videri, dedere urbem, & Solymanni, qui pro gloria certare existimari vellet, fidem experiri, ut benemeritos de Republica Christiana milites conservaret, nec fortibus viris opportunum in Europa locum esse defuturum, ubi meliore fato Rhodiae militiae signa defigerent, & acceptas a Barbaris injurias, egregio religionis studio, & commodiore tempore, vindicarent. Itaque emissis legatis, atque ipso demum *Philippo* sub fide publica ad Solymannum in castra profecto, conditiones de dedenda urbe sunt conscriptae, quas Solymannus, alioquin saevus hostis, religiosissime servari jussit; ipso enim urbem ingresso, neque templa, neque privatas domos, neque obvios milites Christianos, quisquam vel ingenio ferox Barbarus omnino violavit, ita ut *Philippus* clementer admissus, & a Solymanno *Pater* appellatus, quum omnia prope praeter bellici apparatus instrumentum suis triremibus imponeret, septem etiam aenea tormenta praesidii nomine contra piratas, uti ab eo didicimus, impetrarit. Eo die, quo Rhodus est dedita, prodigioso casu epistylium portae sacelli in Vaticano sponte corruit, quum non plus passu altero Pontifex abesset a limine, ad operanda sacra solenni die Christi natalis statim ingressus, ita ut Praetoriani duo milites effracti marmoris fragmine opprimerentur. Caeterum [1] is nuntius toti Europae admodum lugubris, Pontificem incredibili dolore affecit, quasi recens adhuc primorum mensium principatus, adversus quodam rumore adlatrantis vulgi, ea ferali clade notaretur.

CAP. XIV.

1 *Is nuncius.*] De expugnatione Rhodi egimus ad Moring. cap. XXI. ubi vide.

Alfonsum

## CAPUT XIV.

*Hadrianus Italiam pacare ſtudens, Alfonſum Ateſtinum & Franciscum Mariam Feltrium in amicitiam recipit. Franciſci Soderini calumniae in Julium Medicem detectae.*

Nec multo poſt ad pacandam Italiam converſus, [1] *Alfonſum Ateſtinum* Ferrariae Principem in gratiam amicitiamque recepit, quum is *Herculem* filium cum ornatiſſima legatione Romam miſiſſet, ita ut ea, quae criminoſis admodum codicillis a Julio Leoneque Pontificibus adverſus eum, tanquam Pontificiae majeſtatis reum, decreta & publicata fuerant, penitus antiquaret. Eadem clementia & liberalitate [2] *Franciſcum Mariam Feltrium* eſt proſecutus, quem Leo Pontifex Principatu pulſum, atque hoſtem declaratum, ſacris interdixerat. Miſit & legatum ad Venetos, ut eos Caeſari conjungeret, noviſque initis foederibus, Gallus ab Italia procul arceretur. Erat tum Florentiae *Julius Medices*, praeclaro ſtudio, omnibuſque ſenſibus cum Caeſare conjunctus, cujus auctoritatem plerique veteres ejus hoſtes, & ante alios [3] *Franciſcus Soderinus* Cardinalis, convellere contendebant; ita ut apud Hadrianum eum palam accuſarent, quaſi veteribus Pontificum theſauris potiretur, quos, connivente Leone fratre, in adminiſtranda Republica rapuiſſet. Quae tametſi falſa & ridenda erant, quoniam abunde conſtabat, Leonem, immodicis ſumptibus natura gaudentem, & poſtremo graviſſimis implicitum bellis, ſuos pariter atque alienos loculos pecunia penitus exhauſiſſe, contractoque inſuper gravi aere alieno, vectigalia etiam publica addixiſſe foeneratoribus; tamen haec apud externum hominem, ingenio ſuſpicacem, imperitum Romanae aulae, & inopia plurimum aeſtuantem, veriſimilia videbantur. Involvit & iiſdem prope ſuſpicionibus *Soderinus* mira-

1 *Alfonſum Ateſtinum.*] Vid. ad Moring. cap. XXI.

2 *Franciſcum &c.*] Vid. ad Moring. cap. XXI.

3 *Franciſcus Soderinus.*] Supra cap. V. jam quaedam de eo adnotavimus. Fuit autem Soderinorum familia nobiliſſima Florentiae, & Mediceis inimiciſſima. Sic anno MDII. Republicae Florentinae nova forma conſtituta, *Petrus Soderinus* per totum vitae tempus, cum antea tantum per duos menſes hanc dignitatem obtinere liceret, Juſtitiae vexillifer, quae ſumma eſt in Reipublica dignitas, creatus fuit. Guicciard. lib. V. Hiſt. Ital. qui tamen poſtea, Mediceis reſtitutis, urbe expulſus eſt. Et ſic inter conjuratos, qui Petrum Mediceum imperio detrudere vellent, praecipuus quoque memoratur *Nicolaus Soderinus*, qui Florentiae ſummum geſſerat magiſtratum, ſed qui detecta conjuratione urbe expulſus eſt. Jovius in vita Leonis X. Vetus ergo hoc odium Soderinorum in Mediceos, & hic Soderinus contra Julium, ut Florentia pelleret, copias in Etruriam miſerat, Rentio Cerite Duce, percuſſoribus item in Julii caedem praeparatis; ſed detecta conjuratione, nonnulli cives Florentini concepti facinoris poenas capite dederant, alii, Julio connivente, aufugerant. Jovius Epitom. Hiſtor. lib. XXI.

*Lauren-*

mirabili aſtu [1] *Laurentium Puccium*, & [2] *Franciscum Armellinum* Cardinales, vetere amicitia Julio Medici conjunctiſſimos, quaſi hic, uti praedator inſignis, nullo jure quaeſturae officio potiretur, ille vero ſanctiſſimis indulgentiis, quibus animae defunctorum expiarentur, immani quaeſtu divenditis, ingentem pecuniae vim, nullo metu poenae peculatus, avertiſſet: quaſi hos publica flagrantes invidia repetundarum poſtulari, & facile convictos damnari pateretur, aerarium inane celeriter eorum opibus eſſet repleturus. Caeterum Julio, auctoritate ſua atque innocentia praeclare cuncta refellenti, potentes amici non deerant, qui ejus abſentis cauſam diſſimulanter & obliquis maxime ſermonibus tuerentur, & manebat quidem apud aequum gratumque Pontificem recentis & antiqui beneficii memoria prorſus incorrupta, ita ut parum ea ſubtili & accurata Soderini delatione commoveretur, quominus pie & graviter ſe gereret adverſus eum, qui praeclare cum Pontificio nomini, tum ipſi Caeſari bellum gerenti, totius Hethruriae viribus nixus, ſemper adfuiſſet. Verum fortuna, ſicuti ſaepe alias, ita & tum Julio peregregie atque opportuniſſime favit; in tranſitu enim Arni amnis Soderini literae a Mediceis exploratoribus intercipiuntur, quibus ille Franciscum Regem hortabatur ad transferendum bellum in Siciliam, exulum multitudine & Hispanorum odio novandis rebus opportunam, ut Caeſariani ab Inſubribus ad tuendum id regnum traherentur, monebatque, ut nihil Pontifici temere crederet, qui, quum de pace agere videri vellet, Caeſari tamen perenni quodam ſtudio cunctis in rebus obſequeretur, nec quicquam aliud propenſa voluntate magis cuperet, quam Caeſarem nova ſemper dignitate, novisque victoriis auctum, florentemque conspicere, neque eum debere exiſtimare in componenda controverſia aequiſſimum judicem fore, qui in excolendo attollendoque Caeſare parentis & praeceptoris officia ſemper impleviſſet. Erant eae literae arbitrariis conſcriptae notis, ſed adeo rudi

1 *Laurentium Puccium.*] Fuit hic Florentinus, antea Julii II. ſupplicum libellorum magiſter. Guicciard. lib. XI. Hiſt. Ital. poſtea a Leone X. Cardinalis, propter virtutem, aetatis honorem & egregiam in primis fidem, ut dicit Jovius lib. III. vita Leon. X. creatus, ejus datarius fuit & ſummus Poenitentiarius. Cum autem eſſet egregius pecuniae conquirendae artifex, & Leo X. munificentiſſimus, artis donandi apprime gnarus, ſed adquirendi per ſe haud calleret, Laurentii hujus, qui praedicare ſolebat, nullum omnino quaeſtum Pontificibus illicitum eſſe, uti tradit Jovius lib. IV. vita Leon. X. in hoc genere hominis ſolertiſſimi, opera uſus dicitur a Polano I. Hiſt. Conc. Trident. pag. I. & XXV. vid. & Thuan. lib. I. Hiſt. ad annum MDXV. Epitaphium ipſi poſitum exhibet Chaſtaigner. Nomenclat. Cardinal. pag. CXIII.

2 *Franciscum Armellinum.*] Hic Mediceae familiae titulo honeſtatus a Leone X. & ab eo purpura donatus fuit. vid. addition. ad Ciaccon. in Leone X. Hunc Clericum Camerae Apoſtolicae, nondum prima tonſura Clericali initiatum, a Leone X. factum Cardinalem initio menſis Julii anni MDXVII. & ſequenti tantum menſe Decembri ordinatum clericum, adducto teſte omni exceptione majore *Paride de Graſſis* Epiſcopo Piſaurenſi, docet Baluzius in notis ad vit. Papar. Avenionenſ. tom. I, pag. DCLXV.

rudi artificio, ut vel a mediocri interprete, obſervatis & deprehenſis characteribus, facile legerentur. Has itaque Julius confeſtim Romam transmittit ad Ludovicum, Regulum Sueſſanum, Caeſaris legatum, eumque diſerte edocet, quanto cum periculo Soderinus Pontificiis conſiliis & graviſſimarum rerum diſceptationibus adhiberetur: eum enim eſſe hominem eximiis ſimulationibus, ambiguaeque fidei artibus valde inſtructum, & ſuper haec infenſum Caeſari, & Gallorum amiciſſimum; propterea ſe ab eo occultis inſidiis & atrociſſimis criminationibus peti apud Pontificem, qui a ſancta illa naturae ſimplicitate nullas de magnis rebus ſuſpiciones ſuperfluas eſſe duceret, ut illo falſa perſuaſione depravato, ipſe concideret, circumventusque & diſtractus Florentia pelleretur, pateretque Soderinis Respublica Florentina, & tota ſimul Hetruria vetere ſuo ſtudio Gallico nomini jungeretur. His conſpectis literis Hadrianus, quamquam ab initio confictas crederet, incredibile odium adverſus Soderinum concepit, ita ut id tamen egregie comprimeret, donec Julius ad convincendum Soderinum ab Hetruria vocaretur. Is non multo poſt intravit urbem a Flaminia triumphali ferme pompa, incredibili ordinum omnium favore exceptus; nam veteres etiam hoſtes cum eo in gratiam redierant, adeo ut [1] *Horatius Baleonus* cujus pater recenti Leonis ſeveritate conciderat, & *Fabius Petruccius*, [2] cujus frater Cardinalis in arce Hadriani fuerat necatus, itemque ipſe *Franciscus Maria Feltrius*, bis Urbino Mediceis armis ejectus, a ponte Milvio adventanti obviam honoris cauſa prodirent. Nec multo poſt a Pontifice Soderinus & Julius in Vaticanum evocantur; nam de induſtria erat evulgatum, Pontificem enixe pieque daturum operam, ut duo maximi Cardinales, qui affinitate eſſent conjuncti, ſe pacificatore atque arbitro, cognitis & ſublatis ſimultatum cauſis, ad amicitiam redirent. Verum ubi eos in penitiorem Borgiae turris teſtudinem abduxit, & illi inter ſe parum familiari vultu colloquerentur, Pontifex, ad Soderinum converſus, interrogavit, an umquam in Galliam per arbitrarias notas ſcripſiſſet? prolatisque literis ita convicit, ut potinus lethali pallore confuſus, cuncta, dejectis ad terram oculis, fateretur. Nec mora, cum interruptis verbis defenſionem pararet, & ſupplex, ne in carcerem duceretur, oblatis vadibus, locum in Vaticano ad dicendam cauſam ſibi dari poſtularet, a Praetorii Praefecto [3] in arcem eſt deductus.

CAP. XV.

1 *Horatius Baleonus.*] Vid. ſupr. cap. VIII & addit. ad Ciacc. in Leone X. Guicciard. lib. XIV. Hiſt. Ital.

2 *Cujus frater.*] Vid. ſupr. cap. V.

3 *In arcem eſt deductus.*] Pretioſa ejus ſuppellectile in fiſcum devoluta, licet Guicciard. lib. XV. ut iniquum ejus animum in Hadrianum iterum oſtenderet, hanc ab Hadriano occupatam dicat. Ferronus autem lib. VII. Rer. Gallic. qui ubique Hadrianum noſtrum, quaſi iniquiorem Franciſco Regi Galliae deſcribit, dicit Hadrianum eum in vincula conjeciſſe *Gallicarum partium invidia.* Poſtea autem Hadriano mortuo, Cardinalium omni-

um

## CAPUT XV.

*Hadrianus suspicacior evadit. Italos variis de caussis offendit. Jovium sacerdotio ornat. Poëtas odit, & avarus ab Italis habetur. Marius Placentinus eum occidere tentat, sed frustra.*

Id factum Gallicarum partium animos fregit, auxitque mirum in modum authoritatem Pontifici, qui ab aetate, urbanarumque rerum inscitia, & quadam naturae lenitate, cum in consilio perplexus & timidus, tum in agendo maxime lentus, & parum efficax esse credebatur. Coeperat enim Hadrianus arcana rerum *Soderino* liberali fiducia communicare, & magna ex parte consiliis ejus regi; nam is erat aetate, atque oris habitu gravis, ingenio & facundia insignis, cultiorum etiam literarum, humani divinique juris scientia perornatus: quibus virtutum umbraculis sicuti subtilissimas artes incerti & parum sinceri animi peregregie contegebat, ita Hadrianum, nihil ultra perscrutantem, facile deceperat. Ob id Pontifex, neminem fallere solitus, iniquissime ferebat se ab eo fuisse deceptum, qui lenocinio quodam bonarum artium tam ingrate, quam impie, fidem fefellisset. His de causis aliquanto suspicacior, & Senatui nihilo familiarior erat effectus; adeo ut Cardinalibus, tamquam factiosis & parum fidelibus, de belli pacisque negotiis nihil omnino communicandum existimaret. Proinde [1] *Bernardino Carvajal*, & [2] *Nicolao Flisco* Cardinalibus, respondere non est veritus, nemini, vel Cardinali, se temere credere, quod cum periculo Reipublicae credendum foret, cum illi forte quererentur, quod in consilium Cardinales, superiorum Pontificum more, nequaquam adhiberet, quando tot graves peritique rerum Senatores, ipsi novo externoque homini allevando curas, & in partes laboris impigre succedendo, in regenda Republica singulari adjumento futuri viderentur. *Johannes* quoque *Ruffus* Antistes Consentinus, qui usu rerum insignique prudentia plurimum valebat, ab intimis arcanorum cubiculis pene rejectus fuerat, quoniam Foro Livii in Aemilia, quod illi natale solum, 3 Gibellini, quibus impensius favisset, complures Guelphos nocturna irru-

um voto e carcere liberatus, cum aliis in conclave ad novi Pontificis electionem inclusus, Clementi VII. aegre suffragium dedit, a quo in gratiam receptus, obiit anno MDXXIV. anno aetatis LXX. vid. addit. ad Ciaccon. in Alexandr. VI.

1 *Bernardino Carvajal.*] De eo egimus ad Moring. cap. IX.

2 *Nicolao Flisco.*] Fuit hic Genuensis, ab Alexandro VI. Cardinalis creatus: de quo vid. Ciaccon. in Alexandr. VI.

3 *Gibellini.*] Famosissimae fuerunt hae duae factiones *Guelphorum* & *Gibellinorum*, quae per aliquot secula Italiam turbarunt, *Guelphis* Papae, *Gibellinis* Imperatori adhaerentibus, quarum ori-

irruptione trucidaſſent. Oderat enim Pontifex factioſos homines, nec eos publicarum rerum conſiliis adhibendos putabat, qui privati ſtudii rationes nequaquam ſincera judicii libertate reſpicerent. Hinc fiebat, ut Pontifex durior & hebetior in adminiſtranda Republica diceretur. Nam cum in valde prudentibus, & maximarum rerum peritis, variis de cauſis nullam omnino, vel exiguam fidem reponendam eſſe judicaret, neceſſe erat, ut unis maxime Belgis, quibus praeclara fides abunde ſupereſſet, in arduis conſiliis uteretur, quamquam in ejus majorem vim rationis atque ſolertiae in expendendis, abſolvendisque negotiis, deſideraret. Hinc illud perfacetum, & plenum ingenuae libertatis [1] *Hieronymi Balbi* dictum emanavit, cum legatus Romam miſſus a Ferdinando Caeſaris fratre, furentibus Lutheranis, atque imminentibus Turcis, a Pontifice maturam operam imploraret, & ille contra perplexius, & conſideratius deliberata retractaret, pleno Senatu: *Fabius Maximus, ſanctiſſime Pater*, inquit, *rem Romanam cunctando reſtituit, Tu vero pariter cunctando rem Romanam, ſimulque Europam perdere contendis*. Quo orationis exordio adeo Pontifex vultu commotus eſt, ut plerique Senatores vix riſum cohibere potuerint; offenderat enim primo adventu in univerſum Cardinales omnes; nam praemia, quae illi Triumvirali Magiſtratu, ipſo abſente, benemeritis de republica tribuiſſent, ita, antiquatis decretis, irrita fecerat, ut officia aliquot, vel graviſſimis de cauſis dono data, repeteret: dicebat enim ſibi inopi poſtquam aerarium penitus eſſet inane, ea pecunia opus eſſe ad tuendam Pontificii nominis dignitatem, nec debuiſſe Cardinales, alioquin rei ſuae minime profuſos, liberalitatis laudem ex aliena pecunia quaeritare. Eodem etiam conſilio venalia officia his omnibus protinus ademit, quae ſingulari benignitate Leo Pontifex literatis viris & praecellentibus ingeniis virtutis cauſa praebuiſſet, ita tamen, ut ejus inuſitatae acerbitatis invidiam humaniſſimis verbis

go diverſa traditur ab auctoribus. Quidam enim ea nomina orta dicunt in obſidione Winsbergae, quam, cum antea *Guelpho* vel *Welpho*, frater Henrici Leonis Ducis Saxoniae, eam cepiſſet, Conradus III. Imperator obſedit & cepit. Quidam autem in caſtris dicunt fuiſſe duos Moriones, *Guelph* & *Gibelin* dictos, qui perſonam Papae & Imperatoris ſumentes, ludicram ſaepe pugnam committebant. Alii tradunt orta a clamore militum, cum Caeſariani clamarent *Wybeling*, Guelphones autem *Welph*. *Wybeling* autem dicitur fuiſſe caſtellum, ubi Conradus natus fuit, vel ut alii, Henricus ejus nepos, qui in iisdem caſtris erat cum imperio. vid. Chron. Hirſaug. ad ann. MCXL. Alii, ut Crantz. VIII. Saxon. VIII. dicta putant a Germanis fratribus, quorum *Guelph* Papae, *Gibel* Imperatori militabat; verum non addit Crantzius, quinam hi fratres fuerint. Platina, & Ciacconius eum ſecutus, in Gregorio IX. dicunt haec nomina apud Piſtorienſes primum audita fuiſſe, cum Cancellarii Panzaticos Gibellinos ab urbe ejeciſſent, cumque alteri factioni *Guelph*, alteri *Gibel*, fratres Teutonici, faverent. Reinkingius vero de Regimin. ſecul. & Eccl. I. claſſ. II. cap. VII. no. XIII. exiſtimat *Gibellinos* dictos, quod adhaeſerint *Domino de Gibello*; Frederici enim Barbaroſſae origo a Weiblingis erat. *Guelphos*, vero quaſi *Zelatores fidei*. vid. Barthol. tract. de Guelph. & Gibelin. ubi ergo tam varia tradunt auctores, origo celeberrimarum harum factionum incerta manet.

1 *Hieronymi Balbi.*] De eo vid. ad Moring. cap. XXIV.

*Comm*ſ

verbis deliniret, cum ea detrimenta ſe totidem ſacerdotiorum reditibus penſaturum polliceretur. Et certe nemini umquam laetius atque propenſius ſacerdotia conferre erat ſolitus, quam his, qui ab optimis ſtudiis commendationem aliquam meruiſſent. Me quoque, dimidia parte equeſtris officii protinus exutum, quam Leo Pontifex, hiſtoriam noſtrorum temporum ad ejus genium non iniucunde conſcribenti, dono dederat, [1] Comenſi ſacerdotio adeo ſtudioſe remuneratus eſt, ut *Scaramutiae Trivultio* Cardinali, vehementer pro alio impetrare contendenti, reſponderet, *Jovium omnino eo, quamquam tenui, ſacerdotio eſſe perornandum, quem audiviſſet omnibus diſciplinis liberaliter eruditum, & ſcriptorem annalium valde elegantem, nec tamen eſſe Poëtam, ut caeteri, qui cultiores literas ſectarentur.* [2] Suſpecta enim habebat Poëtarum ingenia, utpote qui minus ſincero animo de Chriſtiana religione ſentire, & damnata falſiſſimorum Deorum nomina ad veterum imitationem ſtudioſe celebrare dicerentur; ita ut aliquando plus mihi profuerit non attigiſſe Poëticam, quam in caeteris gravioribus ſtudiis perpetuo multorum annorum labore deſudaſſe. Graviſſime etiam tulerat ſe famoſis carminibus apud Pasquilli ſtatuam fuiſſe laceratum; ſed id poſtea civili animo tulit, cum didiciſſet, eam maledicendi licentiam obſcurorum hominum libertati atque nequitiae dari, ut cum inſignes viros impune carpſerint, fortunam ſuam ea vindictae voluptate conſolentur. Decreverat Hadrianus, uti Poëtis non obſcure ſubiratus, Pasquilli ſtatuam, quae erat in Parione, demo-

1 *Comenſi Sacerdotio.*] Hunc canonicatum Comenſis Eccleſiae ipſi dedit, ut honorificum in ejus hiſtoria locum pro munere hoc apud poſteros haberet, uti narrat ejus frater Benedictus Jovius Hiſt. Novoc. lib. II. in fine. verum quam egregie hoc praeſtitit, cum eum in pudorem Italiae electum, & ut rudem aulae depingat, & praecipuam culpam amiſſae Rhodi ei adſcribat, optime notavit reverendus pater Petrus Burmannus in praefat. tom. I. Theſ. Ital. pag. XI.

2 *Suſpecta enim habebat Poetarum ingenia.*] Dicitur Hadrianus nullum hominum genus magis odiſſe, quam Poëtas. vid Philipp. Caroli diſſert. de Criticis pag. XVIII. & Pierius Valerian. lib. II. de litterat. Infelicit pag. CCCLXXXII. Putabat enim omnia poëmata eſſe haeretica, & impios Poëtas, quia in antiquis exemplaribus canonum a Gratiano digeſtorum legerat decretum Gelaſii diſt. XV. in haec verba: *Venerabilis viri Sedulii Paſſchale opus, quod haereticis deſcripſit verſibus &c.* cum ibi *heroicis* legendum ſit. vid. Baluzius ad Gratian. d. diſt. XV. & Celeb. Broekhuz. ad Sanazar. III. ep. IV. Hinc oderat vir ſimpliciſſimus Poëtas, quos cum magno honore adfeciſſet deceſſor ejus Leo X. litteratorum & Poëtarum fautor egregius, & variis muneribus undique Romam arceſſiverat, quos enumeratos vide a Chaſtaneo Nomenclat: Cardinal. pag. CI. & ſeqq. Hadrianus eos non tantum non magni fecit, verum & beneficia, quibus eos honeſtaverat Leo, ademit. Sic *Andream Maronem,* celeberrimum ejus temporis Poëtam, de quo vid. Jovius Elog. doctor. viror. pag. LXXXVII. & Pierius Valerian. lib. II. de litterat. infelicit. pag. CCCXLVIII. edit. poſt. ſedibus, quas in Vaticano ipſi adſignaverat Leo, expulit. uti refert Octavio Roſſi Elog. Hiſtor. di Breſciane pag. CCCVIII. qui ideo Hadrianum noſtrum *ingratiſſimum Papam* vocat. Sic quoque *Fauſtum Sabeum*, Poëtam a Leone magni habitum, quem Leo in Brittanniam, Hiberniam &c. ad libros requirendos, quos populos Septentrionales olim Roma deportaſſe fama erat, miſerat, numquam voluit admittere Hadrianus, & eum per duos menſes in carcere habuit, ſub praetextu, quod luxurioſius viveret, aut, ut alii, propter carminum mordacitatem, & quod libellos famoſos fecerat contra Toccinum Morionem Hadriani.

demoliri, atque eam in Tyberim praecipitare; sed [1] *Ludovicus Suessanus* urbano salsoque ingenio id fieri debere pernegavit, subdens, *Pasquillum vel imo vado* [2] *ranarum more non esse taciturum.* Ad id vero Pontifex, *exuratur ergo*, inquit, *in calcem, ne ejus vestigii ulla omnino memoria supersit.* Tum rursus Suessanus, *recte*, inquit, *sed tam crudeliter concremato Poëtae clientes non deerunt, qui patroni cineres invidiosis carminibus prosequantur, & supplicii locum quotannis statuto solenni die concelebrent.* Quibus verborum lusibus Pontifex ab iracundia ad jocos, hilaritatemque sensus omnes lenissime revocavit. Caeterum quibus eximiis doctrinae & pietatis laudibus primo adventu omnibus gratus atque admirabilis evaserat, cum equitum S. Petri, & annonae praesidentium officia sublatis, aut dimidiatis reditibus deteriora reddidisset, multis ordinibus aulae & civitatis invisus esse coepit; nam plerique universam patrimoniorum substantiam, & totius vitae laborum atque industriae fructus, in officia contulerant, allecti scilicet ubertate proventus, cum pecuniae, sub fide publica Pontificibus creditae, supra decumam in annum liquidissime responderent, sed oppigneratis Provinciarum vectigalibus atque portoriis, tantae facultates minime supererant, ut debitae pecuniae tenore illo veteris instituti persolvi possent. Hinc fiebat, ut Pontifex contra naturam suam ab inopia tenacior, & illiberalior effectus, iniquitatis & avaritiae calumniam subiret, ne, uti ipse crebro dicere solebat, dum omnibus satisfacere contendit, omnibus demum decoquere cogeretur. Eo decreto exacerbatis Officialium animis, quando quisque se impotenter exutum bonis, & sub fide publica deceptum, gravi vociferatione quereretur, *Marius Placentinus* vir togatus, sacratique nominis, desperatis honestae vitae commodis, immane facinus confodiendi Pontificis vecordi animo concepit, ita ut, cum egressurum cubiculo aliquamdiu exspectavisset, sese demum eodem ferro transverberaret, sive impetu commotae bilis, sive atrocioris supplicii timore, quod rem communicasset, nec constituto in loco socius facinoris, uti crediderat, esset repertus. Ferunt Pontificem, eo casu verecunda consternatione perturbatum, saepius id omnino esse verissimum praedicasse, quod ab antiquis aucto-

driani. vid. Octavio Rossi pag. CCXLV.

1 *Ludovicus Suessanus.*] Qui eo tempore legatus Caesaris ad Romanam Curiam erat.

2 *Ranarum more.*] Paulo aliter narrat Gomecius lib. VII. de reb. gest. Franc. Ximen. ubi postquam narrasset, Hadrianum in Hispania degentem, admodum aegre tulisse, quod libellis famosis deridendus proponeretur, addit: *Quocirca minus admirationis habet, si Adrianus, postea Pontifex Maximus factus, Pasquini & Marphodii statuas, ubi famosi & ridiculi libelli in urbe adfigebantur, in Tyberim projici studiose curaverit, cui Suessanus Caroli legatus peropportuno sermone dixisse fertur: si in flumen projicerentur, ranas illiusmodi mala carmina esse cantaturas. quo dicto sic Pontificis conatus repressit, ut amplius de ea re actum non sit.* & Loys de Mayerne Turquet Histoire Generale d' Espagne livre XXVII. §. II.

Hierony-

auctoribus traderetur: *multum* scilicet *referre ad feliciorem fortunam, ad quae tempora alicujus vel praeclara virtus incidisset.* Aurea namque tempora Leonis, omnibus florentis pacis atque opulentiae commodis ad luxum beatique officii laetitiam affluentia, ita bella & fames, & pestilentia, tot per interregnum, Pontificisque absentis incommoda detrimentis illatis everterant, ut ex ea recentis status publici recordatione, cuncta mala, vel immerito, ad execrationem innocentissimi Pontificis verterentur.

## CAPUT XVI.

*Foedus contra Gallos percussum. Hadriani morbus & mors, qua laetati Itali, quia in animo habebat severissimis edictis eorum mores corrigere.*

Interea Franciscus Rex Gallorum, magnis undique coactis copiis, in Italiam transire constituit. Quibus rerum motibus exciti Caesariani Duces, operam enixe dederunt, ut confecta pace cum Venetis, ii etiam, qui plurimum auctoritate atque opibus valerent, in partes traherentur. In tractandis enim & exaequandis earum rerum conditionibus [1] *Hieronymus Adurnius* antea vehementissime laborarat, moriensque Venetiis cuncta facilius absolvenda [2] *Marino Caraciolo* reliquerat. Itaque inter Caesarem & Venetos [3] foedus solenne percussum est, nec moram Hadrianus attulit, uti oportebat, quominus Caesar omnibus Italiae viribus ad arcendos Gallos uteretur. Etenim postridie nonas Augusti, qui dies ab admirabili casu multae nivis festa memoria ad Mariae virginis templum in Exquiliis est insignis, sacra celebravit, foedusque prolixa oratione adversus Gallos est pronuntiatum, quo adscripti erant *Henricus* Brittanniae, & Pannoniae *Ludovicus*, & quicquid minorum Principum & liberarum civitatium in Italia erat, ipseque *Fredericus Gonzaga*, Regulus Mantuanus, Pontificis & Reipublicae Florentinae Imperator est declaratus, deditque epulum regio apparatu *Pompejus Columna* Cardinalis cunctis

1 *Hieronymus Adurnius.*] De eo vid. supra ad cap. x.

2 *Marino Caraciolo.*] *Marinus* hic *Caraciolus* fuit antea, scilicet ann. MDXVIII. Pontificis apud Caesarem legatus. vid. Erasm. Epist. CCCXLVII. & DCL. & anno MDXX. cum esset Nuncius Apostolicus Leonis X. cum Hieronymo Aleandro, petiit a Frederico Duce Saxoniae, ut lucubrationes Lutheri comburendas curaret, & ab eo supplicium sumeret, vel caperet, captumque retineret, aut Romano Pontifici transmitteret. vid. tom. II. oper. Luther. pag. m. CXV. & seqq. Hieronymo autem Adurnio mortuo, a Caesare legatus erat constitutus Venetiis, & postea a Paulo III. Cardinalis creatus. Guicciard. lib. XV. Hist. Ital.

3 *Foedus solenne.*] Vid. ad Moring. cap. XXV.

*Repulsis*

cunctis Principum Legatis & Senatoribus, cum Pontifex graviore sacrorum mora ut in maximo aestu fatigatus, sese in proximum Divi Martini templum, ad quietioris prandii commoditatem, opportune recepisset, ibi levem ab initio, sed mox lethalem contraxit morbum; ita ut sensim valesceret febris, adulatione praesertim Medicorum, qui nec exusto intus apprimeque siticuloso, & de nocturna jactatione conquerenti, venas tangebant, ne scilicet in perniciosam propinquae mortis suspicionem dubio metu erectum senem adducerent: itaque non diu deceptus, ubi hora fatalis instabat, Senatum advocavit, commendataque Republica, pileo, quem ipse detulerat, *Guliermum Enchavordium* gratissimo animo decoravit, adjuvantibus praesertim *Julio Medice*, & *Ludovico Suessano*, quamvis plerique Cardinales, uti in ipso mortis limine despecto Pontifice, in suffragium ituri minime viderentur. Obiit Idibus Septembris exacto anno, ex quo ab Hispania appulerat, & eo forte die, quo Gallicus exercitus *Bonniveto* Duce, [1] repulsis Caesarianis, Ticinum amnem transiverat, ita ut maximum negotium successori reliquisse diceretur. Morte ejus plerique, ac praesertim veteris aulae sectatores, effusissime sunt laetati, & secundum eos nonnulli Romanorum, qui detrimenta rerum suarum senserant; nam quum ignotae hominum facies, Vaticano a Belgis atque Hispanis occupato, aditum petentibus occurrerent, longum atque operosum erat, familiaritate difficili novas amicitias comparare; ita ut quisque novo statim principatu, eam luctuosi & pestilentis seculi fortunam praeverti posse existimaret, quasi ea incommoda nequaquam malignitate temporum, quae tot calamitatibus essent notata, sed quadam inexperti durique Pontificis acerbitate provenissent. Super haec manaverat in vulgus fama haud incerto auctore, Pontificem novo summae severitatis edicto, publicatis super id bullatis solennibus codicillis, dissolutae civitatis mores esse correcturum; ita ut atroci poena tria praesertim hominum genera persequeretur: eos scilicet ante omnes, qui ad Christi fidem reversi, impia animorum devotione, Judaicae superstitionis ritus observarent, quorum, maxime pecuniosorum, ingens turba judiciorum metu ab Hispaniis delapsa, in Urbem, tanquam in portum certissimae salutis, confluxerat. His enim Hadrianus vetere consuetudine plurimum erat infestus, utpote qui in Hispania ipsis inquirendis damnandisque cum insigni magistratus honore praefuisset. Sub id genus ii quoque veniebant, qui superis impuro scelestoque ore maledicerent, & contemptim aut jo-culariter de religione Christiana loquerentur, & ii etiam, qui minime dubita-

1 *Repulsis.*] Vid. Guicciard. lib. xv. Hist. Ital.

Petrus

dubitarent profana negotiatione ſacerdotia venditare. Secundo loco erant foeneratores atque Menſarii, qui egentium fortunas acerbiſſimis uſuris everterent, & annonam impotenti monopolio & diris praeoccupationibus impudentiſſime flagellarent. Ultimo inquirere punireque decreverat juventutis corruptores; ejus enim criminis non omnino falſa ſuſpicione urbs ipſa, conniventibus legibus, infecta credebatur. Qua inopinata & gravi ſeveriſſimae legis mentione maculoſos quosdam cum aulae, tum civitatis, veluti deſperata publica ſecuritate, terruerat adeo, ut non defuerint petulantiſſimi juvenes, qui *Joanni Antracino*, Pontificis Medico, poſtes feſta fronde per intempeſtivam noctem protinus exornarent, cum titulo uncialibus literis inſcripto in haec verba: *Liberatori patriae S. P. Q. R.* ſcilicet, ut eo joculari elogio non Medicus, uti veneficus, aut imperitus, ſed majeſtas ipſa ſanctiſſimi Pontificis, qui ſalutari cenſura, uti dignum erat Principe Chriſtiano, urbem atque aulam probroſis vitiis repurgare cogitaſſet, non obſcure carperetur. Enimvero ea eſt natura populorum, ut quum diſſolutae vitae licentia gaudeant, praeſentis ſemper Principis mores deteſtentur, ſuperiorum vitam, commemoratis virtutibus, in coelum ferant; ejus vero, qui defuncto ſit ſucceſſurus, mores & conſilia, uti plena prudentiae, liberalitatis atque juſtitiae, futura pronuntient: nam, ut plerumque fit, ſpes hominum eventis rerumque ſucceſſibus alebantur, quando ſibi quisque fallaciſſima ſaepe ratione mutato ſtatim Principe meliora tempora deſtinaret, Laudabant in doctiſſimo Pontifice & longe graviſſimo ſanctimoniam, illiberalitatem non probabant, oderant ſeveritatem, quam ubi, ſicuti ſaepe erat ſolitus, lenitate remiſiſſet, eam demum clementiae laudem calumniis avaritiae, involvebant, quaſi ſontibus & convictis nequaquam naturae felicitate, ſed parum honeſta cupiditate praeſentis quaeſtus omnino parceretur, nec ſaeviſſima temporum conditione valde egentis, & multis ſimul difficultatibus circumventi, Pontificis neceſſitatem excuſarent; ita ut tum civitatis ſtatus miſere deplorandus eſſe videretur, quum quisque fere inſignium atque infimorum ordinum recti atque honeſti penitus oblitus, cuncta ſibi in ſumma vitae libertate licere vellet, nec ullum omnino corrigendis moribus cenſorem pateretur, etiam vel ſola pecunia digna ſupplicio crimina vindicantem: ſcilicet, ut, repudiatis Chriſtianae medicinae praeſidiis, affecti corruptique eo inſaniae proveheremur, ut indignantibus demum Diis atque hominibus, in ipſa, quae imminebat, horribili cadentis Urbis ruina, immanibus Barbaris corpora atque animos ad omnia exempla crudelitatis atque ignominiae praeberemus. Acciverat Hadrianus paulo ante in Urbem, in Vaticanasque aedes cupide receperat [1] *Petrum Caraffam*

Archiepiscopum Theatinum, & *Marcellum Cajetanum*, [2] veteris Christianae disciplinae moribus venerabiles, & in omni graviore doctrina longe lectissimos, ut eorum consilio in censura morum atque administranda ea parte Reipublicae, quae sacra respiceret, omnibus horis uteretur; sed mors ejus aliquanto maturior coeptis consiliis exoptatum ad publicam salutem successum eripuit.

## CAPUT XVII.

*Hadriani vivendi ratio & indoles. Monumentum ipsi exstructum.*

Ferunt Hadrianum, alioquin vegetae viridisque senectae, contraxisse morbum assiduo cerevisiae potu, quae germanica consuetudine ex lupulis hordeoque decoctis exprimitur; nam per se cibi parcissimus erat, & in tuenda valetudine apprime diligens & morosus, tanta horarum definitione, ut denunciante Architriclino paratas esse epulas, vel maximarum rerum colloquia protinus abrumperet. In mensa autem ad remittendum animum saepissime delectari solebat *Toccino* Sannione salsissimo, quem ab Hispania secum adduxerat, quo etiam pro speculatore urbanarum rerum utebatur. Ornamenta insignis picturae, & statuarum priscae artis, nequaquam magni fecit, adeo ut *Vianesio* Bononiensium legato commendante statuam Laocoontis, quam in Belvederii viridariis Julius ingenti pretio coemptam ad loci dignitatem collocarat, aversis statim oculis tanquam impiae gentis simulacra vituperaret. [3] Erga propinquos usque ad notam naturae subragrestis, durus, & illiberalis fuit, ita ut patruelis filium Senae Ethruscae in gymnasio literis operam navantem, quod Romam nequaquam vocatus intermissis studiis repente venisset, confestim meritorio equo impositum remiserit, levitatem animi identidem objectans, & severe admonens, ut ab se [4] molestiae & temperantiae exemplum opportune desumeret. Alios quoque nec remoto quidem affini-

1 *Petrum Caraffam.*] Qui postea Pontifex electus, *Paulus* IV. dictus fuit, vir severae vitae, & Lutheranis infensissimus.

2 *Veteris Christianae &c.*] Hos duos Polanus lib. I. Hist. Conc. Trident. pag. XXIII. vocat *homines probitate & morum integritate spectabiles, & rerum ad Ecclesiasticam dignitatem spectantium admodum intelligentes.* Evocavit quoque in Italiam Hadrianus *Albertum Pighium*, Theologiae Doctorem eo tempore celebrem, ut patet ex egregio monumento ejus sepulchrali, quod adhuc hodie apud nos in templo S. Johannis visitur, cujus elogium conscripsit Miraeus Elog. Belgic. class. III. pag. XXXIX.

3 *Erga propinquos.*] Vid. ad Moring. cap. XXIII.

4 *Molestiae.*] Forte legendum *modestiae.*

*Pedibus*

affinitatis gradu necessarios, quum spe celsioris fortunae e Germania [1] pedibus Romam venissent, mirum in modum increpavit, donatosque singulis sagis laneis & frugi viatico, pedibus similiter in patriam redire jussit: quarum rerum testimonio superiorum Pontificum profusam liberalitatem erga propinquos, uti gravem perniciosamque Reipublicae, detestari erat solitus, quando eo praesertim errore cuncta sensim labefactata, se demum Pontifice ruitura viderentur. Amicis autem & familiaribus gratissimo animo sacerdotia concessit, & locupletare bonos & studiosos moderata stabilique liberalitate cupivit; honoreque pilei coccinei [2] *Theodoricum Hetium*, quum primum novi Cardinales in Senatum legerentur, exornandum destinarat. Praecessere mortem ejus haud obscura prodigia: nam Borgiae turris tectum, plumbea fastigii testudine insigne, sub qua ipse habitabat, repente conflagravit. Retulerat etiam inter Divos [3] *Bennonem* virum sanctissimum, & admirandis operibus apud Germanos insignem, & *Antoninum* Antistitem Florentinum, singulari pietate conspicuum. Namque antea saepius fuerat annotatum, Pontifices non diu supervixisse, postquam aliquem in Divorum numerum retulissent, uti Leone mortuo statim observarant, a quo *Franciscus a Paula* ingenti apparatu relatus erat. Conditus est Hadrianus temporario monumento in aede Divi Petri juxta *Pios*, Picolhomineae familiae Pontifices, cum hoc titulo:

HADRIANUS SEXTUS HIC SITUS
EST, QUI NIHIL SIBI INFELICIUS
IN VITA DUXIT, QUAM QUOD
IMPERARET.

Caeterum *Gulielmus Enchavordius* Cardinalis egregia gratissimi animi liberalitate non multo post magnifici operis sepulchrum extruxit in templo Deiparae Virginis Germanorum ad Circum Flaminium, in quo marmoreis pluribus signis clarissimarum virtutum effigies erudita arte repraesentavit, quarum auspiciis Hadrianus humanae fortunae fastigium immortali cum laude esset adeptus, & demum moriens certissimum inter coelites numquam interiturae felicitatis locum optimorum omnium judicio meruisset.

S 2 Haec

1 *Pedibus Romam.*] Vid. Doroth. Asciani Montes pietatis Romanensis detecti pag. CCLIX. Cum enim cognati ejus ex Belgio Romam venissent, ille iratus eos remisit, & singulis simplicem ex lana vestem, & tantum pecuniae, quantum ad iter remetiendum satis erat, largiri jussit, & uni eorum, qui paupertate compulsus pedes venerat, non plus pecuniae dare voluit, nisi quantum ad pedestrem reditum sufficere existimavit.

2 *Theodoricum Hetium.*] Vid. ad Moring. cap. XXV. qui tradit quod illud factum fuisset, *si modo viro illi optimo ad dignitatem eam tuendam aliunde satis prospectum fuisset.*

3 *Bennonem.*] Vid. ad Moring. cap. XXIV.

Haec carmina sepulchro fuerunt affixa:

*Quam potes merito, optimoque jure,*
*Inter Pontifices Pios jacere,*
*Maximae pietatis Hadriane.*
*Insignis pietas tua, Hadriane,*
*Viventi tibi profuit, decusque*
*Aurei diadematis paravit,*
*Jure id me hercule, at aequius, tuaeque*
*Certius pietatis hoc trophaeum est,*
*Defunctus quod honoribus tot, inter*
*Duos contigerit PIOS jacere.*

F I N I S.

# [1] CONCLAVE HADRIANI SEXTI.

Quantum artis, quantum astutiae, quantum fuci, etiam in eligendis Romanorum Pontificibus adhibeatur, omnes norunt, qui sedis Papalis arcana penitius paulo introspexerunt. Separatim saepius haec post papalem electionem fuerunt promulgata in Conclavis Historia, ita ut Historiam Conclavium praecipuorum Pontificum ex seculis recentioribus habeamus. Maxime vero conjunctim prodierunt Historiae Conclavis Clementis VI, & successorum usque ad Alexandrum VII, quae Italico primum sermone editae, post partim in Gallicum atque Latinum fuerunt translatae, praeter alias separatim editas, de quibus plenius Sagittarius Introduct. ad Hist. Eccles. cap. XXVI. §. XCIII. Auctores, qui talia collegerunt, licet non omnes artes describant, nec facile cognitas, multa tamen produnt exempla perversae politicae. Marville Melange tom. II. p. CCCXXIX. Eadem in hac ipsa electionis Hadriani VI historia occurrit. Magna enim prudentia opus erat, cum sub initium reformationis, mortuo Leone X. novus esset eligendus Pontifex, qui stabilire magis posset primatum Papae jam vilescentem, firmare coronam triplicem jam titubantem. Conclavis istius Historiam exhibemus, quae in Italica quidem habetur collectione, sed in quibusdam diversa; nostra tamen in variis est auctior. Exemplar nostrum ab Italo quodam amplis ductibus, literis longiusculis, prout alias solent, erat exaratum, idque nobiscum a celeberrimo viro Wilhelmo Ernesto Tentzelio, Consiliario & Historico Saxonico, benevole communicatum. Ejusdem beneficio debemus nummum, hujus Conclavis Historiae convenientem, eundemque

1 *Conclave.*] Conclavis Hadriani Historiam ediderunt & Struvius Act. Litterar. Fasciculo tertio, & Papenbrochius in Propylaeo ad Acta SS. Maji. Praemisit Struvius brevem dissertationem de vita Hadriani, qua facile carere possemus, cum omnia fere ex Jovio desumpserit, & ideo diu dubitavimus, an integram ejus dissertationem hic locum daremus; quia vero, absoluta conclavis Historia, nummum rarissimum in honorem Hadriani nostri cusum explicat, nos integram hic inserere voluimus. Contulimus quoque historiam conclavis Hadriani quam exhibet Struvius, cum ea, quam producit Papebrochius, & variantes lectiones adnotavimus.

que rariſſimum; quod ex eo facile patet, quod neque apud Claudium Molinetum, nec apud Philippum Bonnanum reperiatur. Antequam vero ipſum nummum adgrediamur, de ipſo Hadriano VI. ejusdemque Conclavi prius erit dicendum. Natus hic erat Ultrajecti ad Rhenum MCCCCLIX. patre Florentio Boyens, naupego, matre Gertruda, civibus Trajectinis, probis & religioſis. Puer admodum ob ingenii, quod in eo erat facultatem, partim Trajecti, partim Swollae, ea, quae ad linquae latinae rudimenta pertinent, feliciter abſolvit. Indeque Lovanium ablegatus, ſed cum parentibus curta eſſet ſuppellex, in Paedagogia Porcenſi una cum aliis gratis educabatur. Gabriel Naudaeus in pentade quaeſt. Jatrophilol. p. XCI. auctor eſt, eum non ſecus ac Euclidem Megaris, & Auguſtinum Steuchum Eugubinum, inter luctandum cum ſtudiis & anguſtioris vitae miſeriis, ſaepius viſum fuiſſe ad ellychnios noctu in templis aut compitis collucentes, legendi deſiderio acceſſiſſe. In ſtudio Philoſophiae proficiebat plurimum, eloquentiae tamen cultioris flores contemnere erat ſolitus. Jovius in vita Hadriani p. CCXXIII. Pariterque in Theologia Collegii S. Spiritus alumnus, caeteris facile palmam praeripuit, donatus pileo laureaque Doctorali anno CIↃCCCCXCI. Die XXI. Junii, Margaretha, Caroli Audacis, Burgundiae ac Brabantiae Ducis vidua, impenſas ſuppeditante. Nec multo poſt Canonicus ad D. Petri, eoque titulo Theologiae Profeſſor ob inſignem ſcientiam, animique moderationem, communibus Canonicorum ſuffragiis pronunciatus, poſtea vero Decanus S. Petri, & Vice-Cancellarius factus fuit; vocatus a Maximiliano I. anno MDVII. ut inſtrueret nepotem Carolum Archiducem, dum ſeptennem, licet non ita proficeret in latina lingua, quod morum ipſius Praefecto potiſſimum tribuendum. Miſſus poſtea legatus in Hiſpaniam ad Ferdinandum Regem, qua legatione probe fuit defunctus, atque Episcopus factus Dertuſenſis ab eodem Ferdinando. Hoc autem mortuo, una cum Ximenio Cardinale regimen geſſit, & poſtquam Carolus, Hiſpania relicta, ad capeſſendam coronam Imperialem in Germaniam iret, Hadrianus cum imperio toti Hiſpaniae praeficiebatur. Jovius in vita Hadr. p. CXX. edit. Florent. tanta cum dignitate, ut Caeſar recuſantem, & praeoptantem ſequi humaniſſimis praecibus, ut manere vellet, exorare cogeretur, quando, Rege abſente, in Hiſpania praeſide opus foret praeclarae dignitatis & famae, qui populos nequaquam adhuc parendi obſequio confirmatos, omnibus moderationis atque juſtitiae exemplis in officio contineret. Multa incommoda experiebatur, ſeditiones Hiſpanorum, invaſionem Navarrae per Gallos, quae tamen reducta fuit, antequam eligeretur Papa. Cardinalem ipſum fecerat Leo X.

anno

anno MDXVII. poſt cujus mortem, auctoritate Caroli V. & praecipue Julii Medicaei artibus, ipſe eligebatur, quod tamen populo Romano admodum diſplicebat, eo quod peregrinus eſſet, ita ut, cum Cardinales patefacto conclavi domum redirent, paſſim maledictis inceſſerentur. Jovius p. CXXXI. Electus igitur IX. Januarii MDXXII. ex Catalonia ſolvens Romam pervenit die XXIX. Auguſti; verum papalem ſedem per annum tantum poſſedit, mortuus IV. Septembris MDXXIII. Et quidem Jovius teſtatur, mortem illum ſibi contraxiſſe ex adſiduo cereviſiae potu. Epitaphium, in Eccleſia S. Petri ipſi in monumento temporario poſitum, *Adrianus* VI. *hic ſitus eſt*, *qui nihil ſibi infelicius in vita duxit*, *quam quod imperaret*, ſatis teſtatur, ipſum parum hac dignitate fuiſſe contentum. Quare etiam ipſe dixit, ſibi fuiſſe jucundius Lovanii gymnaſium cum ſtudiorum laude moderari, quam Romae in Pontificia ſede Hierarchiam Pontificiam adminiſtrare. Poſtea Guilielmus Enchavordius, Cardinalis ab ipſo creatus, non multo poſt magnifici operis ſepulchrum extruxit in templo Deiparae virginis, ubi inter Pium III. & IV fuit ſepultus. Solus quotidie locum Vaticani inacceſſum adiiſſe dicitur, ſed compertum fuiſſe poſtea, teſtatur Battus apud Wolfium lect. Memor. tom. II. pag. CXCII. illic mulierem forma egregia clam habuiſſe, cujus amoris cauſſa eo tam frequenter itaſſe, ut ejus amplexu frueretur. Datum eſt ipſi inſuper hoc crimini, quod puerorum amoribus delectaretur, quia inter caeteros miniſtros nonnullos tenellae aetatis & eximiae formae haberet. Contra haſce Batti injurias tamen illum defendit in vita Adriani Gerhardus Moringus. Bayle *Dictionaire Hiſtorique*, ubi etiam vitam ejus late recenſet. Singularia ſunt, quae de ipſo narrat Jovius in vita p. CXLIX. *decreverat*, ait, *Poëtis non obſcure ſubiratus*, *Paſquilli ſtatuam*, *quae erat in Paſſione*, *demoliri*, *atque eam in Tiberim praecipitare*, *ſed Ludovicus Sueſſanus urbano ſalſoque ingenio id fieri debere pernegavit*, *ſubdens Paſquillum vel in imo vado ranarum more non eſſe taciturum: ad id vero Pontifex*, *exuratur ergo*, *inquit in calcem*, *ne ejus veſtigii ulla omnino memoria ſuperſit: Tum rurſus Sueſſanus*, *recte*, *inquit*, *ſed tam crudeliter concremato Poëtae clientes non deerunt*, *qui patroni cineres invidioſis carminibus proſequantur*, *& ſupplicii locum quotannis ſtatuto ſolenni die concelebrent.* Haec autem carmina ſepulchro ipſius fuerunt affixa:

*Quam potes merito*, *optimoque jure*,
*Inter pontifices Pios jacere*,
*Maximae pietatis Hadriane.*
*Inſignis pietas tua*, *Hadriane*,

*Viventi*

*Viventi Tibi profuit, decusque*
*Aurei diadematis paravit.*
*Jure id mehercule, at aequius, tuaeque*
*Certius pietatis hoc trophaeum est,*
*Defunctus quod honoribus tot, inter*
*Duos contigerit Pios jacere.*

Statura fuit proceriori, corpore neque obeso plus satis, neque gracili, fronte aliquantum depressa, oculis lucidis lactisque, naso nonnihil adunco, aliisque corporis dotibus praeditus. Vitam illius fusius scripserunt Paulus Jovius, Onuphrius Panvinius, Gerardus Moringus, in Bibliotheca Belgica Desselius, in Dictionario Baelius. Elogium Hadriano scripsit Aubertus Miraeus, & J. Jacobus Boissardus. Orationem hortatoriam vehementem ad eundem, ut acceleraret iter Romam, scripsit Cyprianus Benetus. Itinerarium ejus ex Hispania Romam confecit Blasius Ortizius ex domestcis Hadriani. De Adventu ejus ad urbem librum conscripsit Conradus Vecerius. Hieronymi Nigri epistola de virtutibus Hadriani ad M. Antonium Michaelium extat parte prima litterarum Principum. In funere Pontificis Romae in Cardinalium consessu anno MDXXIII. orationem habuit Conradus Vecerius, qui inter Papae clientes erat.

# CONCLAVE
# HADRIANI SEXTI.

Romae die Dominica prima Decembris nocte sequenti obiit Leo X. MDXXI. Pontificatus sui anno IX. Cardinales praesentes erant:

## EPISCOPI.

Bernardinus Carvajal, Ostiensis tt. Sanctae Crucis Hispanus.
Nicolaus Fliscus, Sabinen. Genuen.
Alexander Jannesius, Tusculanus Romanus.
Antonius de Monte, Albanen. Aretinus.

Petrus

## PRESBYTERI.

Petrus de Accoltis, tt. Sancti Eusebii, Aretinus.
Achillis S. Mariae in Transtyberim de Grassis, Bononien.
Laurentius Puccius, SS. IV. Coronatorum Florentinus, major Poenitentiarius.
Julius Medices, S. Lauren. in Damaso Vicecancell. Florentinus.
Joannes Piccolomineus, S. Balbinae, Senen.
Joannes Dominicus de Cuppis, S. Jo. ante Portam latinam, Romanus.
Laurentius Campeggius, S. Anastasiae, Bononien.
Raphael Petruccius, S. Susannae, Senen.
Andreas de Valle, S. Prischae, Romanus.
Johannes Batta Pallavicinus, S. Apolinaris, Januen.
Scaramuccius Trivultius, S. Cyriaci, Mediolan.
Pompejus Columna, XII. Apostolorum, Romanus.
Johannes Batta Dominicus Jacobaccius, S. Bart. in Insula, Romanus.
Ferdinandus Ponzettus, S. Pancratii, Neapolitanus.
Silvius Passerinus, S. Laurentii in lucina, Cortonen.
Franciscus Armellinus, S. Calixti, Perusinus. S. R. E. Camerarius.
G. Raymundus, S. Marcelli, Hispanus.
Thomas de Vio Ord. Praedicator. S. Sixti, Cajetanus.
Aegidius Ordinis Heremitani, S. Mathei, Viterbien.
Christophorus Forolivien. S. Mariae in Araceli, Franciscanus.

## DIACONI.

Marcus Cornelius, S. Mariae in via lata, Venetus.
Innocentius Cibo, S. Mariae in Dnica, Januen.
Franciottus Ursinus, S. Eustachii, Romanus.
Alexander Caesarinus, SS. Sergi & Bacchi, Romanus.
Paulus Cesius, S. Eustachii, Romanus.
Joannes Salviatus, Florentinus, SS. Cosmae & Damiani.
Ercules Rangonus S. Agatae, Mutinen.
Nicolaus Rodulfus, S. Viti, Florentinus.
Angelus Trivultius, S. Adriani, Mediolan.
Franciscus Pisanus, S. Mariae in Porticus, Venetus.

## CARDINALES ABSENTES.

Dominicus Grimanus, Episcopus Portuen. Venetus.

Franciscus Soderinus Praeſtin Volterranus, Florentinus.
Franciscus Guillermus, S. Praeſedis de Au, Gallus.
Matheus S. Potentianae Sedunen. Helvetius.
Sigismundus Gonzaga, S. Mariae novae, Mantuanus.
Thomas S. Caeciliae, Eboracenſ. Anglus.
Bonifacius Ipporegien.
Albertus Maguntinus.
Adrianus Florentinus SS. Joannis & Pauli, Dertuſen.
Ludovicus Borbonius, Gallus.

Die Lunae 11. Decembris, ſummo mane convenerunt in Palatio Aplico in aula paramenti, & venerato corpore Pontificis mortui, congregati ſunt in parva Aula, & elegerunt Dominum Conſtantinum Comninum, Ducem [1] Achajae & Macedoniae, Capitaneum urbis: D. Vincentium Caraffam, Archiepiscopum Neapolitanum, Gubernatorem: Episcopum [2] Spoletanum, & D. Annibalem [3] Rangonum, cuſtodes Sacri Palatii: & R. DD. [4] Ant. de Monte Episcopum, Jo. Piccolomineum Presbyterum, & Paulum Ceſium Diaconum, deputarunt pro funere, & aliis negotiis expediendis. Huic congregationi non interfuere Medices, [5] Cortonen, [6] Cornarius, & [7] Cibo. Singulis diebus fiebant Congregationes in II. aula, & inceptis exequiis in ſacrario Sancti [8] Petri, tres deputati conveniebant in Palatio in [9] cubiculo D. de Monte, ſimul cum Camerario, & multa expediebant pro cuſtodia urbis, viarum, pontium, & portarum.

Die X. venerunt [10] Grimanus, Soderinus, Sedunen., Gonzaga, & [11] Ipporegien. dum veniret, retentus eſt Papiae; propterea Collegium ſcripſit [12] ad D. [13] Hier. Moronum, & alios Barones Mediolanen.; noluerunt enim ingredi Conclave, niſi prius liberaretur.

[14] Die XXI. ad ripam Tyberis in Domo Decani, facta eſt congregatio generalis, peractis exequiis, & fuit locutum de ingreſſu Conclavis; Volterranus dixit, pedites qui erant ad cuſtodiam Palatii, & Comitem Rangonum, eſſe ſuſpectos, & triremes Caeſaris eſſe in Portu Civitatis veteris, & niſi fieret alia proviſio, proteſtari ſe de loco non tuto. Quare condu-

1 *Achajae.*] Abeſt apud Papenbrochium.
2 *Spoletanum.*] *Spoletinum*. P.
3 *Rangonum.*] *Rangone*. P.
4 *Ant. de Monte.*] Additur apud P. *Cardinales S. Martini in Montibus.*
5 *Cortonen.*] *Cortona*. P.
6 *Cornarius.*] *Cornarus*. P.
7 *Cibo.*] *Cybo*. P.
8 *Petri.*] Additur *loco conſueto* apud P.
9 *Cubiculo.*] *Cameram Cardinalis S. Martini de Montibus*. P.
10 *Grimanus.*] Additur *Cardinales*. P.
11 *Ipporegien.*] *Hipporegienſis*. P.
12 *Ad.*] Deeſt apud P.
13 *Hier. Moronum.*] *Hieronymo Morono aut Roti*. P.
14 *Die* XXI.] XI. P.

*Ducatorum.*

conduxerunt duos Barones Columnenſes, Veſpaſianum & Proſperum Juniorem, & duos Urſinos, Ludovicum Comitem Pitiliani, & Laurentium Cajetanum ad cuſtodiam, qui petierunt a R^mis^. deputatis VI^m^. [1] ducatorum, & cum eos non haberent, cogitaverunt R^mi^. accipere mutuo, aſſignando creditoribus anatarum communium, & minutorum ſervitiorum, quae obveniunt Collegio; ſed noluerunt haec referre in Congregatione generali, niſi poteſtatem haberent.

[2] Die XXIII. Congregatio generalis in domo Decani habita eſt, ubi omnes fuerunt, praeter Grimanum, Mantuanum & Cibo, & aſſenſum dederunt aſſignationi.

[3] Die XXVI. Domini deputati, & Camerarius acceperunt mutuo [4] a Chiſiis menſariis II^m^. & Thomas [5] regis Elicus Camerae mutuavit totidem gratis.

[6] Die XXVII. in Baſilica Sancti Petri in Capella Sixti quarti, habita congregatione, & cantata miſſa Spiritus Sancti, ingreſſi ſunt Conclave, numero XXIX. Eo die nihil actum eſt de electione, ſed de cuſtodia Conclavis per Praelatos, & Barones, & [7] legatos Principum facienda.

[8] Die XXIX. deliberaverunt, quod vota darentur ſecreta ſchedula clauſa, ubi eſt nomen Electoris, & ſigillo obſignata; & ne accedendo ad eundem, quem nominaverunt, aliqua fieret fraus, deliberatum eſt, ut omnes eſſent ſignatae aliquo ſigno, & qui vellet accedere, proferret ſuum ſignum, & aperiretur nomen ſuum, & tunc accederet, cui vellet, modo non accederet nominatis a ſe; haec forma fuerat decreta prius die VIII. Decembris, ſed hac die fuit iterum propoſita; & multi variabant ſententiam, ut ſervaretur antiqua forma, & nota eſſet; tamen major pars voluit, ut darentur obſignata, quoad nomen Electoris.

Die XXX. in Capella Niccolai, celebrata miſſa per ſacriſtam primum ſcrutinium electi ſcrutatoris, capita ordinum, & Dominum de Araceli. [9] Piſanus circumferebat ſchedulas, [10] Cornelius legebat; finito ſcrutinio Cornelius legebat vota ſigillorum, & fiebat collatio; ſinguli enim Cardinales legebant in ſuis ſcriptis. Oſtien. habuit [11] IV. vota. Grimanus X. Volaterranus V. [12] Fliſcus X. de Monte & Accoltis V. de Graſ-
ſis

1 *Ducatorum.*] Additur apud P. *pro faciendis proviſionibus.*
2 *Die* XXIII.] XIII. P.
3 *Die* XXVI.] XIV. P.
4 *A Chiſiis.*] *Ab Eliſiis.* P.
5 *Regis Elicus Camerae.*] *Righi, Clericus Cameralis.* P.
6 *Die* XXVII.] XVI. P.
7 *Legatos Principum facienda.*] *De audientia danda Legatis Principum.* P.
8 *Die* XXIX.] XX. P.
9 *Piſanus.*] *Prianus.* P.
10 *Cornelius.*] *Cardinalis Cornanus.* P.
11 IV.] IX. P.
12 *Fliſcus.*] *Uti etiam Fliſcus.* P.

ſis VI. [1] Jacobaſius VII. Medices III. alii pauciora.

Die I. Januarii [2] tertium ſcrutinium, & fuit una ſchedula, quae nominavit XIII. Quamobrem indignati ſunt multi, & volebant aperire ſchedulam, tamen non eſt factum; in reliquis erant notata nomina ab uno usque quinque. Oſtien. [3] X. Fliscus, Piccolomineus, Scaramuccius, Jacobatius, & Urſinus VII. [4] de Monte, Ponrettus VI. Accoltis, Medices, Tranen. Araceli, & Cornelius V. reliqui pauciora,

Die II. [5] quartum [6] ſcrutinium, Oſtien. [7] XIV. Accoltis V. Fliscus, Jacobatius, & Sancti Sixti VII. Sedunen. Valen. Araceli, & Mantuanus, VI. de Monte, Urſinus quinque. Volaterran. Bononien. de Medicis, Campegius, & Aegidius [8] IV. reliqui pauciora.

[9] Die III. quintum ſcrutinium, Soderinus XII, Fliscus IX. Dertuſen. abſens VIII: De Monte, de Accoltis, Eboracen. abſens, Jacobatius VII. Oſtien. Medices abſens, de Vio, & Aegidius IV, reliqui pauciora.

Die IV. Sabbati [10] Sextum ſcrutinium. [11] Oſtien. Fliscus IV. Sedunen. SS. IV. Jacobatius [12] & Araceli VIII. de Accoltis, Volaterr. Campeggius, & Urſinus VII. reliqui pauciora.

Die V. [13] ſeptimum ſcrutinium, Fliscus [14] VII. Sedunen. VIII. SS. IV. & Viterbien. VII. Oſtien. de Accoltis, & Bononien. Medices & Jacobatius VI.

Die VI. [15] octavum ſcrutinium de Accoltis & Urſinus attulerunt ſchedulam Domini de Cibo aegroti, [16] & antequam inciperetur ſcrutinium, ſuadente Caeſarino, mutavit ſententiam & aliam miſit. D. Farneſius habuit XII. vota, & SS. IV. dixit Papam habemus, & incepit accedere ad illum, quod fecerunt Medices, Petruccius, Valen. Campeggius, Cortonen. Armellinus, & Rangonus. Caeſarinus acceſſit ad Aegidium, [17] non accedendum ad Farneſium, cui dederat votum. Coepta eſt contentio, [18] an accedendo ad alium, auferat votum ab electo prius, & non fuit deciſa, & Papam non habuimus. D. Grimanus propter invaletudinem, & quia

1 *Jacobaſius.*] *Farneſius & Jaconnaccius ſeptem.* P.
2 *Tertium.*] *Secundum.* P.
3 X.] Ad *quinque ſuffragia.* P.
4 *De monte, Ponrettus* VI.] Deeſt apud P.
5 *Quartum.*] *Tertium.* P.
6 *Scrutinium.*] *Cardinalis SS. Quatuor coronatorum retulit ſuffragia* XIV. P.
7 XIV.] *Et.* P.
8 IV.] *Quinque.* P.
9 *Die tertia &c.*] Haec omiſſa apud P.
10 *Sextum.*] *Quartum.* P.
11 *Oſtien. Fliscus* IV.] *Et habuit Fliscus vota novem.* P.
12 *Et Araceli* VIII. *De Accoltis, Volaterr.*] *Valentinus.* P.
13 *Septimum.*] *Quintum.* P.
14 VII.] IX. P.
15 *Octavum.*] *Sextum.* P.
16 *Et antequam inciperetur ſcrutinium &c.*] apud P. ita legitur: *Et ipſe habuit vota duodecim, tunc dixit Cardinalis SS.* IV. *&c.*
17 *Non accedendum ad Farneſium.*] *Recedens a Farneſio.* P.
18 *An accedendo &c.*] Apud Papebr. ita legitur: *Cum dicerent aliqui ſcire ſe velle, utrum liceret inſpicere votum accedentis ad alterum, & utrum poſſet auferri*

quia videbat multa, quae sua conscientia ferre non poterat, recessit a Conclavi, dissuadentibus omnibus Reverendissimis.

Aegidius fertur circumivisse omnes Cardinales, & multa mala dixisse de Farnesio, quod suus confessor fuerat multos annos.

Die VII. [1] nonum. Grimanus & Fliscus X. Ostien. IX. Sedunen. & Jacobatius VIII.

Die [2] IX. [3] X. Ostien. & Dertusen. habuerunt vota XV. D. Sancti Sixti dictus de Minerva dixit, eum Dertusensem esse virum [4] bonum & doctum, & accessit, rogans alios, ut accederent. Inde accesserunt Columna, Cavalicen. de Monte, Trivultius, Piccolomineus, de Accoltis, Araceli, Armellinus, [5] Jacobatius, Tranen. D. Sanctae Crucis accessit ad [6] Montem, ut offerret votum ad Dertusensem. Bononien. dixit se non accedere, quia non noverat hominem, qui nunquam fuerat in Curia, tamen omnes [7] convenere, & rogatus est [8] D. . . . de Grassis, Episcopus Pisaurien. de hac electione [9] ut Hot$^{s}$. Papam habemus R. Dominum Adrianum Florentinum, natione Flandrium, ex civitate Trajectensi, tituli S$^{tor}$. Joannis & Pauli Presbyterum Cardinalem, Dertusensem absentem in Hispania in civitate Victoria, & fuit publicatum per D. Cornelium die IX. Januarii, hora XIII. MDXXII. Deinde R$^{mi}$. congregati in aula [10] pro fabas albas & nigras, deputaverunt legatos ad S$^{m}$. D. N$^{rum}$. de Columna & Cesarinum, & apertum fuit Conclave.

Die X. R$^{mi}$. elegerunt Ursinum III. legatum. Item decreverunt, ecq$^{o}$. adveniret Pontifex, tres ex quolibet ordine singulis mensibus gubernarent, & manerent in Palatio; ardua ad generalem congregationem referrent, primi fuerunt Decani ordinum. Sequente mense die X. Febr. D. Grimarus, & Cibo Diaconi, excusaverunt a Gubernatione propter aegritudinem, & fuit deputatus Fliscus, qui se excusabat, sed non fuit admissa excusatio, sed noluit manere in Palatio.

Die X. Aprilis [11] D. Michael Evicavort datis litteris credentialibus publicavit nomen Pontificis Adrianus VI. Aliquibus non placuit, quia non

*ferri votum a prius electo.*

1 *Nonum &c.*] Apud Papeb. ita legitur; *Scrutinium septimum, in quo Jaconnaccium nominarunt vota undecim, Ursinum, Fliscum, & Sedunensem decem, Grimanum septem.*

2 *Die* IX.] Monet hic Papebrochius: *Die* VIII. *factum proculdubio est scrutinium octavum, haud dissimile prioribus; sed cujus historia festinanti inter transcribendum librario exciderit.*

3 X.] IX. P.

4 *Bonum.*] Additur apud P. *virtuosum,*

5 *Jacobatius.*] Additur *Comensis* apud P.

6 *Montem.*] *Farnesium.* P.

7 *Convenere.*] *Ipsumque in summum Pontificem elegerunt.* P.

8 *D.*] *D. Darius.* P.

9 *Ut Hot$^{s}$.*] *Tanquam Protonotarius Apostolicus, alta voce & latine dixit.* P.

10 *Pro.*] *Per* P.

11 *D. Michael.*] Hic notat Struvius, quod in impresso dicatur *Signor Gugliemo*, & rectius, ut apud P.

[1] non mutasset nomen. Die [2] v. Augusti D. solvit a Portu [3] Liburno cum classe xiv. triremium, praefecto [4] Linando, Dominos Medicem, Piccolomineum, Petruccium, Cortonen. Presbyteros, & Rudolphum Diaconum, ad osculum pedis, manus, & oris suscepit in triremi, ibique pernoctavit. Die xxvi. cum xviii. triremibus venit ad [5] Civitatem.

Die xxvii. [6] in oppido susceptus a $R^{mis}$. de Columna & de Ursinis, qui in triremi prius litteras Collegii praesentaverant, & osculati fuerant pedes deputati, & de loco coronationis propter pestilentiam Urbanam $SS^{tas}$. fuit nocte in triremi. Die xxviii. venit Hostiam ingressus Tyberim in Bregantino, multae triremes descriptae vix Cajetam appulerunt. D. Nr. venit ad S. Paulum, cui obviam venerunt multi $R^{mi}$. Domini, & legati Principum, & Romanus Populus.

Die xxix. indutus pluviali & mitra in sacrario S. Pauli recepit ad osculum pedis, manus, & oris, & omnes Reverendissimos, [7] vocatusque est iterum Adrianus vi. Deinde venit cum cantoribus ad Altare majus, & sedens ibidem recepit iterum omnes $R^{mos}$. ad osculum, ut supra.

Eodem die venit cum pileo & stola, equitans per vicum Judeorum, & Campum Florae ad Sanctum Petrum, ubi sedens in Altare tertio recepit omnes $R^{mos}$. ad osculum, [8] quod visum est nimium esse, ut tot oscula repeterentur. Die ultima Augusti paratus pontificialiter in Capella Sancti Andreae, celebravit in Altare Sancti Petri, deinde ante scalas a D. Cornelio coronatus est, & factum est convivium in aula Innocentii Octavi.

Absoluta

1 *Non mutasset.*] *Mos erat mutare.* P.

2 v.] iii. P.

3 *Liburno.*] *Tarraconensi & xiv. appulit ad portum Liburnensem.* P.

4 *Linando.*] *Eademque nocte in ipsas triremes recepit Cardinales.* P.

5 *Civitatem.*] *Centumcellas.* P.

6 *In oppido &c.*] Apud Papeb. ita legitur: *Advenerunt Cardinales Columna & Ursinus in navem, qua Pontifex vehebatur, cumque ei obtulissent litteras aliquas a sacro Collegio, osculati sunt pedes ejus.*


7 *Vocatusque est iterum Adrianus* vi.] Desunt haec apud P.

8 *Quod visum est nimium esse, ut tot oscula repeterentur.*] Desunt haec apud P.

9 *Cornelio.*] *Cardinale Cornaro.* P.

Ab

Pag. 151.




Absoluta Conclavis Historia pergendum est ad ipsam nummi explicationem, quam breviter absolvemus. Nummum huncce [1] ab Ultrajectensibus fuisse cusum in honorem civis sui satis testantur eorundem insignia, quae adjecta. Prior pars exhibet effigiem Papae, habitu suo Pontificali amicti, cum triplici Corona, hac addita inscriptione: M. ADRIAEN. VAN. GOD. GHEKOREN. PAUS. VAN. ROMEN. T' UTRECHT. GEBOREN. Pallium autem Papale tres habet acus aureas, ternis unionibus luculentissimis ornatas, quarum prima, (quae hic etiam exprimitur) ad pectoralem decussim, altera ad humeri dextri cruciformem lineam, tertia in tergo sedet. Tuldenus Hist. part. I. lib. IV. Insignia a dextro latere sunt quadripertita, cujus primum & quartum latus tres uncos habet, quales alias in insignibus Schenckiorum de Winterstetten, Prabeckiorum atque aliorum licet conspicere: secundum vero & tertium Leonem prae se ferunt. Cujusnam haec sint adsignia, liquidum oppido non est. Pontificis inferiori loco nati [2] insignia non esse facile patebit, maxime cum ipsi

1 *Ab Ultrajectensibus.* ] Licet nummum illum numquam conspexerimus, facile tamen credimus *Struvio* talem nummum exstare, & praesertim quia ejus effigiem nobis quoque ostendit vir Amplissimus Daniel Baro de Milan Visconti. Verum an ab Ultrajectinis in honorem civis sui cusus fuerit, uti *Struvius* contendit, adfirmare nequeo; praesertim cum inter varia laetitiae signa, aliaque, quae, audita Hadriani nostri in summum Pontificem electione, in honorem ejus ediderunt Magistratus Trajectini, quae postea ex actis Magistratuum nostrorum producemus, nulla occurrat mentio nummi in ejus honorem cusi.

2 *Insignia non esse.* ] Quoniam vero nos non facile aliquid adfirmare soleamus, nisi ex monumentis publicis aliisque testimoniis fide dignissimis illud nobis constet, hinc in notis nostris ad Moringum statim in initio Hadriani familiae nomen nobis

ipſi Panvinius plane alia adſignet. Leonem veterem Ultrajecti eſſe teſſeram, ex ſigillo Philippi II., Hiſpaniarum Regis, apud Vredum pag. CCXV. conſtat. Quid ſi dicamus, eosdem hos uncos convenire quoque Ultrajectinis, maxime quod ſimilem baculo adfixum teneat puer. Apud Bizotum loco uncorum crux additur inſignibus Ultraject. Hiſt. Metallique d' Hollande ſupplem. p. CXXVI. CXXXIII. CXL. Alia ſiniſtri lateris inſignia Ultrajectinae ſunt civitatis; ſcutum ſcilicet argento & Coccino, in obliquum bipertitum: argentea pars, contra leges Fecialium, ut Civitatum mos eſt, aurea Martini, equum inſidentis, atque partem chlamydis egeno impertientis imagine, exarata, prout eadem videmus in ſigillo Alberti & Eliſabethae apud Oliverium Vredum de Sigillis Comitum Flandriae p. CCLXXXI. licet in hoc ipſo ectypo egeni effigies haut ſatis recte videatur expreſſa. Averſa nummi pars amoris typum habet. Nec dubium numisma illud cuſum in gratiam Papae, urbisque honorem a civibus Ultrajectinis, qui illa diſpenſarunt in ludis ſolennibus, illius cauſa inſtitutis. Nec Molinetus, nec etiam Bonnanus hunc nummum in ſua Hiſtoria Pontificum Numismatica habent, quod alias nummum ſatis eſſe rarum arguit. Unicum ſaltem Hadriani VI. numisma adfert Molinetus, cujus pars altera aliquot repraeſentat libros, ſub quibus duo viſuntur claves decuſſatim poſiti, de ſuper volitante columba, cum inſcriptione *Spiritus Sapientiae.* Molinetus Hiſt. Pontif. p. XXXIX. quidem per libros ejus doctrinam, Sapientiam ejus per Columbam, tanquam Spiritum Sanctum denotari dicit. Verum claves & corona Papalis numisma arguunt in honorem creationis ejus cuſum, dum ob eruditionem per inſpirationem divinam electus dicebatur. Duo, praeter hoc & alia, refert Bonnanus numism. Pontif. tom. I. p. CLXXXI. in creationem Adriani VI. cuſa, cujus altera pars Papam repraeſentat, pluviali indutum throno inſidentem, cui Cardinalis tiaram imponit. Alteram Papam monſtrat throno inſidentem veſte ſacerdotali, duobus Cardinalibus tiaram imponentibus, adſidentibus etiam aliis, cui inſcriptum, *quem creant, adorant.* Facile patet, nummum iſtum cuſum fuiſſe in ritum illum, dum poſtquam habitu Pontificio indutus, Cardinales pedem, manum dextram & os primo osculatum admittat, quod die XXIX. Auguſti factum, ut Hiſtoria Conclavis dicit. vid. Becman. *notit. dign. illuſtr. diſſ.* XVI. *c.* II. §. III.

nobis adhuc incertum manere diximus. Familiae tamen nomen ipſi fuiſſe non dubitamus, verum, quale illud fuerit, nos ignorare profeſſi fuimus. Quod vero ad inſignia Hadriani adtinet, certiſſimum eſt nullis umquam aliis uſum fuiſſe Hadrianum, quam quae in nummo hoc conſpiciuntur. Et familiae inſigne fuiſſe patet ex eo, quod *Brocchius*, ſaepius a nobis adductus, in MSS. *Johanni Antonio Beyenſe*, vel *Boeyenſe*, (uti vocandum jam obſervavimus ad Moring. cap. XVI.) qui Hadriani cognatus fuit, eadem inſignia adſignet. Et fallitur quoque *Struvius*, qui Panvinium plane alia inſignia Hadriano adſignare adfirmat, cum in vita Hadriani juxta ejus effigiem eadem ibi inſignia conſpiciantur.

F I N I S.

# ITINERARIUM
# HADRIANI SEXTI.

AB

HISPANIA ROMAM USQUE, AC IPSIUS PONTIFCATUS EVENTUS, PER BLASIUM ORTIZIUM, IN DECRETIS DOCTOREM, CANONICUMQUE TOLETANUM, AC GENERALEM VICARIUM, SUMMA FIDE COLLECTUM.

*ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO D.* [1] *JOANNI MARTINO SILICEO, ARCHIEPISCOPO TOLETANO, HISPANIARUMQUE PRIMATI ETC. BLASIUS ORTIZIUS, IN DECRETIS DOCTOR, EJUSDEMQUE AMPLISSIMI PRAESULIS GENERALIS VICARIUS, NEC NON CANONICUS TOLETANUS, PERPETUAM FELICITATEM.*

*Cum animadvertissem, magne Praesul, Hispaniarum Primas, excellentiam personae, dignitatem amplissimam, egregiam doctrinam, omnium virtutum merita in te splendere, perhorrescebam quidem tantillum opus tanti viri nomine nuncupare, propterea quod audaciae, vel potius temeritati mihi tribuendum fore existimabam, cum magna magnis ac parva parvis aequa proportione sint conferenda; ideoque per longum dierum curriculum opusculum hoc tibi dicare distuleram. At vero quamvis me tua amplissima dignitas deterreret, litterarum refertissima copia consterneret, tua tamen in omnes humanitas, eximia benignitas alliciebant, atque ad hoc sub tua protectione ponendum invitabant. Nam etsi opus sit exiguum, in se magna memorandaque facinora continet, nimirum gesta per Pontificem maximum Adrianum, maximum inquam scientia, moribus, & vita; in cujus pontificatu multa notatu digna contigerunt, quae pro penuria mei ingenii ex multis collegi; quae forsan neminem pigebit legisse, praecipue te praestantissimo Antistite aspirante. Iccirco, patrone dignissime, te deprecor atque exoro tuum ne deneges favorem. Quod quidem minime ambigo, eo maxime quod cum clemens erga exteros undique prædiceris, non dubito quin erga tuos familiares te placidum benevolumque praebeas. Quorum ex numero, quamvis indignus, vices tuas gerens, in hac cancellaria & curia Toletana, te annuente, fui collocatus. Suffultus tamen auxilio divino, sub tua censura exactissimaque castigatione, ne longa praefatione sim moleste usus, rem ipsam adoriar.*

1 *Joanni Martino Siliceo.*] De eo Vid. Schotti Biblioth. Hispaniae Tom. III. pag. DLXXI.

# INCIPIT ITINERARIUM HADRIANI SEXTI

## PONTIFICIS MAXIMI, PER BLASIUM ORTIZIUM, IN DECRETIS DOCTOREM, CANONICUMQUE TOLETANUM, AC GENERALEM VICARIUM, SUMMA FIDE COLLECTUM.

Saepenumero animo revolvi, an mihi liceret manum admovere ad ſcribenda geſta, aut potius itinerarium ſanctiſſimi Domini Noſtri Papae Adriani natione Flandri, quae poſt aſſumptum in Hispania pontificatum non ſine labore & maximo dispendio inivit. Certe haud parvae cauſae diſſuadebant, quae hanc provinciam meis viribus imparem propulſabant; nimirum imbecillitas ingenii, ac trivialis ſtylus & mihi ſatis inuſitatus ad componendum epiſtolium, nedum ad rem tam gravem tamque ſublimem, quae ſibi Ciceronis expoſcit ubertatem, Hortenſii vim, & Catonis gravitatem. Videbam inſuper hujus aetatis homines nihil audire vel legere niſi expolitum & diſertum, nec quicquam eorum animis inhaerere, niſi quod aures blandiori ſono demulceat, non quod vulgare ſit, & quod alioquin poſſit inducere voluptatem. Quapropter per longam diuturnitatem, & forſan tutius, ſilere decreveram. Sed impellebant maxime domeſtica familiaritas acceptaque beneficia, & praecipue hujus Pontificis merita; ſi poſſem veritate comprimere obtrectantium linguas, qui perperam illius denigrare nomen famamque ſatagebant. Et adeo eorum malitia protenſa eſt, ut auſu nefario ſepulchro ſic ſcribere auderent: *Hic jacet impius inter pios.* Obſtupescant fauces talia proloquentium, adhaereantque linguae palato eorum, qui ſolum vibrare linguas conſueverunt animi ſui cotibus exaſperatas. Verum habet hoc hominum perfidia, ut quos vel generis amplitudo, vel ſui animi nobilitas conſpicuos fecerit, non

non ſolum non reddat clariores, prout ſapientium eſt hominum laudanda laudare, ſed diabolica ſagacitate horum obtenebrare lucem conetur. Inſuper antiqui hoſtis invidia, quos improborum actuum perpetratione (Deo illi reſiſtente) dejicere non valet, opinionem illorum falſa ad praeſens ſimulando dilacerat. Erat enim ſanctiſſimus Pontifex vir clementiſſimus, extraque vulgi aleam poſitus, natura prudens, moribus temperatus, vita caſtus, humilis & affabilis, in proſperitate benevolus, omnifaria laude digniſſimus, atque omnigena doctrina catholica refertus; quemadmodum opera ipſius demonſtrant, & totus orbis proclamat. Quantus vero fuerit, ex ejus diverſis ſtudiis & elaboratis opuſculis perfacile lector prudens intelligere poteſt; qui cunctis ſuorum temporum ingenii acrimonia, animique ſapientia atque doctrina ſana praeſtantior ac copioſior fuit. Quid dicam cum ſingulis diebus vir religioſiſſimus ſacra libaret? Multa quidem commemorare poſſem quae ad rem pertinerent. Sed quonam temerario conatu praeceps rapior, meae tenuitatis oblitus? Sublimia illius laudis praeconia ſermonis inopia non tam attingere quam attenuare nitar. At veniam mereor, ne beneficiorum judicer immemor. Quapropter etſi balbutiens, vera tamen deſcribam (omiſſis temporibus peractae jam provinciae gubernationis Hiſpaniarum, ac inquiſitionis generalis ſanctiſſimi Papae, ac ceterorum officiorum illi injunctorum; quae omnibus jam pridem innotuerunt) ſub invocatione divini favoris atque intemeratae Deiparae Virginis, ad quam humiles effundo preces, cum ſinceritate & veritate rem ipſam aggrediens.

Undecimo Calendas Februarii anni vigeſimi ſecundi ſupra ſeſquimilleſimum, cum eſſem Lucronii in palatio Epiſcopi Callagurritani domini mei *Joannis Caſtellanos a Villalva*, cujus vices, quamvis immeritus, tunc agebam, quidam ejuſdem urbis ſtabularius ad me veniens ait: Noveris, proviſor, quendam curſorem hodie apud me divertiſſe, qui mihi occulto reſeravit Dominum *Adrianum* Hiſpaniarum gubernatorem in Pontificem maximum electum fuiſſe; & hoc procul dubio ſcias. Quare hujusmodi praetextu ex te impetrare volo aliquod munus mihi ab Epiſcopo domino tuo poſtules. Quod ego tanquam incertum domino meo familiaribusque ejus aperui, parum de re tam inopinata curans, cum tamen ille verum aſſereret. Nam curſor ille (ut compertum eſt) literas Domini Gerundenſis Episcopi Romae commorantis ad amicum datas deferebat; quibus continebatur reverendiſſimum Dominum *Adrianum* Cardinalem Dertuſenſem, Inquiſitorem generalem, in Chriſti Vicarium [1] unanimiter

[1] *Unanimiter.*] Unico ſcilicet tantum refragante *Franciotto Urſino.* vid. Moring. cap. XIX.

 Indulto-

nimiter a ſacro collegio creatum. Die vero ipſo, ad ſolis occaſum, nobilis vir Caeſaraugustanus *Hieronymus Artal*, cum aliis equitibus modo excurſoris ſuperveniens, eadem aſſerebat, nihil novi tamen perferens, niſi ea quae praediximus, Et cum nobilis hic electionem palam omnibus divulgaſſet, tota civitas prae gaudio repente concitata ſuos nuntios ad deoſculandos novi Pontificis pedes destinavit; qui propter nivium altitudinem, ut ex infra dicendis apparebit, juſſa civitatis explere non poterant, Interim vero totus clerus cum magna populi caterva in Eccleſias convenerunt, laudes Deo pro tanto beneficio exolventes. Deinde in noctis crepuſculo rem geſtam latius apertiusque domino meo in lecto jacenti ſignificavi; quem conſului quid in hac re agendum videretur, quandoquidem eventus feliciſſimus in illius dioeceſi proſpere ſucceſſiſſet. Is ergo maturo conſilio ad eum me mittere decrevit; dum ipſe propter valetudinem id agere non poſſet. Qua de re ego ac nobilis ille *Artal* una ire in civitatem Victoriam, ubi tunc noſter reſidebat Pontifex, convenimus; egreſſique ſumus ab urbe Lucronii tertia vigilia noctis, montes de Vernebo verſus iter agentes; quos propter nivium copiam cum tranſcendere non poſſemus, ad oppidum de Oion oportuit nos redire. Et accepto ductore per aliam Viam iter noſtrum proſequendo, in municipium ſancti Vincentii de Navarra, a Lucronio quinque ſejunctum leucis, pervenimus. Deinde in oppidum de *la Puebla* prope noctem accedentes, refectione ſumpta, continuo exivimus, itineris nivisque vaſtitatem proſequentes. Nobilis ille cum comitatu a me diſcedens, totam noctem laborans ſub dio, inter nives non ſine magno diſcrimine vitae permanſit. Ego autem poſt fatigationem acerrimam feliciſſimo caſu per invia quaſi coecus per incerta fovendo exhortandoque pueros, de quorum vita formidabam, maxime cum ex eis quidam inſtanter precaretur ut eum mori ſinerem, in oppidum tandem nomine Ariniz perveni. Sequenti vero vigeſima quarta Januarii in optatam urbem Victoriam appulimus. Sed quia haec ad rem propoſitam non attinent, ſat eſt obiter tetigiſſe, ut ad geſta Pontificis deſcribenda properemus.

CAP. I.

## CAPUT I.

### *De Revocatione indultorum & expectativarum.*

Quum almus noſter materiam [1] indultorum & [2] reſervationum expectativarumque exoſam, ut ſacrorum gnarus canonum, haberet, uti talem decebat virum, cum ſimiles expectationes abhorreant jura, hac die mentaliter Cardinalium indulta revocavit; cujus revocationis publicationem matura conſideratione in urbem diſtulit. Quod primum memorabile poſt notitiam electionis fecerat. Ob haec & cetera hujusmodi, ut ſuis locis referemus, malevolentiam in Chriſti vicarium curiales conceperunt. Hinc annotari poteſt, quanta fuerit vis conſuetudinis. Nam humanae naturae eſt ea quae in uſu non ſunt, etſi recta & juſta ſint, abhorrere, & conſueta magna cuſtodia diligere. Et provinciales ſemper magni faciunt conſuetudines ſibi ſervari. Nam quid juſtius, ſanctius, & honeſtius, quam jura cuſtodiri? quae vir ſanctus pro viribus nitebatur defendere; curiales vero ſuo abuſui inhaerentes, quaſi novam rem execrabantur; ut forſan proprius ſuo loco deducetur.

Die vero vigeſima quinta ejusdem menſis, illo amoris ardore videndi Pontificem affectus, ſacrum palatium ſanctitatis Domini noſtri Papae pedes deoſculaturus petivi. Et caſus proſpere poſt fortunam niviumque periculum ſucceſſit. Nam cum Beatiſſimo Patri & conſiliariis ſanctae & generalis inquiſitionis conſtaret me urbem illam adiiſſe, volentibusque a me tunc Inquiſitore Calagurritano de re certa informari, facile aditus mihi patuit, qui vix aliis concedebatur. Pedes ſacros tunc procidens deoſculatus ſum; ac quibus potui verbis legationem Episcopi domini mei, animique laetitiam, quam ex re geſta ſuſceperit, Pontifici indicavi. Qui vultu praeclaro dulciter ſe offerens, gratias egit domino meo propter curam viſitationis, mihique nuntio ob laborem; praecepitque ut rem praefatam inquiſitionis exponerem. Et ante exordium narrationis, tanta erat humilitas ſanctiſſimi viri, ut conſiliarios, meque tantillum hominem, etſi cum debita reverentia excuſaremus, nullum verbum ſua bonitate & clementia, oblitus ſe Pontificem maximum, audire voluit, donec

1 *Indultorum.*] De *indultis* vid. H. V. R. in notis ad Heuſſen. Hiſtor. Eccleſ. tom. II. pag. CXXXIII.

2 *Reſervationum. Expectativarumque.*] De *reſervis*, item de *acceſſibus*, *regreſſibus*, & *commendis*. vid. H. V. R. in notis ad Heuſſen. Batav. Sacr. tom. I. pag. CCCXLVIII. & CCCXLIX.

Ferdinan-

nec gradatim consederemus; ibique coram tanta majestate, Deo opitulante, a primordio causam exorsus sum. Qua finita, egressisque consiliariis, data opportunitate instantius supplicavi me inter suos familiares annumerare vellet. Quod quidem distulit, affirmans se nullos alumnos, ante quam litteras a collegio Cardinalium recepisset, accepturum. Ego vero perpendens justam excusationem, & ne tanto Pontifici molestus viderer, habita copia in hospitium redii, & quamprimum potui ad rationem reddendam domino meo reversus sum: qui, etsi oppressus morbo, laudes tamen omnipotenti Deo exsolvit, magnam concipiens laetitiam propterea quod in sua dioecesi tantum decus & gloria Hispaniarum contigisset.

Et quamvis per aliquot dies de Pontificis electione ambigeretur, quod diu certus nuntius rei tam celebris moraretur, adest dies laetitiæ nona Februarii, qua vir nobilis quidam Hispanus ex Pincia *Antonius a Studillo*, reverendissimi Domini Cardinalis sanctae crucis a Carvajal Camerarius, breve sacrae electionis detulit: qui satis expectatus propter ingentes nives, quales forsan multis retro annis non contigerant, portus transcendere nequiit. Cujus quidem adventu civitas illa merito appellata *Victoria* prae gaudio cum tota provincia, & post dies aliquot magna pars Hispaniarum, concitatur, undique veniens tantum visura Pontificem, deosculaturaque pedes; & in dies numero plures hinc inde non secus quam apes ad alvearium, alii ad benedictionem, alii ad novum spectaculum, nonnulli vero ad propria negotia confluebant. Ego vero dum primum praefati Camerarii adventum cognovissem, concessa facultate a domino meo, gratia familiaritatis impetrandae citius felicem Victoriam adii. Et interim Pontifex almus hospitium mutaverat: qui cum primum in domo *Joannis a Bilbao* hospitaretur, in coenobium divi Francisci pro tempore mansionem elegit. Et tanta erat confluentium copia, ut pro importunitate vitanda difficilius pateret aditus. Quod ipse laeto animo amplectebatur, aut naturam patriae imitando, aut propriae inhaerendo. Fugiebat nempe negotia, deditus secretioribus silentiis: ad quem nisi Praelatis vel magnatibus praeclusa erat via, & in dies claudebatur magis propter crebras in recipiendis famulis molestias, quas aegre ferebat. In negotiis autem gubernationis regnorum & sanctae inquisitionis morem non mutavit. Immo consiliis assistebat, negotiaque suo marte expediebat. Cum autem considerassem quanta difficultate admittebat familiares, veritus sum palam eum alloqui. Attamen cum opus esset mei testimonium dare, quandoquidem hujus causa illuc pervenissem, honestiori modo propositum aperui, licet cum anxietate & rubore, quia multorum

rum repulſam intellexiſſem. Verum clementiſſimus Pater volens mihi bene facere, ut cuncti noverunt, me grato animo in ſuum Capellanum accepit.

## CAPUT II.

### *De Acceptatione Pontificatus.*

Hactenus beatiſſimus Dominus noſter, cum eſſet timoratae conſcientiae, formidans tantum onus, non decreverat illud ſubire. Tandem maturo conſilio, ut imminentia pericula evitaret, quarto decimo Calendas Mart. Miſſa ex more celebrata, Pontificatum acceptare deſtinavit. Et quia naturae ſuae propenſione negotia ipſi peragenda potius ſecreto quam palam conabatur facere, tres tantum ex multis ad actum celebre hujus acceptationis, ſcilicet magnificum Doctorem *de Agreda*, & me indignum Doctorem *Blaſium Ortiz*, ab ſanctiſſimo eodem Patre poſtmodum Toletanos Canonicos creatos, & ſecretarium conſilii generalis inquiſitionis Aragoniae *Joannem Garſiam*, virum ſatis egregium, elegit; juſſitque intrare in cameram interiorem, praecipiens oſtiariis, ut neminem neque domeſticum neque externum ſinerent ad ſe ingredi. Unde nos tanta novitate perterriti expectabamus, nos ad invicem conſpicientes. Cum autem ſummus Pontifex in loco ſecretiori eſſet, haec verba fatus eſt: Jamdudum intellexiſtis electionem a ſacro collegio de me factam, cujus teſtimonium attulit Camerarius reverendiſſimi Cardinalis a Carvajal; cujus quidem acceptationem hactenus diſtuli, timens muneris tanti onus ſuſtinere: quamvis non me lateat nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore, facilius & hominibus acceptabilius Episcopi officio, & praecipue Papae, ſi obiter, & ut hominibus tantum arrideat, atque adulatorie res agat. Sed nihil eſt quod periculoſius homines ſuſcipere debuiſſent, ſi arctiſſimam Deo reddendam rationem prae oculis mentis haberent, ſi non eo modo militetur, quo noſter imperator Chriſtus praecipit. Sed quia ſuſpicor ex repudiatione graviora diſcrimina univerſali Eccleſiae imminere, ideo divino auxilio ſuffultus munus hoc ſacroſanctum vobis praeſentibus aſſumere ſtatuo. Et quia ad hanc dignitatem ſua inſcrutabili praeſcientia me vocare dignatus eſt, ſpero illius gratia me idoneum miniſtrum evaſurum. Atque hujus acceptationis peto a praeſenti Notario fidem; voſque teſtes rogatos volo, injungens vobis nemini rem geſtam dixeritis. Et licet videar in meam commendationem praefata ſcripſiſſe, Deus eſt mihi teſtis quod non mentior, nobis praeſentibus duntaxat

acceptasse Pontificatum. Quae delectio seu testimonium non parum extulit nos propter bonam fiduciam ac opinionem, quam erga nos beatissimus Dominus Noster conceperat. O felix Victoria tanto & tali Christi vicario illustrata, &, ut sic loquar, benignitate & bonitate plena! Tuae Provinciae primas gaude. Postmodum vero cum domesticis antiquis aliquot dies tanquam familiaris sum versatus.

## CAPUT III.

### *De Praeparatione itineris & bellica expeditione.*

Interea vero, cum forsan a portatore brevis sacrae electionis simultates Italicas tyrannosque quosdam usurpasse nonnulla Ecclesiae municipia noster Pontifex intelligeret, naves parat ducesque nominat, exercitum colligit, quorum generalem creat Dominum Comitem [1] *Ferdinandum de Andrada*. Et Dominus *Inicus de Velasco* Comestabilis & Dominus *Fredericus* Castellae Amiras, ejusdem Pontificis in gubernatione Hispaniarum collegae, Imperatoris nomine obtulerunt ei quatuor triremes, quarum Capitaneus erat Dominus *Joannes a Velasco*. Qui cum, ut suspicor, intellexisset beatissimum Papam constituisse generalem Ducem exercitus & navium praedictum Comitem, eumque sibi praetulisse, ne sub ejus imperio militaret, renuit cum illo ire; sed non propterea cessarunt abire triremes. Parat etiam supellectilem & omnia ad iter necessaria. Tandem peractis omnibus, quarto Idus Martii ejusdem anni ab urbe Victoria egreditur satis numerosa stipatus caterva. Nempe aderant gubernatores & multi magnates & nobiles; quamvis Dominus Amiras, tum propter debilitatem, quia gracilis & aeger, tum etiam quia nuper expugnaverant Galli oppidum Fuenterrabia, & cum hostes essent ad limina, ne omnes gubernatores partes illas desererent, statim ad stationem reversus est. Comestabilis autem cum caeteris magnatibus & turba magnifice est comitatus beatissimum Papam in oppidum de *la Puebla*; ubi, eo quod esset dominus oppidi, honorem, quem potuit tanto Pontifici, nixus est exhibere. Die sequenti in villam de *la Reina*, ubi erat palatium celebre impensis Domini *Joannis a Velasco* quondam Episcopi Calagurritani extructum, pervenit, ibique illa nocte requievit. Pridie Idus ejusdem mensis hinc discedens, [2] in urbem divi Dominici, ejus sepulchrum sacrosanctum videndi

1 *Ferdinandum de Andrada.*] De quo egimus ad Jovium cap. x.

1 *In urbem Divi Dominici.*] Hunc *Dominicum*, Praedicatorii ordinis conditorem, patriam habuisse

dendi avidus, cum magna pompa & solenni fuit ingressus. Quae quidem civitas caput est Provinciae appellatae Rioia, nequaquam minima tanto decorata Divo & defensore Dominico, nec non cathedrali Ecclesia ad invicem Calagurritanae unita, vulgataque ubique terrarum propter gallum & gallinam, de qua ob ejus ubertatem dicit adagium: *Si Castella esset vaca &c.* etsi hoc adagium in nostra Carpetania multis sit ignotum. In hac urbe permansit duobus vel tribus diebus. Interim magister *Joannes de Oria* a fratribus Dominicis incusatus fuit super certis propositionibus, quas ipse defensare pollicebatur in concione publica, sed ob temporis angustiam in futurum terminandas beatissimus pater, ut suo loco assignabimus, reservavit. In urbem hanc Dux de Najara venit deosculaturus beatificos pedes; cui Comestabilis, extra civitatem egrediens, magna nobilitatis caterva occurrit. Et ambo alacres mutuo colloquentes, quamvis in locis illis fuerint capita factionum *Ognezinorum* & *Gamboinorum*, semen antiqui serpentis, civitatem ipsam laeti intravere. Deinde postquam ea reverentia, qua debuit, magnus ille Dux affatus fuerat sanctissimum Dominum, precatus est, ut urbem suam de Najara territoriumque visitare ac benedicere dignaretur. Et licet ob aëris intemperiem, qui, ut ferebatur, civitatem illam infestabat, alia via Lucronium adire decreverat, devictus tamen Ducis deprecatione, quoniam instantissime eum exoraverat, in urbem illam munitissimam situ maris & castris cum suo comitatu conscendit; in qua obsonia sanctissimo Pontifici ejusque comitibus jussu Ducis fuerant satis laute parata. Una tamen nocte Najarae moratus, die sequenti valde mane Lucronium versus proficiscitur. Et quamvis transiret juxta moenia loci de Navarret, illum intrare renuit, hac forsan de causa, quia ibi in arce propter seditiones communitatum Zamorensis Episcopus detineretur. Etsi a multis flagitatus, noluit ipsum videre, contentus visitatione suo nomine facta per dilectum suum Doctorem *de Agreda* protomedicum.

## CAPUT IV.

*De Honorifica receptione a Lucronensibus habita in Pontificis adventu.*

Hora autem nona ante meridiem Lucronium pervenit subjunctum parva intercapedine a Navarret. [1] Urbs ipsa est amoena, intus & extra habens

isse Calervegam, oppidum Uxamensis Episcopatus, non vero Calagurrim, uti vulgo creditur, tradit Schottus in Bibliotheca Hispaniae tom. I. cap. V. pag. CIV.

1 *Urbs ipsa est amoena.*] *Elegans oppidum* dicitur a Schotto in Biblioth. Hispan. tom. I. c. V. p. CVII. *Antonii*

bens arbuſta & vineta pulcherrima terramque feraciſſimam; quam percelebris Iberus alluit, & radices utriuſque Cantabriae veteris deſertae atque dirutae, olim capitis Provinciae Cantabrorum, & novae, quae appellatur Lucronium; quae cum antea Pontificis adventum praeſciviſſet, multa ad ejus occurſum paraverat ſub hujuſmodi forma, ordinans quidem pedites habitu & arte militari compoſitos numero ſexcentos, nec non equites levis armaturae triginta aut quadraginta; qui ſuo more per gyros huc atque illuc vertentes currebant. Pedites vero bellico ordine ſuis ſclopetris (ut verbo utamur novo [1] *Antonii Nebriſenſis* in capite ſeptimo de deditione Zamorae Regi *Ferdinando* in ejus chronicorum libro quarto) plumbeos globulos jacientes, ſtrepitum ingentem faciebant. Hos ſequuti ſunt clerus & populus ſolenni pompa. Et cum Papa ex itinere atque calore defatigaretur, hujus proceſſionis ordinem proſequi, ne diu moraretur, noluit; ſed adorato crucis vexillo tranſiens, proceres urbis & turbam praeceſſit. Tandem cum propius civitatem accederet, aderant ſtrenui cantores in fornicibus arboreis ad exemplar antiquorum, tantum adventum celebrantes. Deinde cum magis appropinquaret, erant multa tormenta bellica, bombardae, colubrinae, ſerpentinae, aliaeque ſulphurariae machinae ignivomae tam ex urbe quam ex Gallis paulo ante, cum civitatem illam obſediſſent, captae, quarum tonitribus terra undique reſonabat non aliter quam ſi fulmina ex caelo caderent. Cum vero portis inſtaret, tanta erat hominum turba, ut nec muri nec campi eam capere poſſent, ut vix Pontifici maximo aditus pateret. Nec mirum, quoniam ad ſpectaculum novum ex Navarra & Celtiberia aliisque diverſis locis convenerant. Et cum jam, licet difficile, introiret, quia multitudo in eum irruebat pedes ejus deoſculatura, per viam tapetibus & aliis pannis pretioſis magnifice ornatam usque ad hospitium reverendi patris *Roderici de Cabredo* ſui hospitis pervenit. Et quamvis ſubtili ingenio alii fornices exiſtebant, quibus comoedia tanto viro digna declamatorie repraeſentabatur, tamen ipſe obtuſis auribus pertranſiens, in palatium honorifice receptus eſt; ibique duos aut tres dies demoranti decuriones ſplen-

1 *Antonii Nebriſenſis.*] Celeberrimus hic rerum Hiſpanicarum ſcriptor, rerum a Ferdinando & Eliſabetha geſtarum decades duas & belli Navarrienſis libros duos ſcripſit, qui exſtant in *Hispania illuſtrata Schotti.* De quo teſtatur Joan. Vaſaeus in Chronico Hiſpaniae cap. IV. §. XX. *Antonius Nebriſſenſis natus eſt in Boetica, qui litteris ac diſciplinis omnibus, quibus eo tempore florebat Italia, tanquam ex longa ſiti avidiſſime hauſtis, atrox, quoad vixit, & crudele bellum cum barbaris geſſit. Quod ſi propter inſitas inveteratasque mentibus hominum perſuaſiones conficere omnino non potuit, magna certe ex parte fregit ac debilitavit. Hic quidem fuit magnus Hiſpaniae Ariſtarchus, praeclarus orator, multae & variae lectionis; ſed hiſtoriam, quam de rebus geſtis a Ferdinando auguſtiſſimo Rege conſcripſit, tenui ac dejecto quidem ſtilo, parumque diligenter eſt proſecutus, ſive quod magni viri ſit (ut ait Cicero) hiſtoriam conſcribere, ſive quod Ferdinandi Pulgaris (quod negare equidem non poſſum) in ſermone Hispano eloquentiſſimi inter-*

ſplendide victum nec non familiae neceſſaria exhibuere. Hinc in oppidum de Alcanadre profectus, ibidem pernoctavit. Die proxima, hora nona, in antiquam urbem Calagurrium receptus, ſolenniter cum mimis & larvis aliisque hujusmodi ludis, jucunde comitatus in Eccleſiam cathedralem, ubi [1] beatorum *Emeterii* & *Celedonii* corpora requiescunt, & poſtmodum in domum venerabilis Archidiaconi Calagurritani pervenit. Et admodum reverendi Decanus & Capitulum ipſius almae Eccleſiae, in recognitionem dominii, duas aut tres mulas egregie phaleratas Pontifici ſunt elargiti, intellecta Apoſtolicae camerae indigentia, quae, ut inferius dicetur, expoliata ſuis pretioſis pignoribus, quaſi deſerta permanſit, aliaque cumulatiora munera praeſtituri ſi valuiſſent; ſubvenire tantae neceſſitati; tamen pro itineris ſubſidio libentiſſimo animo illa parva dona contulere: quae non ut parva, ſed ut magna, accepta ſunt a beatiſſimo Domino Noſtro, potius qualitatem quam quantitatem conſiderante. Prope moenia hujus urbis Iber praeterfluens, ad partem orientalem pertranſit. Ex parte auſtrali rivulus quidam illi magis accommodus eam abluit, rigansque ſegetes & prata. Una tamen die ſanctiſſimus Pontifex manſit in hac civitate; ex qua profectus contulit ſe altera die in municipium belligerum de Alpharo, & loci ſitu & hominum ſtructura munitiſſimum; quod etſi circumvallatum oppidis & villis regni Navarrae, tamquam ſigniferum Regis Caſtellae permanſit; ubi fronte hilari tormentis ignivomis aliisque ſignis laetitiae laetanter exceptus eſt. Et hinc Dux de Najara, qui Pontificem comitatus fuerat, tibicinibus dimiſſis in Pontificis miniſterium ad propria rediit. Noſter tamen Pontifex iter proſequens in Tudelam civitatem Navarrae, juxta quam idem Iber decurrit, ſuſceptus eſt non minore laetitia & ſolennitate quam alibi. Ibique Decanus Tudelenſis hoſpes Pontificis ſumptus magnificos prae caeteris exhibuit. Hem Tudelam miſeram! quondam pulchriorem ceteris Navarrae urbibus, factam deformem, poſtquam juſſu magnificentiſſimi ac illuſtriſſimi Cardinalis Domini *Franciſci Ximenez*, Archipraeſulis Toletani & Hiſpaniarum gubernatoris, [2] muri diruti ſunt, arxque corruit; ut merito de illa dici poſſit: *Quanta qualisque fuerit, ipſa ruina docet.* Gemebant enim

*interpretem (ut fama eſt) perfunctorie egerit.* Et in cudendis Graecis vocibus Dynaſtarum Hispaniae riſum concitaſſe tradit Schottus tom. II. Biblioth. Hispan. pag. CCCLI. qui & tom. III. pag. CCCCXLIX. fata ejus & opera recenſet. Vide & de eo Miraeum de Scriptor. Seculi decimi ſexti cap. I. §. LIV. & Sander. III. de Clar. Anton. p. CLXX.

1 *Beatorum Emeterii & Celedonii.*] De his fratribus, qui apud urbem Legionem Martyrium ſubiiſſe dicuntur, videndus Lucius Marineus Siculus de Reb. Hiſpan. lib. V. Vide & Schotti Biblioth. Hispan. tom. I. cap. V. p. CIV. & CVI.

2 *Muri diruti ſunt.*] Hanc, ut & praecipuas urbes & caſtella, Cardinalis Ximenes, poſt mortem Ferdinandi Navarram conſervare volens, munitionibus ſuis orbaverat, vid. Loys de Mayerne Tur-

enim incolae profpicientes deformitatem, qui antea viderant percelebrem & illuftrem. Quam tamen Iberi impetus laetificat, quae terram laetam arboribus continet vinetisque cultam. Huc Prorex Navarrae Comes de Miranda cum multis proceribus ad deofculandos pedes facros Pontificis, eadem die Pampilonam reverfus, advenit. Et cum Tudelae Chrifti vicarius duobus recreatus effet diebus, propofitum iter non intermittens, in oppidum de Mallem devenit. Die fequenti in villam de Pedrola Domini Comitis de Ribagorfa abiit; ubi comiter exceptus eft. Ac forte cum Comitis conjux nuper filiam peperiffet, humaniffimus Pontifex in facro fonte illam abluit, *Adrianamque* illi nomen impofuit; & tam praetextu adventus novi, quam gratia natae filiae celebrata funt fefta plurima, & Mauri chorizantes exhilaravere Pontificem. Die vero fequenti noftro almo aurigae Caefarauguftam verfus proficifcenti novem miliaribus Vicerex Arragonum cum fuo fatellitio & tibicinibus infigniisque regalibus occurrens, multis militibus affociatus, pedes facros deofculatum advenit. A quo loco in Caefarauguftam usque gregatim hic inde vifuri Pontificem homines confluebant, cum re ac cognomine maximus effet; adeoque iter totum occupatum erat populo, ut nihil aliud quam hominum offendiculum haberes. Et jam prope meridiem quarto Calendas Aprilis, aeftuante calore, in palatium extra muros civitatis, vulgo Adiaferia appellatum, mirifice ornatum, divertit.

## CAPUT V.

### *De Celebri ingreffu Pontificis in urbem Caefarauguftam.*

Poft aliquot dies hoc ordine beatiffimus Pater ingreffus eft urbem. [1] Comites & aliqui nobiles cultu & caeftibus expoliti, quos potius Principes quam magnates judicares, fanctiffimum Patrem in fua pontificali fede deferebant. Hos praecedebat clerus & populus cum crucis vexillo; quem ordo equefter cum nobilibus regni poftmodum fequebatur; & tanta erat turba huc & illuc divagata, ut non liceret ultra neque citra moveri; atque non parvo labore potuit arceri, quia omnes volebant tangere pedes fanctiffimi Patris. Nec admirandum fane, cum ad hoc ex diverfis locis conveniffent. Denique vix teftudineo, quod ajunt, gradu ingreffi funt urbem; ubi gravior labor & preffura, quia viae ftrictae non fine-

Turquet Hiftoire Gener. d'Efpagne liv. XXVI. §. XX.
1 *Comites & aliqui nobiles.*] Quomodo Hadrianus hic receptus eft, narrat & P. Martyr Epiftol. DCCLVIII.

Sanctae

ſinebant nos prae multitudine incedere. Tandem longa gravique presſura in baſilicam Caeſarauguſtanam ingreſſus, facta oratione, absque mora ad Archipraeſulis palatium divertit, ut tantam fugeret turbam; eademque elabente die reverſus, ad ſuum percelebre hoſpitium ſe contulit.

## CAPUT VI.

### *De Benedictione ſolenni palmarum per Pontificem facta.*

Dominica vero quae dicitur in ramis palmarum, ut morem Eccleſiae paſtor univerſalis obſervaret, intra palatium ſolenniter, ut Romae fieri ſolet, cum pompa ramos benedicere ſtatuit, diſtribuereque adſtantibus. Et per ſecretiora loca paucis comitantibus ad benedicendum populum in eminentiorem partem palatii aſcendit. Aderat enim tanta hominum copia munus ſuſceptura, ut magis admirandam quam numerandam eſſe cenſuerim. Mea quidem opinione plures conveniſſe quam Romae crediderim. Quod contingere ideo potuit, quia omne rarum pretioſius eſt. Natura enim ſumus novitatum cupidi, cum ipſa ſemper aſſueverit novas edere formas. Et quia Romae frequentius ſimiles fiunt benedictiones, facile eas urbani contemnunt. Feria ſecunda majoris hebdomadae, majoris inquam, quia in ea majora chariſmata celebrantur, ſcilicet inſtitutio dominici corporis, ac paſſio ſalutis & redemptionis noſtrae, ex qua ſacramenta fluxere, religioſiſſimus piiſſimusque Pater, ut opere & exemplo oves ſuas inſtrueret, in monaſterium [1] ſanctae Engratiae ordinis divi Hieronymi ſeceſſit, abſtinens a negotiis; quae licet expediri oporteat, his tamen diebus usque in octavam reſurrectionis ſecundum juris diſpoſitionem decet ab eis conquieſcere; cujus non ignarus Pontifex, ut liberius divinis vacaret, ad octavum Cal. Maii ibi permanſit.

## CAPUT VII.

### *De Promulgatione regularum Cancellariae, ac creatione officialium.*

Prima vero die Maii regulas Cancellariae a ſe noviter editas in metropolitana Eccleſia publice & ſolenniter promulgari juſſit; per quas omnes

1 *Sanctae Engratiae.* ] Haec pro religione Chriſtiana cum octodecim ſociis mortem violentam ſubiiſſe fertur. vid. Schotti Biblioth. Hiſpan. tom. I. cap. v. p. CIII.

Quamvis

omnes reservationes & expectativae, ut in ipsis continetur, revocabantur; atque a die illa negotia undecunque sub annulo ([1] quamvis ab aliquibus esset dubitatum utrum Papa ante coronationem facere posset) expediebantur. Quod jure ambigeretur, nisi extravagans Clementis quinti postmodum emanasset, quae omnia per electum Pontificem absque coronatione geri disposuit. Et ne ab aliquibus dubitetur, dignum duxi huic opusculo eam inserere; cujus verba sunt: * *Quia nonnulli, prout accepimus, contra doctrinam Apostoli, suae prudentiae, quin potius imprudentiae, innitentes, ac disceptare super his quae non expediunt eis satagentes, asserere non verentur, quod summus Pontifex ante suae coronationis insignia se non debet intromittere de provisionibus, reservationibus, dispensationibus, & aliis gratiis faciendis, nec se in litteris Episcopum simpliciter, sed electum Episcopum scribere, nec etiam uti bulla, in qua nomen etiam exprimatur ipsius, nos talium temeritates compescere cupientes, singulos, qui occasione hujusmodi aliquas literas nostras super negotiis quibuscunque confectas, quae a nobis ante coronationis nostrae insignia emanarunt, ausi fuerint impugnare, excommunicationis sententia innodamus. Datum apud Pessacum Burdegalensis dioecesis anno secundo.* Et cum ita cautum esset, ut causae confluentium ad curiam citius expediri possent, Dominus Noster supplicationibus examinandis ac negotiis agendis quatuor duntaxat, reverendissimum inquam Dominum *Joannem a Tavora* tunc Civitatensem Episcopum, integerrimum patrem, qui postmodum Archiepiscopus Compostellanus creatus est, atque consilii imperialis praeses, nec non tituli sancti Joannis ante portam Latinam Cardinalis bene meritus, postremo vero Toletanus Archiepraesul ac Primas dignissimus, & Hispaniarum gubernator, Inquisitorque generalis: ac post hunc *Coldesanca* Doctorem dudum in Dertusensi Episcopatu ipsius Pontificis vicarium, doctum & in stylo curiae satis expertum: nec non *Didacum de Paternia* Canonicum & Abbatem sanctae Piae in Ecclesia collegiata civitatis Victoriae: & me indignum Doctorem *Blasium Ortiz*, in rebus illis parum expertum, praefecit Qui singulis diebus ad videndas supplicationes jussu Pontificis conveniebamus, cum eo communicaturi quae nobis viderentur concedenda aut deneganda. Huic quadrumviratui additus fuit praescripto sanctissimi Patris Auditor Camerae superveniens, homo

1 *Quamvis ab aliquibus esset dubitatum.*] An Hadrianus Papa electus, sed nondum coronatus, potuerit *indultas, reservationes*, & *expectativas* revocare v. vide apud H. V. R. in not. ad Heussen. Histor. Eccles. tom. II. p. CXXXIII.

Theodoricum

* Extant etiam apud Odor. Raynald. an. 1307. §. 27. & lib. 5. Extravag. comm. tit. 10. BALUZ.

homo egregius & in rebus Curiae conſpicuus. Deſignavit praeterea Datarium Magiſtrum [1] *Theodoricum* ipſius ſecretarium, virum timoratae conſcientiae, qui benigna quadam & dulci converſatione ſtudioſus virtutis omnes confovebat. Regeſto vero *Petrum de Roma* Flandrum, intractabilem & inexorabilem hominem; cujùs intuitu expeditiones gratiarum, ſi difficile a Pontifice, difficilius ab eo impetrabantur. Tantae vero difficultatis eam cauſam potiorem eſſe conjicio, quod prudentiſſimus Pater ſancto zelo largas & faciles gratias Leonis feli. re. ſui ptaedeceſſoris non approbaverat, qui ſua largitate omnibus petentibus ſe liberalem exhibebat. Et iſta expeditionis acerbitas ab exordio Pontificatus adeo in dies crevit, ut usque ad obitum Pontificis perduraverit.

## CAPUT VIII.

### *De Numero Praeſulum, ac illuſtrium virorum, Pontificem comitantium.*

In hanc itaque inclitam ùrbem Caeſarauguſtam tam Praelatorum quam illuſtrium & nobilium virorum copia magna convenerat; quos ne ſub ſilentio praeteream, obiter recenſere conabor. Et quia jure ac ratione eccleſiaſtici ſunt praeponendi, potiſſimum in Pontificia curia, ideo in ordine Praelatos praetuli. Quorum primus erat illuſtriſſimus ac piiſſimus Dominus D. *Alphonſus a Fonſeca* Archiepiscopus Compoſtellanus, poſtea Hispaniarum Primas creatus: qui juſſu Pontificis de prudentia ejus ac maturitate confiſi, Valentiam urbem pacandam ſuſcepit, quae in Caeſarem ob tumultus communitatum rebellaverat; quam tamen ad ipſius obedientiam reducere nequivit. Cauſas vero, quia extra propoſitum argumenti ſunt, aliis ſcriptoribus relinquamus. Aderat etiam reverendiſſimus ac perquam illuſtris Dominus Archiepiſcopus Roſanus, Dominus *Joannes a Fonſeca* Burgenſis, Praelatus maturo conſilio notabilis. Uterque ex celebratiſſima proſapia Fonſecorum oriundi erant. Intererat inſuper Archiepiscopus Caeſarauguſtanus, ex regali propagatione originem trahens; atque Archiepiscopus Montisregalis, ex familia inclita Ducis de Cardona, etiam ex ſtirpe regia oriundus. Et Dominus *Didacus Ramirez de Arellano* Episcopus Conchenſis, vir literatura ſingulari, &, ut

1 *Theodoricum.*] Scilicet *Hezium*. De quo vide ad Moringum cap. XXIV.

ut fertur, generositate praecipuus, ex clara progenie Dominorum *de Arellano*. Nec non Dominus *Fredericus de Portugal* Episcopus Seguntinus, strenuus prudentia, & nobilitate praeclarus, qui etiam a Regum prosapia ducebat genus. Atque Episcopus Lucensis, ad praesens in conventu juridico Granatensi ob merita & literarum peritiam Praeses. Ac Dominus *Didacus de Ribera* Praesul Segoviensis, ex familia insigni atque illustri Dominorum de Silva Toletanus. Aderat praeterea Dominus frater *Franciscus Ruiz* Abulensis Episcopus ordinis Minorum, Toletique ortus, omni virtute & venustate plenus. Adfuit etiam Episcopus de Pati, satis nobilis vir; nec non Episcopus Ilerdensis, literis & experientia praecipuus; atque Oscensis Episcopus, ex familia Dominorum *de Urrias*; ac Dominus Episcopus Scalensis Canonicus & Archidiaconus Hispalensis, in dictando & loquendo aeque Carpetanam ac Latinam linguam satis elegans. Et perquam magnificus Dominus [1] *Garsias Loaysa* in sacra pagina Magister laureatus, ordinis Praedicatorum Generalis, & consiliis sacrosanctae Inquisitionis praefectus, ex insigni genealogia, ut cognomen ejus indicat, temporis successu Episcopus Exomensis, atque Imperatoris conscientiae scrutator ac auditor, postmodum vero ad Ecclesiam Seguntinam promotus, adeptus Cardinalatus apicem, tractu temporum Hispalensem obtinuit sedem, Inquisitorisque generalis officium, cum omnibus consiliariis & ministris sancti officii inquisitionis; cujus consultores tunc aderant, videlicet Doctor *Manso*, qui postea Episcopus Pacensis, & deinde Exomensis Praesul, ac regiae cancellariae Pintianae Praeses, & Licentiatus *Maçuecos* Canonicus Toletanus, & Licentiatus *Polancus*, & Dominus Licentiatus *de Aguirre*; quorum novissimi duo erant etiam senatus Imperatoris consiliarii, qui tam nobilitate quam literis hos dignitatis gradus optime meruerunt. Huc etiam jussu Pontificis Dominus Magister *Gaspar de Avalos*, ex antiquo & claro genere illustris familiae de Avalos, Carthaginensis Canonicus, postmodum Guadixensis Episcopus, deinde Granatensis, demum Compostellanus Archipraesul creatus, tituloque cardineo decoratus, arcessitus advenit; quem propter eminentiam litterarum propriaque merita secum ducere cupiebat (quod raro aut numquam fecerat) noster Pontifex. Ille tamen justis ex causis, honestiori modo submittens se ordinationi Papae, excusatus ad propria redire decreverat. Adfuit Dominus Licentiatus *Franciscus de Herrera*, Canonicus Toletanus ac in Basilica Toletana regiorum sacella-

1 *Garsias Loaysa.*] Diversus hic a *Garsia Loaysa*, Archiepiscopo Toletano, qui concilia Hispaniae collegit, de quo vide Schotti Bibliothec. Hispan. tom. III. pag. DLXVIII.

Cum

cellanorum praefectus, qui deinde fuit Archiepiscopus Granatensis, ac conventus juridici Praeses. Et Dominus *Rodericus de Mendoça*, filius Comitis de Castro, postmodum Decanus creatus Toletanus, & Salmaticensis Episcopus. Aderant praeterea ex ordine equestri multi illustres viri, videlicet praedictus Dominus *Amiras Castellae*, qui, licet statura pusillus, virtute ac strenuitate praeclarus: ac *Marchio de Villena*, magna suorum consanguineorum & familiae vallatus caterva: atque *Dux de Luna*, & filius ejus *Comes de Ribagorsa*, nec non *Comes de Sastago*, & *Comes de Belchite*; & Dominns *Ferdinandus de Sylva* Toletanus, Capitaneus custodiae Pontificis, Commendatarius *de Hotos* & de *Guadalherca* ordinis sancti *Benedicti* nominati *de Calatrava*, quam *Oretum* antiqui dixere. Et ejus nepos filius Domini *Joannis de Ribera Marchionis de Montemajor*; ac *Blasius Cavellero*, re & nomine splendidus Eques, Canonicus Toletanus; & *Joannes de Roias*, ejusdemque Ecclesiae Canonicus, ex nobili prosapia & foecunda *de Roias*. Nec non *Joannes a Hurtado*, consobrinus Domini *Roderici Tenorio* Canonici Toletani; cum multis nobilibus utriusque Hispaniae, nomina quorum, ne prolixitate displiceam, sub silentio praetereo. In hanc praeclaram urbem se contulit perquam illustris ac reverendissimus Dominus Cardinalis *Caesarinus*, vices sacri collegii gerens, de quo inferius habendus est sermo, & quidam Episcopus Ungariae regni valde doctus; cujus dioecesis cum invaderetur a Turcis, velut pastor sine grege abactus, ad Pontificem supplex confugit; cui praefatus Dominus Episcopus *Conchensis*, hospitium & victum magnifice tribuebat, tum propter indigentiam illius ac dignitatem, tum etiam propter cladem & excidium, quod passus est. Quis enim ejus non misereretur, qui ex divite pauper, ex incola exul errabat, [1] cum inter omnes adversitates infelicissimum infortunii genus sit fuisse felicem; praesertim cum fuerit senex probus & eruditus. Et cum pacificus noster Papa vellet omnia inter Reges Christianos pacare bella & seditiones, quas frequentes ebullire videbat, hunc probum virum Ungariae Episcopum in Franciam, Angliam, & alias regiones ad pacem componendam misit; frustra tamen, cum nullus inde effectus concordiae manaret. Huic bene merito Episcopo viaticum & alia dona tribuit magnificentissimus Praesul Conchensis, qui omnibus affluenter munera conferebat. Caeterum, ut ad institutum redeam, tanta hominum varietas occurrebat ad videndum Pontificem, & ad negotia expedienda, ut nemo prorsus explicare posset. Ideo, ne infensus lectoribus judicer, his supersedendum censeo.

1 *Cum inter omnes.*] Vid. c. consideranda dist. LXXXVI. & ibi glossa.

censeo. Et quamvis negotia instarent, ac temporis angustia ad iter agendum urgeret, non immemor fuit claviger fidei earum propositionum, quarum accusabatur *Joannes de Oria.* Assignata itaque die, Pontifice nostro pro tribunali sedente, & libram, quod aiunt, & pensum in utraque manu ferente, astantibus multis viris Theologica laurea decoratis, proponuntur conclusiones, in quibus Magister ille *de Oria*, ut intelligere potui, cum expeditior ab eo expectaretur defensio, in publica disputatione succubuit. In qua magna & illustria de nostro doctissimo Pontifice dicta sunt praeconia, & merito; quoniam qui honore praestantior erat, alios scientia praecellere debuit; quemadmodum turpe esset quempiam imperare, qui in omni genere virtutis subditos suos non antecelleret. Et quia discussio dictarum propositionum palam in sacro palatio fuit habita, non opus est singula quaeque referre, cum se res ipsa indicaverit. Hoc ultimum memoria dignum Caesaraugustae peractum est, licet multa alia digna contigerint, quae perlongum esset ac fastidiosum perscribere.

## CAPUT IX.

### *De discessu a Caesaraugusta Dertusam versus.*

[1] Ab hac illustri & amoena urbe, quam praedictus Iber praeterfluit, tertio Idus Junii ejusdem anni sanctissimus noster Pontifex, magna stipatus turba, Dertusam versus progreditur. Et quia interjacentes vici erant parvi & virorum copia magna, diversis itineribus in illam concedere coacti sumus. Et hac die in oppidum de Pinna sex leucis a Caesaraugusta sejunctum devenimus; ubi illius dominus Comes de Sastago esculenta & poculenta copiose omnibus sine discrimine donavit illac iter agentibus. Die proximo per villas ignobiles in oppida de Caspi & Favera beatissimus Pater se conferens, sequenti die per alia parva loca obiter transeundo per partes clivosas, non parvo labore vigilia sacratissimi corporis Christi ad Dertusensem civitatem appulit, quam alluit praedictus amnis; in eamque per ligneum pontem ingressi sumus. Hic primum humanitatis morumque dissidium experti sumus, cum in Castella mitissime, in Aragonia pie tractaremur. Hospitatusque est Pontifex in Episco-

1 *Ab hac illustri.*] Insalutatis Caesaraugustanis Hadrianum iratum hanc urbem reliquisse, ob quaestorum voracitatem, qui sub portuariorum specie aperte depraedabantur, & mille afficiebant injuriis peregrinos & adeuntes quosque, & praecipue quia pretiosum calicem aureum, quem Clerus Salamantinus ipsi dono miserat, quaestores a nuntiis rapuerint, sub praetextu, quod eis calicem non manifestaverint, quo vectigal statutum eis praeberetur, narrat P. Martyr in Epistol. DCCLXII.

*Expectare*

Episcopali palatio. Die vero ſacratiſſimi corporis Chriſti ſummus Chriſti vicarius ipſum corpus Chriſti, Praelatis comitantibus, cum multis deauratis equitibus innumeraque caterva, quaſi alter David, religioſiſſime cum ſpirituali gaudio ſuis manibus deferebat; expletaque ſolennitate, ingenti comitatu ad palatium eſt reverſus. Haec autem civitas etſi aliquo modo videretur in laetitiam concitata felici tanti paſtoris adventu, non tamen eo modo, quo in regnis *Caſtellae* & *Aragoniae*, ſuſcepti ſumus. Aliter enim victitant Catellani, quorum mores multum differunt a noſtris. Ductor vero noſter vigilanter agens, tam in negotiis expediendis, quam in claſſe paranda operam navabat. Et cum navigationis tempus inſtaret, velletque in his locis ſuas vices committere, Nuncium Apoſtolicum reliquit Dominum *Bernardinum Pimentel*, virum illuſtrem, ſinceri animi, vividaeque mentis, conjugatum tamen, rem ſane novam hominem ſecularem Apoſtolicum creari Nuncium. Sed Papae lex imponi non poteſt, cum omnia jure poſſit. Attamen ipſius Domini *Bernardini* probitas & honeſtas omnium ora occludebat. Tanta vero erat aviditas Pontifici noſtro viſendi limina Petri ſedandique Italiam, quae tota ſeditionibus & factionibus agitabatur, tanta denique erat illi anxietas ſuum munus obeundi, ut neque Imperatorem noſtrum Caeſarem, quem ipſe tamquam filium educaverat, quamvis certior de ipſius in Hiſpanias adventu factus eſſet, [1] expectare voluerit. Itaque hujusmodi negotiis intendens, usque in octavum diem Julii in illa urbe commoratus eſt.

## CAPUT X.

### *Incipit navigatio Adriani ſexti Pontificis maximi.*

Cum beatiſſimus Pater commoraretur in illa bene fortunata tantoque decorata Pontifice Dertuſa, cui ipſe paulo ante praefuerat, & tempus navigationis inſtaret, quaſi repentino motu hora ferme tertia poſt meridiem, die Martis, octavo Idus Julii ejusdem anni, nimio aeſtuante calore, egreſſus eſt in portum memoratu dignum, qui vulgo dicitur *de Ampol-*

[1] *Expectare voluerit.* ] Jam ſupra in notis ad Jov. cap. x. obſervavimus diſſentire hic ſcriptores, quorum quidam tradunt Caeſarem Carolum Hadrianum, antequam ex Hiſpania ſolveret, videre exoptaſſe, alii vero. ut Pontus Heuterus, Hadrianum antequam Italiam peteret, voluiſſe colloqui cum Carolo, verum Carolum illud colloquium recuſaſſe, & ipſi reſcripſiſſe, ut maturaret iter & Romam iret. Cum Ponto Heutero faciunt P. Martyr in Epiſtol. DCCLIII. & DCCLVIII. & Haraeus in Annal. Brabantiae ad ann. MDXXII.

*Ampolla*, a praefata civitate quatuor leucis diſtantem, non tamen tali ac tanta ſtipatus caterva, quanta tantum ſtipari Pontificem oportebat. Nemo enim tam intempeſta hora ipſum abiturum arbitrabatur. Itaque cum fama ad aures omnium pervolaſſet, videres Archiepiſcopos, Epiſcopos, illuſtres, ac nobiles, per invia & inacceſſa arbuſta & rupes pererrare, ſuum beatificum ducem ac aurigam (mirabile viſu) aſſequentes. Et ne longa praefatione faſtidioſus videar, magna pars comitatus ad praedictum portum in noctis crepusculo pervenerat; ac expedite ſanctiſſimus Pater cum ſua inſigni & praeclara familia triremes aſcendit; quae licet numero octo cum ſcapha vulgo *vergantin* appellata, principem Eccleſiae feſtive receperunt ſuis tormentis ignivomis, ut moris eſt. Hic beatiſſimus Pater in ſequentem diem ob temporis intemperiem permanſit. Recreationis tamen cauſa paucis comitantibus ante ſolis occaſum eodem die, quo illuc appulimus, in littora exiens, dum escae parabantur, huc & illuc deambulabat. Poſt coenam in ſua navigia reverſus eſt. Namque ab hora quarta noctis haud parvo remigum labore totam noctem navigavimus.

## CAPUT XI.

### *Ingreſſus deſcriptioque urbis Tarraconenſis.*

Tertia vero hora poſt ſolis ortum, ſexto Idus Julii adivimus Tarraconem. Caeterum beatiſſimus Pontifex, quamvis ex navigatione aliquantulum fatigatus, [1] ſuae laudabilis conſuetudinis, quam multis retro annis obſervaverat, memor, priusquam urbem ingrederetur, in coenobium divi Dominici extra muros Miſſam celebravit. Interea autem clerus & magnates urbis cum plebe accingebantur Chriſti vicarium recepturi; quem non parva ſolennitate & jocularibus pompis in ſuam introduxere antiquam & celebrem civitatem, Eccleſiamque arte & ingenio illuſtrem, in qua cum orationem praelibaſſet, ad Archipraeſulis properavit palatium, ubi non ſegniter ſe gerens in negotiis expediendis claſſeque paranda, quam aliquandiu demoratus expectavit, nec non Centuriones miſſos ad milites conſcribendos, ut ſimultates tumultusque Italicos pacaret, praeſtolatus eſt; quorum geſta breviter ſuis locis recenſebimus. Nos tamen cum eſſemus in procinctu navigationis, a negotiisque aliquantulum vacaremus, hanc urbem & ejus antiquitatem & Provinci-

[1] *Suae laudabilis conſuetudinis.*] Moris enim ipſi [nihilque peragere, niſi antea re divina celebrata, fuiſſe ſemper exoriente aurora prodire e cubiculo,] tradit P. Martyr in Epiſt. DCCLVII.

In

vinciam describere non ab re fore putavimus. Erat enim ista inclita civitas quondam Romanorum emporium, caputque Provinciae Tarraconensis, juxta veterum descriptionem ferme duplae ad Hispaniam ulteriorem. Hanc urbem Romani quasi propriam stationem sibi vindicabant. Quorum monumenta ac litterae in eis sculptae, atque colosseum ad Romani amphitheatri exemplar, sunt evidens argumentum. Haec meridiem versus ad mare nostrum adjacet, murorum ambitu & situ satis munita; licet tempore quo floruerat, numero inhabitantium copiosior fuerit; ut ex ipsa murorum ruina perpenditur. Causam vero depopulationis non aliam quam defectum aquarum fuisse arbitror, id quod vetustae cisternae, unde aqua pluvialis hauritur, ostendunt. Continet praeterea Ecclesiam Canonicorum regularium jam praedictam, cui subsunt sex Episcopatus, *Barchinonensis*, *Ilerdensis*, *Dertusensis*, *Urgelensis*, *Gerundensis*, & *Elnensis*. [1] In hac nonnulla corpora & sanctorum reliquiae coluntur. Est etiam domus quaedam conventualis satis insignis, ubi antiquitus regulares vescebantur Canonici, quae veterem magnificentiam urbis demonstrat. His delibatis, interrupta resarciamus. Cum animus itaque Pontificis esset quam brevissime transfretare ac visere Apostolorum basilicam, post longam tandem navium, triremium, militumque expectationem, in die festivitatis intemeratae virginis, quae ob nivis miraculum celebratur, ad portum omnes convenerunt; tantaque fuit sanctissimi Patris laetitia, ut eadem die persolutis in aede sacra vesperorum solennibus, quibus ipse interfuit, ut exemplo suo nos instrueret, non minori pompa & jucunditate quam fuit receptus, ad littora progreditur. Tantum vero tota illa ora maritima resonabat strepitu bombardarum, & murmure suum Pontificem conspicientium, ut nemo ferme posset quae agebantur perpendere. Et priusquam summus Pontifex triremem conscenderet, magnatibus & nobis talia fatur. *Quas laudes Domino nostro Jesu Christo exhibere debeamus, nec mens concipere, nec lingua exprimere potest. Multa quidem & antea meminimus a larga Dei manu recepisse, ac innumerabilia circa nos ejusdem beneficia confitemur; pro quibus nec meritas quidem gratias egimus, nedum retulisse cognoscimus. Prae omnibus tamen hoc, quod nunc omnipotens Deus pro sua benignitate & clementia in nos conferre dignatus est, omnium hominum sensus excedit. Nunc vero post tot tantaque beneficia, quae nobis divinitus contulit, illud de Domini nostri misericordia speramus, votisque omnibus deprecamur, ut omnes oves commissas firmas & illaesas ipse custodiat, nosque faciat* eas

1 *In hac nonnulla corpora.*] Vid. Schotti Biblioth. Hispan. tom. I. cap. V. pag. CX.

Beatissimae

*eas secundum suam voluntatem & beneplacitum firma & inconcussa fide gubernare. Quod etiam deprecantes, suffulti precibus Deiparae Virginis exoramus; ut quicquid pro virium captu non valemus, ipse Deus suo nomine dignum efficiat.* Haec cum dixisset, comiter ab illis quos diutina conversatione & suavi eloquio demulserat, tristitia quadam se expedivit; & gratias pro tantis laboribus agens, mari, licet fluctibus concitato, se commisit. Nobiles vero qui illum fuerant comitati, per diversa itinera domum se contulere, illos felices esse proclamantes, qui sanctissimum Pontificem assequebantur, reliquos vero infortunatos. Deus tamen secretorum cognitor, qui non humano discernit judicio, aliter disposuerat; ut inferius demonstrabitur. Caeterum nonnulli ex familiaribus non existimabant sanctissimum Papam die tam solenni navigationem inchoaturum, quoniam haec non palam divulgabantur, propterea opinor, quia non erat in animo Pontificis tanta stipatorum turba onerari, ideoque aulica comitate in Hispaniam volebat eos dimittere. Vidisses multos ignavos, testudine, quod ajunt, pigriores, ad littora errantes; quorum alii in patriam remearunt, alii difficulter ad triremes pervenere; quos tamen ideo Pontifex non evocandos curaverat, quia nimia importunitate eos admiserat, tum etiam quia formidabat triremes non posse tot hominum copias capere, quae magnatibus patriciisque viris repletae jam fuerant. E quibus primus & praecipuus erat Cardinalis *Caesarinus*, ex priscorum Caesarum praeclaro sanguine oriundus, ut suo cognomento demonstrat, patria sane Romanus, qui, ut praediximus, a sacro Cardinalium senatu ideo in Hispaniam missus fuerat, ut eorum nomine maximo nostrati Pontifici reverentiam debitam exhiberet. Nec non *Lupus Hurtado* vice imperiali in hac navigatione fungens. In urbe tamen alius creatus fuit, nempe Dux *Suesanus Comes de Cabra.* Atque illustris orator Regis Anglorum, ac ambasiator Mediolanensis, Ducisque Ferrariae legatus. Et Episcopus Feltrensis. Quos quasi praecipuos ex omnibus segregare volui, quia perlongum esset omnium nomina recensere. Naves autem Centuriones cum exercitu & innumera turba conscenderunt; in easque etiam vasa argentea caeteraque Pontificis supellectilia congesta sunt. Et omnibus fere in navigiis receptis ante noctis crepusculum, mare gravius aestuabat. Propterea aliquantulum a littore nos oportuit discedere; & portum versus appellatum Solon, tribus hinc milibus passuum distantem, tendere.

CAP. XII.

## CAPUT XII.

### *Illustris admissio Pontifici a Barchinonensibus facta.*

Denique aequore sedato, iter prosequentes, labore astrictorum hominum, in triremesque damnatorum, Barchinonam hora quarta post meridiem sequentis diei accessimus. Haec civitas, inter alias Cataloniae praecipua, non minore ovatione quam reliquae universalem pastorem voluit recipere. Struxit namque pontem ligneum ab aqua ad terram usque protractum, tapetibus pretiosis ornatum, ut decebat majestatem Pontificiam, & urbis magnificentiam, quo venustius in praeclaram illam ac pulchram urbem intraret. Noster tamen Pontifex cum hinc inde tantam vidisset ad hoc spectaculum in ipsum pontem concurrentium turbam, suspicatus effractionem, renuit illum ingredi, & terrestri gressu civitatem cum pompa percelebri aliisque signis laetitiae adiit, & ad Ecclesiam augustiorem veniens, in qua corpus [1] beatissimae Eulaliae in sacello subterraneo subtus altare reconditum est, oratione ad Deum fusa voluit regredi ad sua navigia; sed ingens & repentinus imber obstitit. Quamobrem remanere coactus, ab Archiepiscopo Tarraconensi, qui tunc illius Provinciae Prorex erat, convivari sustinuit. Ministri autem alii in navigiis, alii in urbe quieverunt. Et intempestae noctis conticinio ecce bombardarum tonitrua, quibus non minus infimi quam supremi ordinis homines vocabantur ad triremes. Nam illud signum omnibus erat commune; neque quisquam, ni statim adfuisset, expectandus erat. Qua de causa multos ex familia Pontificis, tum ob horam importunam, tum ob celeritatem navigationis remansisse suspicor; quorum aliqui postea in navibus militaribus in Italiam evecti sunt, alii vero, cum neque naulum persolvere possent, neque victum haberent, ad sua redierunt. Et licet fuerit magna pressura ascendendi navigia, soliciti lintribus & scaphis ad suas triremes opportune pervenere. Secundo vento die Jovis ad portum de *sant Feliu* hora vesperorum concessimus. Sanctissimus vero Pater cum primatibus in oppidum descendens, visitata Ecclesia, ad coenobium Monachorum, quod prope aderat, coenatum veniens, statim se contulit in triremem, & classe quamprimum aptata, in portum cognomine sancti Pauli perveniens, ibi pernoctavit. Et licet portus de Palamox sit caeteris

1 *Beatissimae Eulaliae.*] De hac virgine vid. Lucius Marinaeus Siculus lib. v. de Reb. Hispan. & Schotti Biblioth. Hispan. tom. I. cap. v. pag. CII. & CVII.

caeteris celebrior, quia tamen peste laborabat, intactum reliquimus. Die Veneris adveniente luce, navigatione continua ventum est ad portum qui dicitur *la cala de Calella*, distantem novem milliariis, quo triremes convenerant; nuntiatumque fuerat quaedam navigia cum duabus biremibus, quas *fustas* appellant, prope adesse. Quapropter oportuit navigationem subsistere quousque per exploratores veritas patefieret. Qua cognita, intrepide hora tertia post meridiem profecti, post solis occasum venimus in portum cognominatum *de Rosas*; ubi illa nocte quievimus. Et proxima die magna navigantium copia ad divina audienda reficiendumque corpora in praedictum locum *de Rosas* concessit, propterea quod classis usque ad meridiem non esset discessura. Hic portus situs est in Emporiis, vulgo *Lampurdan*, feracissima Provincia Cataloniae, in qua proscripti, qui vulgo dicuntur *delats*, & possunt appellari profugi, versantur. Cujus Provinciae caput est *Gerunda*, quam *Gironam* dicimus. Praedicta hora opposito vento lacertis remigum, maritimam oram legentes, juxta opidum Cadaques transeuntes, levi cursu petivimus promontorium nuncupatum *Cap de Creus*. Vulgo significat *Cabo de Cruzes*.

Turbat hoc loco Ortizius. Nam solventibus a portu Barcinonensi primum occurrit portus sancti Pauli, deinde Calella, postea portus sancti Felicis Guixalensis, quarto portus de Palamos, quinto Rosae, sexto Caputaquensis portus, postremo Caput sanctarum crurum, vulgo *Cap de Creus*. BALUZ.

## CAPUT XIII.

### *Navigatio summi Pontificis postquam oram solvit ab Hispaniarum finibus.*

Et cum claviger Apostolicus ageret in Hispaniarum finibus, & ad limina Galliarum, utrum maritimam Gallicam oram, an altum legere expediret, ambigebamus, quoniam tutius est multo juxta littus uti remis, quam passis velis periclitari in fluctibus, quia non omnibus venti favent, etsi a Rege Franciae illac transeundi fides publica data esset, noluit, ut reor, noster Papa se illi credere. Quamvis multis ex familia cum jumentis, tum vectoriis, tum sarcinariis, praecepto Pontificis per Gallias illaesi & incolumes transierunt. Tandem satis consulte habita deliberatione, fuit decretum, ut sub divina protectione mari appellato *Golfo Narbonensi*, vento aliquo modo prospero nos committeremus. Et

quia

quia pelagus iſtud latiſſimum eſt infeſtiſſimum piratis & Sarracenis, more nautarum nomen ſancti Laurentii, cujus vigilia illa die obſervabatur, per omnes triremes in ſignum teſſerae indictum fuit. Hujus beatiſſimi martyris die cum ventus infeſtus flaret, viribus miſerorum remigum navigare coacti ſumus; quia jam hinc inde nimium a terra ſemoti occingebamur aquis. Veſpere autem nonnulli ex nautis terram Franciae aut Italiae ſe cernere teſtabantur. Nos vero inexperti, licet nihil intueremur, non minus in laetitiam hoc auſpicio concitabamur, ut tantam ponti vaſtitatem evaderemus. Poſt coenam, praemiſſa Pontificis ſalutatione, magno tubarum clangore, applauſuque virorum, tormentisque ignivomis, ut fieri ſolet, ante noctis crepusculum cantores tum Papae, tum Conchenſis Episcopi, in cujus trireme vehebantur, *Salve Regina* ſolenniter decantarunt; quorum concentus ſuaviſſime reſonabat. Atque expleto cantu, deſignatoque nomine beatae Barbarae pro noctis cuſtodia, ut moris eſt, aura felici, reſumptis viribus ad priſtinum láborem fuerunt compulſi illi miſeri remiges; magnaque parte noctis labori incumbentes, ante diluculum littora Maſſilienſia tranſivimus, quae noſtra claſſis, forſan ne ſe committeret Francigenis, noluit attingere; & orto jam ſole ad ripas Provinciae navigando, cujus principalis civitas eſt * Aſagis, etſi indigenarum numero fuerit copioſior Maſſilia, inſulas comperimus Errojas nomine tres aut quatuor inhabitatas, ut opinor, formidine piratarum. Et hac die proſpero vento ſolutis velis, veſpere, ut conſuetum eſt, accepto nomine beatae Magdalenae pro primis duabus noctibus per caput de Monterros appulimus ad inſulam beatae Margaritae, diviſam parvis aquarum canalibus, quibus ad eam difficilis patebat aditus triremibus. Adjacent praeterea inſulae Canoes; ubi celebre eſt monaſterium ſancti Auguſtini. Huc acceſſit Orator Marchionis Mantuani ſatis, ut decuit, magno comitatu ſtipatus. Deinde in aliam inſulam tendimus, ubi eſt coenobium ordinis ſancti Benedicti, cujus Monachi ob abſentiam Abbatis ſuppliciter deprecati ſunt Pontificem, ut aedem illam ſacram viſere dignaretur. Ad quorum preces ſua cuſtodia munitus beatiſſimus Pater in terram deſcendit; & cum Monachorum pompa ſolenni venerabilem illam domum ingreſſus, ſumptoque cibo, nulla media intercapedine temporis pari ſolennitate revertitur ad inceptam navigationem. Interea autem aliqui ex turba peragrabant inſulam, alii vero aquam & neceſſaria deferebant, & adveniente Pontifice, omnes uno ſigno conveniunt. Et haec cum aliis adjacentibus inſulis ſubſunt Regis Franciae ditioni. Ante vero quam inde diſcederemus, Episcopus *de Graſſa* illius conventus Abbas



* Aquae Sextiae.

bas festinanter deosculandos Pontificis pedes scapha strenue parata veniens, honorifice a Pontifice fuit receptus; quem ideo in lintribus multi sequebantur, ut desideratam sui pastoris faciem intuerentur. Non tamen vacui, sed uvas & poma ferebant, quae omnibus liberaliter more Gallico impertirentur. Hinc per Augustum canalem, qui potius flumen quam mare videbatur, utpote cujus aquae brevitas vix triremibus ipsis sufficeret, transeuntes per littora Provinciae usque ad Antibol. perreximus; deinde ad municipium *de Niça*, quae est Ducatus Sabaudiae, transivimus. Quas celebres Provincias & urbes medius fluvius intersecat. Eas tamen non attigimus, eo quod morbo epidimiae asserebantur infectae. Hac eadem causa pernoctantes in portu de *Villafranca de Niça*, jussu Pontificis absque commercio inhabitantium quievimus, licet alacriter suis bombardis & signis aliis hilaritatis nos salutaverint; & nisi Pontificis imperium obstaret, libentius exciperent. Huc Regis Gallorum Orator accessit; quem Pontifex noster animi laetitia oreque renidenti suscipiens breviter expeditum remisit. Hinc portum *Isam* nuncupatum adivimus; qui licet strictus, satis tamen amoenus erat. Quapropter ibidem Beatissimus cum suo comitatu aliquantulum demoratus est.

## CAPUT XIV.

### *Descriptio situsque municipii de Monago.*

Deinde municipium *de Monago* duobus vel tribus milliariis a praecedenti subiimus, quod natura (propterea quia situm est in promontorio ad modum peninsulae, quod paulum excurrit in mare contra meridiem) & manus artificum inexpugnabile reddidere; cujus praetextu, Genuensibus invitis, multo ante, ut ajunt, usurpatum detinebatur per quendam equestris ordinis virum Genuensium potestatem minime veritum. Nec mirum, quandoquidem municipium ipsum plura propugnacula contineat, muros, & antemuralia, nec non in superiori parte, aquilonem versus, turrim ad propugnationem satis fulcitam (ubi municipii dominus morabatur) instar castelli multis hinc inde munitam aereis tormentis, quibus, ut Pontificem exhilararent, laetitiae signa municipes ostenderunt. Et quamvis dominus *de Monago* ad triremem Pontificis ipsius pedes deosculaturus veniens, multa polliceretur, deprecatusque esset instantissime vellet domum & locum visere, Dominus Noster noluit assentiri, immo neque portui accedere. Et sic suo functus officio

regressus

regressus est; ac ex templo ab ejus portu quatuor triremes Genuenses exierunt, quarum dominus *Andreas de Oria*, exul a die expugnationis Genuae profugus exulabat. Multa enim damna ipse cum factione sua in illius civitatis calamitate & ruina pertulerat, ut inferius suo loco dicetur. Et parum a portu discedens, huc & illuc navigando nostram classem versus, foedera pacis ignivomis tonitribus demonstravit, cui nostri invicem responderunt, & quamprimum ad ipsummet portum remeavit, forsitan timens nostram navalem militiam; quoniam, ut fama erat, Dux ipse *Andreas* tunc partes Franciae sequebatur. Qua ex causa non est ausus nostras adoriri triremes; & jussu Centurionum, inscio, ut reor, Pontifice, omnia navigia & milites *Andreae de Oria*, animum ignorantes parabantur ad arma. Et eo fortassis *Andreas* tam cito in suam stationem se recepit. Ac cum multi nobiles Provinciales suis scaphis ad recipiendam benedictionem a Pontifice advenissent, eundem *Andream* inter eos adventasse ferebatur. id quod minime compertum est: neque opinandum quidem virum cautum & providum tam facile se Hispanis hominibus credidisse. Cumque hinc in littora Liguriae tenderemus, in qua etiam *Monago* jam dicta continetur, hisque visitationibus nonnihil moraremur, mare nullo agitatum vento aestuare coeperat. Quod cum tunc denuo navigantes conspexissent, illorum animos timor invasit. Propterea ambigebatur inter peritiores, utrum redire ad portum *de Villafranca*, an recta tendere, tutius esset. Tandem placuit Pontifici ulterius progredi; quoniam in votis erat & non levis affectus, ut viseret limina *Petri*, cupidus praeterea componendi inter Christicolas pacem, atque gerendi negotia, quae nequaquam extra urbem Romam agere ac finire posset. Cujusmodi zelus domus Dei curaeque pastoralis neque in mari, nec in terra Pontificem diu sinebat morari. Omnium praeterea animus cum voluntate Pontificis unus erat; ideoque in peragenda navigatione minime detinebatur. Progredientes igitur e regione nostrae classis quandam navem non procul a piratis captam conspeximus, idque, ut delatum est, jussu *Andreae de Oria*, quod vix credendum opinor. Utcunque tamen fuerit, cum vergantinus & alia navigia puppim illam oppressam circumstarent, nostram prospicientes classem, sicut nebulae ante solem repente evanuerunt. Ad illam vero Christi vicarius accedens, liberam abire jussit. Cumque triremes nostras sequi non potuisset, solam in fluctibus agitatam reliquimus. Ad rem igitur, a qua digressi sumus, redeamus. Die sequenti, vigilia Assumptionis intemeratae virginis Mariae, oppido cognominato *sancti Stephani* appropinquantes, in ipsius aede sacra Christi claviger rem divinam fecit. Et hinc postridie Assum-

ptionis sacrosanctae, in loco qui dicitur *Portus marinus*, in coenobio fratrum Minorum extra muros idem Pontifex maximus idem sacrificium secreto fecit, ut turbam vitaret, quae nequaquam poterat arceri, ita tamen ut illius diei solenni sacro publice decantato impartiretur benedictionem. Ac paucis astantibus pransus, continuo audita oratione declamatoria, per loca secretiora pergendo ad navigia, hominum turbam evasit. Tanta enim erat multitudo fidelium hominum, quae supplex ac obediens, ut summum Pontificem cerneret, illiusque sacros pedes oscularetur, convenerat, ut illorum subinde se subtraheret aspectibus; idque ut expeditius navigatio nostra perageretur. Prius tamen, quam inde solveremus, accesserunt Genuensium jussu ad comitandum Pontificem quinque triremes, ad eundemque, in quo eramus, portum venerunt; quae ab aliis tormentis ignivomis, ut fieri solet, fuerunt salutatae. Cumque illa turba, quae visura Pontificem venisset, inscia de ipsius discessu doleret, ruebat quippe catervatim per montes & littora, neque sat explicari potest quanta aviditate suum quaeritabant pastorem. Nos vero navigationem nostram prosequentes, ad insulam appellatam *de Ruenga* prope civitatem Nolensem memoratu dignam accessimus: ubi, ut ajebant, talis vigebat inviolabilis consuetudo, ut nullus posset struere navem, nisi & simul turrim aedificasset. Unde tot turribus est munita. Quod suo loco latius explicabimus.

## CAPUT XV.

*De ingressu Pontificis in Saonam, ac jucunda a Saonensibus facta receptione, & concordia Regis Catholici cum Rege Franciae, initisque nuptialibus contractibus cum Regina Germana, ejusdemque urbis situ.*

Navigationem autem prosequendo, aliis, quorum narratio non injucunda esset, brevitatis causa omissis, decimo sexto Calendas Septembris appulimus ad inclitam civitatem Saonensem, cameram imperii; ubi honorificentissime fuit exceptus Petri successor, & in ipsius ingressu, ut conjectari potui, quendam Oratorem nomine senatus Saonensis orantem auribus (quod ajunt) obturatis pertransiens Pontifex, eodem honore clero & praestantioribus viris cum cruce & pallio pergentibus, augustam Ecclesiam eminentiori parte sitam, Episcopali dignitate illustrem, est ingressus. In hac colitur corpus sancti Octaviani; ac consuetudine Ponti-

Pontificis reverentia exhibita Deo, oratione ad Dominum habita, benedictioneque praesentibus data, paulo post ad egregiam domum Tidensis Episcopi unaque Archipraesulis Avinionensis, ubi prandium opipare Domino Nostro suisque comitibus paratum erat, veniens, antequam ad mensam accederet, in loco secretiori divina sacra persolvit. Et cum jam stratis mensis lautisque cibariis appositis, gratias Deo ageret, non solum pro munere spirituali soluto, verum etiam corporali sumendo, reliquis autem Praelatis & equitibus, ipsius mandato in altis thoris aliquantulum semotis, suo ordine sedentibus, accubuit. Series autem convivii talis fuit. Apponuntur ex abaco lances argenteae & tympana cum cerasis & prunis uvisque recentibus & persicis pomis. Nec deerant vina generosa, album adeo pellucidum, ut aquam putares solo aspectu, & flavum, & nigrum, dulce, acutum, lene, suave, austerum, ut peteret quisque ex animi sui appetentia. Deinde importantur artocreae & assa edulia, pulli, perdices, palumbuli, cuniduli, & vitulina caro. Elixae vero caponum, gallinarum, arietinae bovinaeque carnes, & id genus alia cum condimentis aptioribus, ut ea malis quam carnes. Quae singula referens (ne videar prolixus) volui praetermittere. Afferuntur etiam cytronia & olivae Balearicae in muria asservatae, pira, caseus multiplex. Colliguntur analecta. Datur deinde aqua odorifera lavandis manibus. Peracto tandem convivio, suo more solitus noster Pontifex gratias Deo egit; deinde impendit quas debuit hospiti, qui tam solenniter & egregie illum exceperat. Post gratiarum actiones tolluntur mantilia & mappae; deinde vero sternuntur secundae mensae paulo minus opiparae prioribus, quas munificentissimus Archipraesul ob jucundum adventum tanti hospitis sterni fecerat comitatui; ut qui ex clara illustrique prosapia Julii magnanimi Papae originem duceret, animo namque & magnificentia aemulus. Julii nempe industria tempestate nostra patrimonio Ecclesiae Ravenna multaque alia loca accesserunt. Pontificatus tamen illius tempore illud immane schisma seu conciliabulum in toto orbe terrarum diffamatum prosiluit, cujus caput fuerat [1] Dominus Cardinalis *a Carva-*

1 *Dominus Cardinalis a Carvajal.*] De Carvajalo Cardinale creato ab Alexandro VI. vid. P. Martyr Epist. CLIV. ut & Epist. CLX. & de Concilio illo Pisano Epist. CCCCXLVII. CCCCLIII. CCCCLXI. & CCCCLXIV. ubi de Carvajalo testatur: *Est elatissimus sua natura, sibi suaeque doctrinae, licet eruditus, nimium credit, nimium facere sua merita videtur, nescit stare suo loco.* & Epistol. CCCCLXIX. ubi dicit, quod Pisis ornatu Pontificio divina exercuerit officia. Et jam supra ad Moring. cap. IX. notavimus, Guicciardinum tradere eum spe Pontificatum obtinendi hanc viam ingressum fuisse. *Ludovicus* vero *Tubero* Dalmata Abbas in libro IX. de rebus sui temporis pag. CCXLVII. dicit Bernardinum motum iniquitate Julii Pontificis, qui Alfonso Atestino, bellum indixerat sub praetextu de vectigali non soluto, quia secum in Galliae Regem, quem Italia expellere volebat, conjurare nollet, hoc Concilium auctore Ludovico XII. Rege Galliae adversus eum convocasse. Carvajalus vero a Julio anathemate percussus, in gratiam receptus fuit a Leone. vid. P. Bembi Epistol. Leon. lib. III.

Epist.

*Carvajal.* Atque hujusmodi occaſione ſucceſſit conflictus ille horribilis inter Hiſpanos ſequentes partes Julii, & Gallos inhaerentes factioni praedicti Domini Cardinalis, quod vulgariter dicitur *la bataïlla de Ravenna.* Caeterum ut ad rem redeamus, quamvis prandium fuerit opulentiſſimum, decrevit praedictus Dominus Avinionenſis Praeſul Pontifici noſtro illiusque comitatui ad coenam non minores, ſed pares aut lautiores eſcas parare. Decuriones itidem Saonenſium beatiſſimo Papae xenia obſoniaque donaverunt. In hanc eandem inclitam urbem Rex *Ferdinandus* cognomento *Catholicus* a Neapoli rediens & Rex Franciae olim convenerant, & tam ſplendide & opipare (ſicut ab indigenis accepi) Gallorum Rex excepit Regem noſtrum, atque [1] *Gundiſalvum Ferdinandez Ducem* cognomine *magnum*, qui primas in *Ferdinandi* Regis militia tenebat, ut facile explicari non poſſit. Ferebatur tamen ad Regum menſam ſede humiliori in memoriam & honorem geſtorum memoratum Ducem comediſſe; qui dexteritate & armorum virtute noſtram Hiſpaniam ſemiſepultam belli exercitio ſublimavit. Tanta quippe erat Regis Catholici prudentia, forſan caventis ſubrepentia Hiſpaniarum bella ob adminiſtrationem regnorum Caſtellae defuncto jam Rege *Philippo* clariſſimo Principe, ut qui paulo ante ferme expulſus in Neapolim transfretaverat, ſub nuptiarum praetextu Reginae *Germanae* pacem cum Francorum Rege iniret, cum ſapientis ſit maturo conſilio providere futuris. At Regum ſolenniis expletis, repotiisque ſolitis, alter in Hiſpaniam, cui ex animi ſententia cuncta ſucceſſere, alter in Italiam devenerunt. In hanc (ut eo regrediamur unde digreſſi ſumus) urbem Saonam ſe contulerat *Hieronymus Adorno* imperialis Dux, frater Genuenſium Ducis, egregio comitatu ſtipatus, viſendi gratia Pontificis, nonnullaque cum eo communicandi. Et licet videar aliquantulum a propoſito divertiſſe, non abs re tamen; quia indignum duxeram ſub ſilentio praeterire feſtivam laetitiam ſolenneque convivium & urbem tam illuſtrem. Atque eadem cauſa deſcribere volui ſitum amoenitatemque illius urbis. Adjacet enim ad mare noſtrum orientem verſus. Habet amplum portum, calculoſum tamen & inacceſſibilem; quia Genuenſes videntes urbem ſuam ubique notiſſimam a mercatoribus deſeri, & Saonae fieri commercia, lapides ingentes, ut ajunt, in praedictum portum projecerunt, ut magnis navigiis nemini liceret

Epiſt. XXI. & P. Martyr. Epiſt. DXXXV. Et cum ipſi omnia beneficia Eccleſiaſtica ademiſſet Julius, & ejus inſtinctu Ferdinandus Catholicus, Maximilianus Caeſar eum commendavit Leoni, ut ejus fortunas liberalitate ſua reſtitueret, qui ei reſcripſit, ut hortaretur Ferdinandum, ut idem ſentiat. vid. P. Bemb. Epiſt. Leon. lib. VII. Epiſt. XIV. Epitaphium hujus Cardinalis exhibet Schraderus in Monumentis Italiae lib. II. pag. CXXVIII. plura de eo vide ſupra ad Moring. cap. IX.

1 *Gundiſalvum.*] De quo vide ad Jovium cap. IV. adde & P. Martyr Epiſt. CCCCXCVIII. & DLX.

Ex

ceret adire Saonam. Habet etiam ad meridiem castrum arte & situ munitissimum; omniumque judicio urbs ista intus & extra est forma eleganti. Mulieres hujus civitatis ornantur mundo satis honesto absque palliis, crinibus collectis sub calanticis. Nobiliores vero matronae etiam singulae incedunt sine pedisequis, indutae vestes talares. Utuntur soleis parvis, non sandaliis; ideo fortassis quia majoris staturae cernuntur Ligures, ut experimento compertum est. Utinam ornatu simili Hispanae foeminae, abjectis vulpinis caudis & examine ancillarum, illas imitarentur.

## CAPUT XVI.

*De moesta ac lugubri receptione Pontificis a Genuensibus paulo ante expugnatis facta.*

Quibus obiter utcunque expeditis, quid tum Auriga noster egerit audiamus. Expleta coena, triremes conscendunt omnes, Genuam versus nocte illa navigantes, quam exoriente sole adivimus paulo post ipsius excidium & ruinam. Quocirca etsi magna moestitia [1] ex praeterita expugnatione Genuenses afficerentur, tamen cum felicem tanti Pontificis adventum persensissent, tam ex urbe, quam ex castro, & ex navibus in portu astantibus, tot globi bellici jactabantur, ut facilius sit admirari quam scribere. Et hac solennitate portum accessimus; cui a terra inhaerebat ponticulus ligneus, quo Dux noster augustius intraret. Ibi tunc proclamatum est a Clero & majoribus natu: *Princeps Ecclesiae, sit tuus adventus felix, praesentia salva. Gaudet in adventu turba deserta tuo. Gaudet & exultat, jubilat, laetatur, ovatque.* Ac confestim eodem ordine & celebritate petunt Ecclesiam; quae caput atque metropolis totius Liguriae est. Interim parantur solennia Missarum, quae dulcissimo concentu celebrata fuerunt. Illico visit aerarium sacrum, quo inter venerandas Sanctorum reliquias, quae ibidem asservantur, catinus in coena Domini celebratus, ut ex loco Euangelii elicitur, fuit mirabilis visu; qui est tanti valoris, ut non facile aestimari queat. Tanta vero convenit circumdantis populi undique turba, aviditate videndi, ut dum invicem sibi impedimento fuissent, pauci eorum aspectu praeoptato potiti sint. Adjacet praeterea extra sacrum aerarium in sacello *sancti Joannis Baptistae*,

1 *Ex praeterita expugnatione.*] Vid. quae ad Jovium cap. X. adnotavimus, & P. Martyr Epist. DXXV. & DCCLXII.

*ſtae*, tumulus lapideus ſupra columnas marmoreas, ubi ſervantur fideli cuſtodia divi Baptiſtae reliquiae; quibus reverenter veneratis, ſummus Sacerdos in palatium progreſſus eſt. Reliqui vero hoſpitabantur prout cuilibet occaſio ſe offerebat. Haec urbs in toto terrarum orbe celebratiſſima Pontifici, illiusque comitatui, biduo epulas non minus affluentes quam ſuaves eſt impartita; uberiusque factura eſſe videbatur, ni clades illam obruiſſent. Nam quae inter Italicas urbes elegantior erat, ſuperba cecidit. Genua, genuiſti *Eſau* & *Jacob* in utero bellantes, & peperiſti *Adornos* ac *Fragoſos* filios discordiae; qui cum principes civitatis eſſe contenderent, cum nec Roma duos fratres, nec apes & grues duos principes habere potuerint, ruinam tibi intulerunt. Quis enim cupiditate dominandi inflammatus, vel faſtu dominationis elatus, deſiderat habere conſortem? Aut quis avarus quaerit ſuarum opum participem? Nemo inquam. Quapropter invicem diſſidentes, alii Caeſareas, alii vero Gallicas ſunt ſequuti factiones. *Adornii* enim exules & profugi, e quibus praecipue *Hieronymus Adornus* ſuorum Dux, Hiſpanorum Germanorumque aſciverunt exercitum, quorum favore *Fragoſos* Gallorum partes tuentes expellerent. Et cum *Marchio de Peſcara*, militiae ductor, plusquam civiles concitationes perpenderet, capta opportunitate, qua facilius poſſet urbem illam in Caeſaris obedientiam reducere, ſolerter properans, eam circumquaque ex parte orientis Germanico exercitu, ex parte vero occidentali Iberico obſideret. Et tandem poſt aliquot dies *Fragoſos* allicere nititur, ut urbem in Imperatoris obedientiam tradere velint. Adverſarii vero omnino recuſabant, eo quod juſſu Regis Gallorum in ipſorum auxilia acceſſerit ſtrenuus ille dux *Petrus Navarrus Comes*; propterea etiam, quod millia ſtipendiarios pro urbis propugnatione obtinerent. Sed illorum contumacia cum in dies ſingulos creſceret, oportuit ex Hiſpanorum partibus tormenta ignivoma admovere & proſternere muros; atque ſtricto foramine audacter Hiſpani adoriuntur urbem, & in ipſo ingreſſu nonnulli confligentium ceciderunt. ac brevi tempore Ligures cum ſuis ſtipendiariis noſtratibus ceſſere. Hiſpani autem in urbem ut hoſtes irruentes quae damna, quas neces intulerint expugnatis, prudens lector conſideret: quod latius Hiſtorici memoriae mandabunt; ad quos lectores ipſos remittimus, haec breviter nunc dixiſſe contenti. Nec facile eſt credere tantam & tam munitam urbem, militibus praeſertim Gallis Corſicisque eam propugnantibus, illo maxime unico Duce *Petro Navarro*, ſuffultam paulo ante everſionem defenſionis cauſa in eandem civitatem ingreſſo, expugnari tam facile poſſe; cum praecipue, indigenis aſſerentibus, ſuorum militum copia major fuerit numero quam noſtrorum.

rum. Poſtmodum vero cum Germani intellexiſſent tandem urbis expugnationem, confeſtim nemine impediente eam invaſerunt; ac barbarico more, nunc occidendo, nunc vero diripiendo, moeſtam vaſtabant clamoribus urbem. Non eſt profecto quisquam cui niſi tibi & tuis aſcribas & imputes aerumnam. Caeterum inter captos praecipuos perducti ſunt Neapolim *Octavianus Fragoſus* Genuenſium Dux, Comesque *Petrus Navarrus*, cum plurimis nobilibus. Sed dum Franciae Rex captus detinebatur Urſariae, quae Madrid vulgo dicitur, contraheretque nuptias cum Domina *Leonore* ſorore Imperatoris, quia inter alias foederis conditiones ſtabilitum eſt quoslibet hinc inde captivos libere poſſe ad propria remeare: & quoniam Dux *Petrus Navarro*, in libertate poſitus Regi Francorum potius quam ſuo ſervire maluit, imo in illum & in ipſius exercitum, ut modo diximus, rebellavit, ſub judice ac voce praeconis Neapoli capite plexus eſt, poſt tot praeclara facinora inſigniaque facta poenas quidem graves durasque, jure tamen debitas, perſolvit. Hujus ſuperbae & elegantis civitatis ſitum & pulchritudinem ſigillatim nolui deſcribere, propterea quod Dominus Doctor *Didacus Lopez de Stuniga Complutſius* elegantius & copioſius [1] in ſuo explicuerit Itinerario.

## CAPUT XVII.

*De adventu Ducis Mediolanenſis, Prosperi Columnae, Marchionis de Peſcara, Antonii de Leyva, aliorumque Militum in Genuam ad deoſculandos Pontificis pedes.*

Huc pedes Pontificis deosculaturi venerant [2] Dux Mediolanenſis, & [3] Prosperus Columna, & Marchio Peſcarae, atque Antonius de Leiva, magno Hiſpanorum Italorumque comitatu circumſepti; quos beatiſſimus Pater vultu ſereno amplexus eſt. Hi, ut fama erat, inſtantiſſime ſupplicarunt Pontifici, ut eos militesque ſuos a devaſtatione praedictae urbis dignaretur abſolvere. Quod nullatenus impetrantes, ad proprias redierunt ſtationes. At ne longius digrediamur, eadem ſolennitate

1 *In ſuo explicuerit Itinerario.*] Illud *Itinerarium ab oppido Complutenſi usque ad urbem Romam* editum eſt a Schotto in tom. III. Bibliothecae Hiſpaniae, qui & fata hujus *Didaci Lopez de Stuniga* & alia ejus opera, quae conſcripſit, recenſet. ibidem pag. DLXXXIV. & DLXXXV. Meminit quoque ejus, ut hominis docti, Miraeus de Scriptoribus ſeculi XVI. cap. I. §. XXXVII.

2 *Dux Mediolanenſis.*] Scilicet *Franciscus Sfortia*. vid. Jovius cap. X.

3 *Proſperus Columna.*] De eo, ut & de Ferdinando Davalo Piscariae Marchione, vide ad Jovium cap. X.

nitate, qua erat receptus, dempta illa solenni pompa post biduum ad portum beatissimus Pater pervenit, ibique quam breviter expeditus, navigationi intendens animum, in portum nuncupatum *Portufi*, decem & sex millariis a Genua distantem, accessit; illumque noster ductor ingrediendo, servata prius consuetudine, visitavit Ecclesiam Divi *Georgii*, in qua ipsius reliquiae sub sacello coluntur; quem ex citeriori Hispania accolae a Catalonia ortum, passum Tarraconae, in promontorium, quo nunc veneratur, transtulerunt. Genuenses vero ossa sacra Genuam traducere pluries tentasse dicuntur, quia militare symbolum eorum est *Georgius*, ut Hispanorum est beatus *Jacobus*, & Venetorum divus *Marcus*. Quotiens autem translata sunt, toties in suam Basilicam asserebant esse reversa. Ex Divi itaque *Georgii* Ecclesia in pomarium quoddam coenaturus Pontifex intravit; peractaque coena, in triremem proficiscendi gratia progreditur. Cujus mentem omnino proretae nitebantur explere; ex quibus nonnulli seniorum ob tempus importunum, ne triremem solveret, hortabantur. Tandem ipsis invitis movetur classis, quam vehemens imber parva a porta intercapedine semotam magno labore & periculo in eundem portum compulit redire; quae si aliquantulum ultra progrederetur, non sine jactura magna navigaremus. quod meritis nostri ductoris nos incolumes evasisse minime ambigitur. Itaque adeo invaluit semel exorta tempestas, ut cogeret per quatriduum invictum Pontificem a navigatione desistere. Ac de more his diebus secreto sacra libabat; nihilominus tamen in praedicta Ecclesia Divi *Georgii* audiebat Missam publice ac solenniter a cantoribus celebratam. Atque fama erat, nullum Principem illuc appulsum, quin aliquot dies ab aequore aestuante fuisset detentus: quod experimento excellentissimi Imperatoris *Maximiliani* Genuam accedentis, nec non nostri clarissimi Regis Catholici a Neapoli redeuntis eadem perpessi, comprobatur, & in nostro Pontifice propriis oculis vidimus; quos omnes fidei tutores eadem ceperat domus; quae nequaquam minima vocari poterit, quandoquidem hospitio tot ac talium virorum fuerit illustrata. Caeterum, postquam maris saeva tempestas sedata fuit, intentam prosequentes navigationem, ad portum Veneris juxta oppidum *de Spetie* ante solis occasum accessimus; & in coenobio littori adjacente Pontifex coenatus est. Interea autem nonnulli recreationis causa descenderunt in terram, institores vero navigiorum aquatum misere servos. Tandem summo ductore nostro cum toto comitatu in triremes ascendente, parantur bellica tormenta, milites & arma expediuntur, eo quod nuntius assereret navigia Turcarum, quae vulgus *fustas* vocat, non longe a nostris existere. Tamen cum neque ibi nec alibi Turcarum alio-

rumve

rumve offendiculum nobis obstaret, imo prospere omnia succederent, armorum tumultus omnino cessavit. Illa vero nocte, vel ob lunae oppositionem, vel formidine piratarum, in illo portu pernoctavimus.

## CAPUT XVIII.

### *De accessu Pontificis in Liburnum, quem quinque Cardinales expectabant.*

Die autem illucescente, labore astrictorum remigum inter littora Pisana & insulam appellatam *Gorgonam* appropinquavimus Liburno; ubi aderant quinque perquam illustres Cardinales, * *Clemens de Medicis*, qui beatissimo *Adriano* in Pontificatum successit, *Petruccius*, *Cortona*, [1] *Rodulphus*, summum Pontificem expectantes; & ex portu castroque & municipio ac triremibus in ipsius introitu prospero innumera tonitrua belligera, ut talem ducebat felicem adventum, emittuntur. Et cum tota jam classis juxta oppidum esset aggregata, magnificentissimi Cardinales in uno monoremo vergantino, ut ita dixerim, ad maximi Antistitis pedum oscula delati sunt; quos ipse piissimus hilari vultu animoque laeto, ut fratres Ecclesiaeque columnas, suscepit. Et exhibita obedientia, una cum Pontifice magno a trireme sunt egressi, atque scaphis & lintribus in Liburnum supradictum ventum est. Et nullus Cardinalium in monoremo Pontificis aderat, praeter illum reverendissimum *Clementem de Medicis*, cum quo summus Antistes, quasi successionem praesagiens & claves regni coelorum illi relinquendas, familiarissime confabulabatur. Et juxta portus Liburni quasi ad rem novam excita plurima turba convenerat, congratulans utique tanti Pontificis adventui; & ipso primo ingressu consuetudinem sibi ac exemplum omnibus servans, Ecclesiam visitavit, & oratione habita, hospitium, quo splendide omnia ad coenandum extructa erant, adivit. Nam ille liberalissimus Cardinalis *de Medicis* plures vaccas, vitellas, gallinas, panem, vinum, & tempestivos fructus sanctissimo Patri, omnibusque illius triremibus, splendidissime obtulit. Ac ne Dux noster suum comitatum videretur longa mora deserere, ante noctis crepusculum cum tota familia ad suam triremem reversus est; ubi propter imbres & ventum, quibus mare concitabatur, illa nos oportuit nocte ac sequenti quiescere die. Ubi sunt quaedam monimenta memoriae digna, castrum nempe primo aspectu inexpugnabile. Est

[1] *Rodulphus.*] Et Piccolomineus, vid. supra Conclave Hadriani p. CL.

* Julius.

Eſt praeterea in ipſo mari parum a littore ſemota turris quaedam, quae *de Mala hora* vulgariter dicitur, quam ferunt Catalanos ſanguine Ligurum vice aquae ad calcem ſtringendam in vindictam veteris injuriae aedificaſſe. Diſtat Liburnum a Piſis novem milliariis; cujus portum veteres appellavere *Piſanum*, propterea fortaſſe, quia quondam commercium Piſanorum agebatur in eo. Sed ut inſtitutum proſequamur, ſecunda feria, prima noctis vigilia, felici aura claſſis tota movetur, ac exoriente ſole in oppidum celebre *de Plombin* die Martis convenimus, ibique alacriter ſumus excepti; & alacrius hospitaremur per Dominum oppidi & municipes, ſi ductor noſter ſineret nos terram attingere. At ne prosperum amitteremus tempus, illac tranſivimus oppido intacto; quod quidem continet tria caſtra, cujus Dominus nullius paret imperio. Et quia canalis *de Plombin* eſt adeo celebratus, ut fere nullus ignoret, paucula de eo ſubnectam. Ibi lapidicina magnetis prope municipium foditur, ex qua non parum emolumenti provenit Domino. Tum etiam multae inſulae adjacent, quarum praecipua *Corſica* nominatur. Sunt etiam aliae appellatae *Hierna*, *Claveria*, *Planoſa*, *Mons Chriſti*, *Elxico*, & aliae, quas dicunt *Formicas de Plombin*. Eſt etiam inſula *Cervitroya*, praeterea inſula *del Genut*, & mons *Argentarius*, quae quidem circumdant praedictum canalem; atque illarum occaſione crebra pericula piratarum Turcarumque & Maurorum contingunt circa eas navigantibus.

## CAPUT XIX.

*Introitus in civitatem Centumcellarum, quae vulgo nuncupatur Civitavieja.*

Et ut revertamur ad locum unde diſceſſimus, eadem venti felicitate perreximus ad portum Herculis; quem eadem cauſa intactum relinquentes, ipſa die, vigilia noctis ſecunda, appulimus *Centumcellas*; in quas, quia portus calculoſus erat, usque in diem Mercurii illuceſcentem minime deſcendimus, quoniam absque periculo facilis non erat acceſſus. Et cum beatiſſimus Pater *Centumcellas* intraſſet, veterem appellatam urbem, tota civitas gaudiis ſuffundebatur felici adventu ſui paſtoris ac domini. Et hanc primam terrarum Eccleſiae civitatem ac patrimonium attingens antiſtitum maximus, ut uſum pium cuſtodiret, praecipuam viſitavit Eccleſiam; auditaque ſolenniter Miſſa, ut tantum decebat virum, ad palatium redeundo, ut peculiare ſibi fuerat, rem divinam exolvit,

ubi

ubi aliquot Cardinales aderant, atque nonnulli nobiles Romani, expectantes dominum suum. Ibique familia Pontificis in palatio ipso tinellum, ut ita loquar, Romanum agnoscere coepit, quo se familiares vescendi gratia conferebant. Mansitque ibi sanctissimus Dominus illa die usque ad occasum. Interea vero urbem & castrum nondum consummatum cellas centum, ut fama erat, & nomen vetus civitatis adhuc continens, munitumque instrumentis ferreis, nec non aquosa fovea ferme cinctum, visimus; quod quidem postquam fuerit perfectum, inexpugnabile fore creditur, dum defensoriis munitionibus non caruerit. Tandem cum jam omnia essemus intuiti, & sol a nostro hemisphaerio ad Antipodas discessisset, beatissimus Pontifex ad triremes deveniens, prima vigilia noctis aura secunda continuando navigationem, hora nona ante meridiem in urbem Hostiensem Tyberinasque undas appulit, qui inter omnes primus cum suo dilecto Doctore *de Agreda*, in uno monoremo per Tyberim Hostiam versus paulo ante meridiem advenit. Et cum classis vellet suum sequi ducem, ostium Tyberis obstitit. Aditus enim nequaquam profundus, sed prope vadosus est. Propterea ad pelagus regredi oportuit. Et cum jam felix Pontifex in tuto maneret, subito fretum vento agitatum efferabatur adeo, ut vix liceret nobis absque periculo littoribus accedere. Quam ob rem nonnulli nostratium gravia discrimina sunt perpessi; veluti apparuit in magnificentissimo Domino Episcopo Abulensi, cujus pars suppellectilis periit, pars vero madefacta difficillime in terram delata fuit. Alii autem graviora pericula passi sunt, qui desidia aut ignavia in triremibus remanentes, post viginti demum dies in urbem nobiscum se contulerunt, per maria & per terras errantes, quia nulla statio in tota Romana & importuosa plaga tuta triremibus usque ad Cajetam reperiebatur. Quo exemplo docemur quantum sit discriminis inter solicitudinem & ignaviam. At qui post naufragium sospites ad littora evecti sunt, quasi ex hostibus aestibusque liberati laetabantur. Vidisses nempe Archiepiscopos, Episcopos, Oratores, Duces, & Equites, literatos, ac alios hujusmodi huc & illuc oberrare, partim jacientes oblectamenti causa lapides, partim vero deambulantes.

CAP. XX.

## CAPUT XX.

*Finis Navigationis factae ad ostia Tyberina, ac lautum convivium Cardinalis a Carvajal Hostiae custodis.*

Et tandem voti compotes urbem Hostiam parum semotam a mari pedes tres sub ardenti sole ingressi sunt, ubi illustrissimus Dominus Cardinalis *a Carvajal*, castri & urbis custos, Papae epulas lautas & copiosas pontificiaeque paraverat clientelae. Pomeridiana vero hora noster Antistitum maximus quinque aut sex Cardinalibus comitatus ad urbem Romam tribus leucis inde distantem progreditur. Et quia in parva illa urbe jumenta non reperiebantur, minima pars Praesulum & nobilium equitans poterat suum aurigam assequi. Ac propterea ex ordine equestri sua nobilitate accensi pedestres, nonnulli vero in curribus ac rusticorum jumentis, prout sors cuique acciderat, ipsa vel sequenti die in divi *Pauli* aedem ordinis sancti *Benedicti* extra urbis muros, in qua sanctissimus hospes illa nocte fuerat, convenere; ibique [1] Dominus *Hincfort*, de quo infra habenda est mentio, jussu Pontificis, fercula copiosa illi ejusque famulis paraverat. Et cum jam in limine essemus, audacter asserere audeo, quod licet Papa per tot maritima loca pertransisset, & Cardinales magnatesque cum eo colloquerentur, adhuc ex Hispaniis in Italiam minime adventasse credebatur, cum pro certo haberent non tam brevi ex Hispania expediendum, & merito, cum nemo excursorum eum praecederet, illius adventum denuntiaturus. Quin immo, tamquam ad suum obitum deproperans, anteibat omnes. Et utinam ipsius nomine praefectum mitteret, sicut putabatur, ut ipse in negotiis tam gravibus deliberatius ageret; quia necessarium est tempus, ut aliquid maturius agatur. Et cum jam ejus adventus in notitiam omnium propalaretur, vespere illo multi ex urbe aviditate Pontificem videndi in praedictum Coenobium pervenere.

CAP. XXI.

1 *Dominus Hincfort.*] *Guilielmus* scilicet *Enchavordius*, de quo vide ad Moringum cap. XVI.

Tarda

## CAPUT XXI.

*Celeberrima ingressio Pontificis maximi in urbem Romam.*

Sequenti vero die Veneris, quarto Calendas Septembris, post solis ortum, exierunt ab urbe reverendissimi Cardinales, Praesules, Consules, Oratores, Decuriones, Officiales Curiae, milites stationarii, qui pro custodia Pontificis ad primam portam sacri palatii alternis vicibus deputantur, numero ducenti, nec non equites ejusdem custodiae, diversa arma ferentes. Et cum communis pastor suo spectabili decoroque vultu cunctos admisisset, unus Cardinalium ore omnium totiusque sacri collegii suaviter affatus est, offerens obsequia tanto Pontifici debita, ac sacrosanctae Apostolicae sedi debitam obedientiam. Deinde unusquisque Oratorum vice dominorum velut Christi vicarium, Petrique successorem, ac Romanum Pontificem agnoscebat, atque universali pastori reipublicae Christianae obedientiam praestabat. Quorum unus in haec verba prorupit. *Si ulla unquam hominum memoria documentis apertissimis est declaratum res humanas divina ministrari prudentia, id, beatissime Pater, te Pontifice maximo coelitus constituto, luce clarius apparuit. Salutifere atque adeo proclementer rerum omnium opifex ac moderator Deus de excelso sancto suo misericordes oculos in populum Christianum convertit, cum te, Adriane sexte, in isto solio collocavit. Jam enim eo procellarum ac tempestatum adducta erat Romana respublica, ut propediem foret per extremum naufragium peritura, nisi te peropportune Ecclesiae gubernacula capessente. Quis enim ambigat, quin ille sis futurus, qui summa sapientia animique magnitudine universos Christianos omni non modo calamitate, sed & calamitatis aerumnarumque formidine, quae hinc a Mahometica rabie, inde a venenatis haeresibus impendet, plane liberes? Cur enim de te non sperentur maxima quaeque & salutaria, in quo videmus ea inesse omnia, quae in summo Principe, in summo Pontifice requiruntur? divino certe afflati spiritu sacratissimi isti Patres te prae omnibus unum delegerant ad dominicum gregem truculentissimis undique lupis circumseptum, pastorali cura ac vigilantia conservandum. Non enim clam & furtim, non ambitiose aut subdole ad summum Pontificatum irrepsisti, sed cum nutu quodam consilioque divino, tum vero uno & claro & eodem Cardinalium omnium judicio atque consensu: qui ut colis semper, & honoras, & quotidianis sacrificiis semper precaris Christum Jesum, ita divinitate suffragante feliciter avertes quicquid aut ab immanissimis Turcis ac haeresibus*

*possit accidere incommodi, ut ad id non tam reprimendum quam omnino comprimendum & alios excites. Et quia tempus breve, ne fastidiosius videar, subsisto. Et felix ac prosper, ut speramus, tuus sit adventus in sanctam & Apostolicam sedem, quae & nomini tuo ad laudem immortalem, atque universae Christianae reipublicae ad salutem & tranquillitatem sit accessura.* Caeterique Praesules & magnates ut Apostolicum patrem venerantur, una voce dicentes, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, putantes per eum Ecclesiam esse reformandam. Quibus clementissimus noster Papa brevi compendio respondens, *Obsecro*, inquit, *vos, columnae Ecclesiae, reverendissimi Cardinales, per viscera nostri Redemptoris, nec non Praesules, Oratores, Magnates, reliquaque astantium corona, juvare me precibus; ut & spiritus gratiae maneat in me, ac ne judicia de me vestra frustrentur. Quid enim tam insolitum tamque pavendum, quam labor injungatur fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti? Et tamen non diffidimus, neque deficiemus, quia non in operibus nostris, sed in illo confidimus, qui omnia operatur in nobis. Divina namque dignatio, quae me indignum in summum gradum provexit, juxta Apostoli verbum, idoneum ministrum ad tantum onus subeundum faciet.* His dictis assentiunt omnes, collaudantes Deum, qui talem suo gregi dignatus est exhibere pastorem. Haec & similia hinc inde affati sunt verba, quae nec mens mea concipere, nec calamus scribere posset. Quare contentus ero judicio lectoris aestimanda relinquere; qui accuratius perpendere poterit, quae & qualia in tanta acclamatione ultro citroque acta fuerint. Denique magno jubilo hora nona ferventeque sole sanctissimus Praesul cum ingenti caterva a praedicto monasterio egreditur, & tali ordine ac pompa Urbem versus procedit. Equites, quos sancta sedes habet, ut aliis viam facerent, anteambulones praeibant. Eos secuti sunt pedites custodiae. Continuo scutiferi cum reliquis officialibus Curiae vestibus rubeis insigniti. Ultimus vero Magister domus cum Praelatis domesticis gradiebatur. Postremo autem parafrenarii sacram Majestatem ambibant. Nam de more est, ob dignitatis Pontificalis excellentiam, ut nullus quantaecunque dignitatis ejus latus tegat. Et illico eum sequebantur reverendus Dominus Doctor *de Agreda* Protomedicus, & magister *Petrus* praecipuus Camerarius; quibus consuetudine seu praerogativa speciali talis locus conceditur. Et statim illustris atque conspicuus coetus Cardinalium sequutus est. Postremo autem Oratores, Consules, Magnates & Nobiles, deinde turba plebeja, quae ad spectaculum novum accesserat; qui omnes, etsi disparis gradus, compositi tamen ordinatique procedebant. Nimirum cum tanta esset fama sanctimoniae literaturaeque sanctissimi viri, ut quasi

quasi infelix quisque putaretur, qui faciem ejus non cerneret; unaque voce clamabant *Benedictus qui venit &c.* existimantes per eum Ecclesiam renovandam, atque omnia reducenda in sanctorum Patrum pristinum statum: quod maxime ipse conceperat, licet non fuerit executus; ideo forsan, quod fragilitas nostri temporis censuram districtionis illorum temporum non patiebatur; aut fortasse, nec immerito, quia indigebat plusculo tempore, ut maturius rem tam gravem conficeret; ne opera & consilia praecipitare videretur, ordinem priorum Pontificum abolendo. Sed pia fuisset laudabilisque talis commutatio rerum, quae sinceriorem Ecclesiae statum redderet. Antiquus tamen hostis impedierat, qui semper bonis operibus insidiatur: quia, ut verum loquar, nihil aliud magis animo Pontificis affixum persensi, quam statum Ecclesiae reformare: de quo aliquid inferius tangetur. Et ne multum ab instituto dilabamur, cum jam clementissimus Pater portis appropinquaret suo celebri ac illustri comitatu stipatus, aderant fornices perpulchri in ipso primo aditu, ad exemplar antiquorum, cum triumphantem Imperatorem debellatis hostibus Romani excipiebant; quorum vestigia in urbe adhuc extant. Quot deinde & quanta post urbis ingressum per vicos & plateas fuerint gesta, veluti peregrinus, minime investigare potui, quia nec locus quidem prae nimia turba singula considerandi concedebatur. Et praedicto processionis ordine in basilicam Apostolorum *Petri* & *Pauli*, ac circiter meridiem audita Missa, illico in sacrum palatium eidem palatio contiguum proceditur. Et propter serotinam prandii horam brevi a Cardinalibus reverendissimis, Oratoribus, caeterisque Magnatibus expeditus, ne tamdiu Pontifex maneret impransus, stratis mensis accubuit. Reliqui autem catervatim huc & illuc fervido sole in hospitia domosque divertebant. Dies hic festus, quamvis magnae solennitatis, nostratibus tamen injucundus, cum marcidi ex longa navigatione nesciebant quo se reciperent.

## CAPUT XXII.

### *De coronatione Adriani Papae.*

Beatissimus noster Papa, ut Romanum servaret morem, juraque custodiret, ad suam coronationem intendit animum, priusquam aliud quicquam exordiretur, ad omne tollendum dubium, id quod superius tetigimus, possetne Papa quicquam expedire ante suam coronationem, cum in Decretis quicquam agere posse prohibeatur, maxime in cap. 1. 23.

*dist.* cujus verba sic se habent. *Postquam electio fuerit facta, si bellica fuerit tempestas, vel qualiscunque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is, qui electus est, in Apostolicam sedem juxta consuetudinem inthronizari non valeat, electus tamen, sicut verus Papa, obtineat auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam & disponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium ante suam consecrationem cognovimus fecisse.* At si quisquam Romanorum Pontificum ante suam coronationem aliquid attentare praesumeret, praedictis duntaxat duobus exceptis casibus, praefatus textus graves infert poenas; cujus lectio talis est: *Quod si quis contra hoc decretum nostrum synodali sententia promulgatum, quasi per seditionem, vel praesumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus, seu inthronizatus fuerit, auctoritate divina & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum suis auctoribus & fautoribus & sequacibus a limitibus sanctae Dei Ecclesiae separatus abjiciatur sicut Antichristus & invasor & destructor totius Christianitatis, neque aliqua super hoc ei audientia reservetur, sed ab omni Ecclesiastico gradu, in quocunque fuerat prius, sine retractatione deponatur; cui quisquis adhaeserit, vel qualemcunque tamquam Pontifici reverentiam exhibuerit, vel in aliquo eum defendere praesumpserit, pari sententia sit mancipatus. Quod si quis hujus nostrae sanctae decretalis sententiae temerator extiterit, & Romanam Ecclesiam sua praesumptione confundere & perturbare contra hoc statutum tentaverit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non resurgent in judicio, reputetur, omnipotentis iram contra se sentiat, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum Ecclesiam praesumit confundere, in hac vita & in futura furorem sentiat. Fiat habitatio ejus deserta, & in tabernaculis suis non sit qui inhabitet. Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua. Commotus commoveatur ipse, & filii ejus mendicent & ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur etiam foenerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa sint ei contraria, & omnium Sanctorum quiescentium merita illum confundant, & in hac vita super eum apertam vindictam eorum ostendant. Observatores autem hujus nostri decreti omnipotentis gratia protegat & auctoritas beatorum Apostolorum Petri & Pauli ab omnium peccatorum vinculis absolvat.* Quapropter Adrianus maxime juris gnarus, poenas & interminationes hujus textus ut evitaret, etsi ob extravagantem praelibatam illaesa mente cuncta Apostolicae sedi occurrentia posset explicare, tamen quia bonarum mentium est timere culpam ubi non sit, ignari vulgi nemini parcentis opinionem

nem fugiens, quam ocissime potuit, inthronizationem suam facere decrevit. Igitur cum praedictam suam coronationem proxima Dominica fieri destinasset, hoc biduo nihil insigne ab eo gestum esse cognovimus; quoniam ob temporis augustiam omnia fercula & ornamenta, caeteraque necessaria in tantam festivitatem portabantur. Et quidem omnia, ita splendide copioseque facta sunt, ut quisquam diceret multo ante parata fuisse. Unum pro certo affirmare audeo, quod si in negotiis futuris eam diligentiam imparti-retur noster Pontifex, qualem in itinere & coronatione adhibuit, nullus praedecessorum, exceptis tamen canonizatis, eum praecelleret; & si quid remissionis illi quisquam ascriberet, revera ut testis oculeus audacter assero potius officialibus imputandum, qui [1] tarde & difficulter more Flandrorum expediebant negotia, ut experimento omnibus compertum fuit. Et quia sermo de coronatione Pontificis incidit, inter ejus gesta brevi compendio eam referre constitui. Primum quidem pulcherrima aurea & argentea vasa a praefectis familiae in sacellum peculiare principum Apostolorum intra basilicam Divi *Petri* ad ornatum & ostentationem potius, quam ad necessitatem allata, sua serie ponuntur; quibus ipsimet familiares praeficiuntur custodes. Deinde almus noster Papa magna celebritate in sede majestatis suae, circumstantibus Cardinalibus, Magnatibus, innumeraque turba, a Cubiculariis Camerariisque ducitur in aedem Apostolorum ad sacellum beati *Andreae*; ibique collocatur in solio, quod coetus Cardinalium circumstat, & praevia oratione gradatim genuflexo, deosculantur venerabiles pedes, & quamprimum egrediuntur. In limine autem officialis quidam incendit stupam atque proclamat: *Beatissime pater, sic transit gloria mundi hujus*: statimque devenitur ad proprium sacellum beatorum *Petri* & *Pauli*, ubi eorum corpora requiescunt. Et cum ista majestate in Pontificali veste ipsum magna humilitate ingressus est cum toto coetu: & facta oratione & confessione, nullo intervallo in propriam cathedram beati *Petri* in eodem sacello defixam ascendit; ac Cardinales primos, Oratores secundos, Praelati tertios occupant accubitus. Capella tamen ipsa erat brevior quam ut tot caperet; ubi in eadem cathedra *Petri* resedit Pontifex quousque epistola & Euangelium cum caeteris Missae solennibus absolverentur. Quibus peractis, ad sacrosanctum altare perveniens, coepit ministrare. Cui Oratores & Magnates in fastu ad manus lavandas deserviebant, malluvias ac alia pro hujusmodi obsequio deferentes. Missa coronationis celebratur populum versus intuentem faciem Pontificis. Solennia vero Missarum quanta prae-

1. *Tarde & difficulter more Flandrorum.*] Vide quae ad Moring. cap. xxiv. adnotavimus.

praeterea & quali melodia cantores psallerent; & qualis fuerit loci majestas, tanto viro, tantisque columnis Ecclesiae illustribus & magnatibus illustrata, tu ipse, prudens lector, considera. Si enim vultum angelicum Pontificis, dulcem vocem ceremoniasque conspiceres, potius divinum quid, quam humanum judicares. Et cum piissimus Pater illa sacrosancta mysteria peregisset, eadem solennitate, qua venerat, ad testitudinem templi revertitur. Et tanta erat hominum copia, ut difficillime via ad contabulatum locum, ubi actus coronationis celebrandus erat, pateret. Tandem post aliquod spatium non parvo labore ad locum deputatum ante fores basilicae structum ornatu mirabili devenimus; atque ibidem quaedam ceremoniae sunt factae orationesque recitatae, quas in ceremoniali libro poteris legere. Nam longum esset omnia sigillatim describere. Sat mihi censeo, ne prolixus videar, ad Pontificalem librum lectorem remittere, ubi haec omnia latius tractantur. Inserere enim orationes in eo contentas potius esset molestum, quam necessarium aut utile; ideo maxime, quod officium illud adeo est longum, ut ab hora nona ultra meridiem duraverit. Tanta nimirum mole & gravitate omnia fiebant. Hac peracta solennitate, Antistitum maximus cum fratribus, licet hora intempestiva, ad prandium in aulam sacri palatii spatiosam basilicae Apostolorum contiguam concessit; ubi mensae, soli Pontifici prima ab aliis aliquantulum semota, Cardinalibus vero suo ordine praeparatae aderant. Cujus prandii apparatum obiter prosequar. Primo, ut a caliculis ordiar, custos abaci scyphos exposuit aureos ac argenteos cum vino albo purissimo ex oppido sancti Martini, ut reor, quod apud nostrates Hispanos in maximo pretio habetur, non infectum, ut solet, sed quale in eodem oppido sancti Martini bibitur, nec non cum vino flavo atque rubeo. Erant praeterea alia diversa vina diversi saporis & coloris; ut quisque appetitui pro arbitratu satisfaceret. Post vero benedictionem Pontificalem afferuntur uvae in primis, aliique generosi fructus, ac continuo pulli perdicini, phasiani, gallinae, capones, carnes vitulinae arietinaeque, & caetera hujusmodi, quae prudens speculator poterit considerare, qualia quantaque convivio lauto & opiparo convenirent. Nemo enim posset omnia brevi compendio perstringere. Et quamvis, ut fertur, in similibus conviviis venena formidari solent, in hoc tamen nullo assero toxici suspicionem fuisse. Jucundissima namque viscera Pontificis ita cunctos inaestimabili pietate afficiebant, ut nihil in convivio infectum a quoquam credi deberet. Attamen reverendissimi Cardinales suos structores aulae magistros & pincernas habebant; qui, etsi edulia essent communia, vina tamen propria deferebant. Propterea forte quod crebrius in haustis virus

virus miſceri experimento liquebat, hac de cauſa pincernae Cardinalium inſerviebant poculis. Et mos iſte ſine injuria invitantis in Urbe inviolabiliter obſervatur. Abſoluto prandio, benedictione peracta, ecce cantores dulciter concinentes, item magno jubilo Cardinales, Proceres, & innumera turba comitati ſunt Pontificem in ſecretiorem cameram palatii, unde facta copia, laetus in ſuum quisque ſeſe recepit hoſpitium.

## CAPUT XXIII.

### *De publica revocatione indultorum in Cancellaria Apoſtolica.*

Sed cum ſemper laetitiam ſequatur moeror, juxta illud nimirum Salomonis *Exrema gaudia luctus occupat*, die ſequenti poſt hanc transactam gloriam ac pompam, Calendis Septembris, indulta Cardinalium a die notitiae electionis ſuae, videlicet vigeſima quarta Januarii anni ſupradicti, eſſe revocata declarari juſſit. De cujus revocatione inter alias Cancellariae ſanctiones regulam edidit & publicavit. Id quod moleſte pertulere illuſtriſſimi Cardinales, ideo fortaſſis, quod ipſis ignaris fuerint revocata. Unde proviſiones medio tempore collatae indultorum gratia illuſae atque fruſtratae remanſere. Sed caute atque prudenter reverendiſſimi Cardinales pertulerunt. Deinde per aliquot dies nihil conſpicuum egit praeter reſtrictionem Referendariorum; qui cum eſſent triginta numero, eos ad octo duntaxat reduxit. Quod etiam, ut opinor, ſeminarium odii in Pontificem fuit: quamvis a multis fuerit approbatum, quia tanta multitudo effrenis diſpendioſaque videbatur. Qua occaſione officiales caeteri graviter doluerunt, propterea quod crederent totam Curiam & Eccleſiam reformandam. Et hic, ut diximus, fuerat Pontificis animus. Conſiderans tamen hoſtis lividus novum Pontificem, novum hominem, multiplici virtutum gratia vernare, machinatus eſt uredinem, qua jam exortum meritorum germen poſſet ſuffocare, ne ſuum propoſitum perficeret Pontifex, cum jam viros doctos & ſtrenuos ex diverſis locis ad hoc opus peragendum evocaſſet, eosque ſaepe ſaepius ſuper hac re conſuluiſſet. At verſutia Sathanae & humana malitia longe aliter obſtiterunt. Quapropter cum viri docti in dies minus proficerent, ſenſiſſentque mentem Papae refrixiſſe, poſt breve tempus eo unde evocati fuerant, non perfecto modo, ſed neque incepto negotio, reverſi ſunt. Ceſſavitque reformatio illa, quam multis antea diebus noſter morum ſanctorum cenſor mente conceperat. Poſtmodum vero ſequutae ſunt legationes, quoniam Potentatus, Duces, Magnates Italiae, ut eſt moris, ad ipſum

ipſum ſuos Nuntios mittebant in publica concione cauſam ſuam perorantes, etſi ſecreto ſecretiora beatiſſimo Domino exponerent, cum illa publica narratio cauſae ad oſtentationem potius, quam ad rei ſubſtantiam attineret. Oratores vero Imperatoris & Gallorum Regis, non publice, ſed ſecreto propter bella inteſtina, cum Pontifice ſua negotia pertractabant. Nec non Helvetii, qui ſtipendium ab Eccleſia recipiunt, ut in pace & in bello ſint fideles, praetendentes diu obſervatum morem, ut quoties legatos ad Apoſtolicam ſedem pro obedientia exhibenda miſerint, expenſas eis ab Eccleſia erogandas, aſcribentes hunc ſibi titulum, ſe fidei tutores & velut patronos, ſubindeque hoc ſibi jus vindicant. At noſtra tempeſtate non jure aſſumunt ſibi titulum hunc. Magna enim pars ipſorum Lutheranam haereſim eſt amplexa. Utcunque tamen ſit, gloria hujus mundi parum duratura ad hunc ſtatum eximium noſtrum Pontificem per gradus evexit, cum primum exigentibus meritis ac literatura in Decanum Lovanii, deinde ob vitae exemplum in magiſtrum ſacrae Majeſtatis Caroli quinti Imperatoris noſtri ſemper Auguſti fuerit electus, qui eum ad Hiſpanias gubernandas miſerat, ubi *Dertuſenſem* Episcopatum & temporis ſucceſſu lauream Cardinalatus atque officium generale ſanctae Inquiſitionis, & cum de virtute in virtutem creſceret, ſine cujusquam offendiculo apicem Pontificatus adeptus eſt.

## CAPUT XXIV.

### *De infortuniis quae obvenerunt Apoſtolicae ſedi, Adriano eam gubernante.*

Hactenus narravimus felicitates proſperumque Papae *Adriani* ſucceſſum; qui profecto ſine controverſia gradatim jure optimo aſſecutus eſt faſtigium Apoſtolatus. Nunc vero referamus caſus & aerumnas, quas ſpectatiſſimus vir usque ad obitum aequo animo paſſus eſt. Hinc enim proclivis, cum invidia neminem voluit in culmine rotae diu ſuſtinere, ſecreto Dei judicio in calamitates diverſas usque ad obitum, exemplo beati *Job*, ut ejus bonitas & ſanctimonia tamquam aurum in fornace probaretur, prolapſus eſt. Nam vix ſe collegerat cum Oratores Ungariae Regis ſuam afflictionem & aerumnam ab Imperatore Turcarum illatam deplorantes, lacrymoſis ſingultibus proclamabant. *Pater ſancte miſerere, miſerere reipublicae Chriſtianae, quando Mahometica ſuperſtitio, perfida impietas ſacroſanctam Chriſti religionem, fidem, pietatem*

*usque*

*usque adeo jam oppressit, ut vix caput attollat. Nonne vides tu, Pater beatissime, perfidos hostes extremam nostrae religionis pestem atque perniciem machinantes? Annon vides primarios Christiani nominis ductores nescio qua infelicissimi fati invidia, dum inter se mutuis armis digladiantur, non modo non repugnantes tantae Turcarum immanitati, sed eam potius per contentiones & dissidia nutrientes? Unicus Archidux Ferdinandus publicam propugnandae religionis causam solus per hoc tempus suscipit. Quapropter, clementissime Pater, lachrymis deprecamur, ut tantae perniciei subvenire digneris.* Qui vix satis desierant, cum accesserunt Legati praedicti Archiducis Austriae, Infantis, ut ajunt, Hispaniarum, postmodum Romanorum Ungarorumque Regis, qui in haec verba apostasiam exposuerunt Lutheranam. *Aspice, Pater pientissime, quanta injuria universus terrarum orbis ex perversis & perditis moribus totus fere prodierit Redemptori suo contumax ac rebellis. Haereses undique pullulant, ubique erumpunt, ubique propagantur; quibus infelix plebs & ad omnium rerum novandarum varietatem semper exposita, velut pestifera quadam contagione tabescit, adeo ut non contemnenda Europae pars, & quae hactenus omni monstro caruit, tota sui dissimilis evaserit; quoniam cum religione superstitio, cum fide perfidia, cum pietate impietas, cum veritate mendacium nullo pacto cohaeret. In quo tanto incendio, ne in majores flammarum vortices erumpat, extinguendo Sanctitas tua Ferdinandum vel praecipuum adjutorem habebit: qui ut est acerrimus Christianae veritatis assertor, nulla difficultate perterritus, in id totus incubuit, ut Lutherus iste Draco, unde hoc omne venenum effluxit, ex miserorum mentibus eruatur. Proh dolor, voracitatem istam exortam ab Ecclesiastico & religioso viro! Sed non novum est, quia, ut inquit Hieronymus, veteres scrutans historias invenire non potuit aliquos alios scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse, praeter eos, qui sacerdotes a Deo positi fuerant, & Prophetae in speculatores; ut in cap.* Transferunt 24. q. 3. *At cum jam Lutherus ille suae rebellionis & apostasiae plures obtinuerit, eosdemque obstinatissimos sectatores, nequaquam praedictam apostasiam Christianissimus Archidux evellere potuit. Propterea, Pater sapientissime, accingere fortitudine, & exurgat Deus, & judicet causam suam.* Multa alia eleganti stylo in fidei favorem perorata sunt, quae longum esset referre; ac mihi quidem, quo ad praesens attinet, sufficit tetigisse.

## CAPUT XXV.

### *De acerrima Peste, qua negotia cessarunt.*

Postmodum vero per plures dies negotia siluerunt, eo quod pestis acerrima in dies invalescebat. Nam tempore quo Romam adivimus orta, singulis diebus subrepens, usque ad maximam stragem crevit; cujus praetextu principes Ecclesiae Cardinales, Archipraesules, caeterique Praelati & Curiae Officiales ab Urbe secesserant. Sed Praelati, Magnates, & Nobiles, cum caetera turba, quae ab Hispania in Italiam sanctissimum Patrem fuerat sequuta, non discesserunt, cum vidissent Pontificem, tamquam bonum navarchum, naviculam Petri tot tempestatibus fluctuantem [1] non deserere; & sicut servi fideles in tranquillitate, ita in tumultu epidimae & angustiis inserviebant. Ideoque plures e nostratibus quam ex aliis in morbidam luem ceciderunt, quia potius mori quam eum relinquere decreverant, usque ad extremum halitum, ut inferius dicetur, in sua fidelitate permanentes.

## CAPUT XXVI.

### *De Militibus in Hispania conscriptis & in Italiam adductis.*

Sed quoniam supra pollicitus sum navalem armaturam & gesta militum me recensiturum, hic inserere existimavi, & primum fluctus concitatos marisque tempestatem, qua pene obruti fuerunt. Nam profecto multa & gravia sunt perpessi, praecipue tempore illo quo fuimus in Portusi, & rursus cum ad ostia Tyberina accessimus. Sed nos in portu, illi vero in alto mari. Unde nostrum & illorum discrimen fuit dispar. Caeterum cum omnes convenissent ad portum veteris civitatis vulgariter nuncupatae *Civitavieja*, magno periculo & labore cum reliqua turba littoribus optatis potiti sunt; & in urbe ipsa aliisque locis adjacentibus per aliquod tempus permanentes, infirmitate aut inedia multi perierunt. Tandem cum decretum esset milites ad expugnandum Ariminum proficisci debere, quam Dominus *de Malatesta*, occupatam habebat, post aliquam cladem

1 *Non deserere.*] Licet enim Cardinales vellent, ut secederet in locum ab ea contagione liberum, ille tamen constantissime recusavit, & Urbem relinquere noluit. vid. Petr. Martyr, Epist. DCCLXX.

Franciscus

cladem deventum eſt ad urbem Ariminum, quam obſidentes ſunt caſtrametati. Ubi Dominus [1] *Franciscus Maria*, cognomento *de Ruvere* Dux *de Urbino*, Comes *de Monterelero*, Dominus *de Peſaro* & *Senagalla*, Urbis Praefectus, tanquam feudatarius Eccleſiae, multis equitibus, feudum ſponte offerens, affuit. Quam praefecturam illi donaverat avunculus ejus *Julius* Papa, de cujus cognatione ducebat originem. Quae arbitrio Pontificis conceditur ad vitae duntaxat tempus illius qui donat; & eſt magnae auctoritatis magiſtratus, praecipue in coronatione Imperatoris, cui Praefectus Urbis coronam imponit. Quae Praefectura hodie imago & umbra eſt Praefecturae priſcorum; ut videri poteſt titulo *De officio Praefecti urbis in Digeſtis.* Praefectura enim omnia omnino crimina Urbis ſibi vindicavit, neque tantum ea, quae intra Urbem admittuntur, verum etiam quae extra Urbem, dum intra Italiam patrentur. Quies quoque popularium, & diſciplina ſpectaculorum, nec non diſpoſitos milites ſtationarios habere ad tuendam popularium quietem, & cura carnium & armentorum, ut juſto pretio vendantur, ad Praefecti Urbis curam pertinet. Et ut brevi compendio conſtringamus, Imperator Urbem fidei Praefecti commiſerat, ut latius in praefato titulo tractatur. Et ne diu a materia divertamur, permulti Magnates & Nobiles in ſubſidium ſupradictae expeditionis Ariminum venerunt. Denique tyrannus ille *Malateſta* hinc inde conſtrictus, poſt menſem ad obedientiam deveniens, civitatem Eccleſiae reſtituit. Et cum exercitus ferme tota hyeme per campos Italiae diſcurriſſet, febris crebra milites invaſit, adeo ut partem dimidiam totius exercitus obiiſſe crediderim; qui etſi non parva jactura, terras tamen Eccleſiae inquietas pacavit.

## CAPUT XXVII.

### *Obſidio & excidium Rhodium.*

Inter has ſimultates & preſſuras, ecce obſidio Rhodia e veſtigio eminuit; cui paſtor Eccleſiae, quamvis a munificentiſſimo Episcopo Conchenſi

1 *Franciscus Maria.*] Hunc Leo Papa, licet initio Pontificatus ipſi imperium exercituum Eccleſiae Romanae, quod ei dederat Julius Pontifex, in annum ſequentem prorogaverat, uti patet ex Bemb. Epiſt. Leon. lib. II. Epiſt. VIII. ſub praetextu, quod Cardinalem Papienſem peremiſſet, ditionibus ſuis ſpoliaverat, uti narrat P. Martyr. Epiſt. DLXXVIII. quas tamen ille recepit, uti ſupra jam adnotavimus ad Moring. cap. XXI. Ab Hadriano vero in amicitiam receptus eſt, & prudentiſſime illud factum fuiſſe ab Hadriano dicit P. Martyr. Epiſt. DCCLX. *Cum eſſet ad nitidos fontes perturbandos aptiſſimus, vagorum & ſicariorum omnium ac rerum novarum ſtudioſorum refugium portuoſum,*

chensi instantissime efflagitaret, ut a reverendissimis Cardinalibus ac aliis Praelatis auxilia peteret, cum manifesta cunctis esset inopia sedis Apostolicae, ac ne eorum quisquam se excusaret, primus ipse Conchensis polliceretur se omnia vasa aurea & argentea allaturum in pecunias conflandas, ut reliqui aut religionis gratia, aut pudore sua vasa deferrent, hujus efflagitationi assentiri noluit. Atque a multis Nobilibus & Centurionibus Hispanis interpellatus, ut eos in subsidium Rhodum mitteret, eis concedere noluit, tum ob simultates recentes, tum etiam propter nimiam inopiam camerae Apostolicae, & praecipue quia Prior Capuanus Praeceptor militiae ordinis sancti Joannis se obtulit, paucis navibus sibi traditis, Rhodiis opem ferre. Tunc sanctissimus Pater zelo fidei accensus misit quendam ex Capellanis Magistrum [1] *Petrum Barbirium* Genuam, qui magna diligentia & solicitudine classem pararet quam Priori Capuano traderet. Paulo post allatae sunt litterae Magistri Rhodii Pontifici nostro, quibus obsidium ac statum belli significabat. Praeterea instanter deprecabatur, ut beatissimus Papa dignaretur ineunte vere anni sequentis sibi suisque auxiliari. Usque ad illud nempe tempus civitatem, Magistrosque militiae ac milites suos fore tutos arbitrabatur. Securitatem vero medio hoc tempore Magister militiae ideo forte obtulit, quod cum hyems instaret, Regem Turcarum deserturum castra & obsessionem non immerito conjiciebat. Illum tamen omnino fefellit opinio, cum contra eo ardentius, non in dies modo, sed in horas etiam civitatem circumvallaverit; quae septem continuos menses per summas difficultates obsessa, cum terra, tum vero mari, acerrime oppugnaretur, tandem expugnata succubuit. O infelix illa Rhodiorum militum manus, quae sola tam gravis & aerumnosi belli pondus molemque sustinuit, partim jam trucidata, partim vulneribus ac inedia pene confecta; cum interim nullus adhuc Principum (ô inauditum torporem & socordiam!) ad propugnandum, suppetiasque amicis laborantibus ferendum accingeretur. Heu miseram atque infelicem Rhodiorum militum sortem! O coecas nostrorum Principum mentes! quos tantus perturbationum stupor oppressit, ut perinde ac in theatrali ludo, *Rhodo* capta, Christiani milites occisi spectentur, nulla non modo classe, quod factu facillimum erat, ad opem laborantibus ferendam instructa, sed nec cymbula quidem aut lintre ad miseros illos solandos emissa. Quod vero ad nostrum Pontificem attinet, cur ipse quoque in ope ferenda remissius egerit, [2] non est quod incusetur.

*sum.* & Epist. DCCLXXVIII. *ne iterum cum vagorum collecta caterva, tremere, ut alias, Pontificiam faciat tiaram.* plura de eo vide ad Moring. cap. XXI.

1 *Petrum Barbirium.*] De quo vide ad Jovium cap. XI.

2 *Non est quod incusetur.*] Vide quae ad Moringum

ſetur. Nam habito conſilio cum viris ſtrenuis in rebus bellicis ac bellorum expertis, credidit Magiſtrum Equitum Rhodiorum & milites civitatem per totum ver propugnaturos; quia non credebant ipſi bellici viri eos ad veris duntaxat introitum auxilii dilationem debere praeſcribere. Propterea Pontifex conſilio peritiorum acquieſcens, dictum *Petrum* a navali expeditione revocavit, ne intempeſtive, cum periculum praeſertim non eſſet in mora, fierent expenſae; maxime cum camera Apoſtolica ſumma laboraret inopia. Et cum tota Curia magno moerore afficeretur tot undique occurrentibus malis, calamitas & moeſtitia Urbis pro tempore ceſſavit, delatis literis praedicti Magiſtri Equitum Rhodiorum, eo maxime, quod exiſtimarent Turcam immanem fidei inimicum tempore brumali ab obſidione diſceſſurum, & tunc Pontificem, Imperatorem, Regesque Chriſtianos Rhodiis ſuppetias eſſe laturos. Sed haec nos opinio, Dei tamen occulto judicio, fefellit; quoniam Turca ferus aper non diſceſſit ab obſidione, neque eum tempeſtas, neque imbres, aut bruma terruerunt. Qui non ſolum urbem conſtrinxit, verum etiam maria, vetuit commeatus, & auxilia obſeſſis intercluſit, ne quisquam *Rhodum* adire aut inde egredi poſſet, neque poterant naves ad portus accedere. Et hac cauſa de ejus ſtatu nihil Romae ſignificatum eſt quousque die nativitatis Domini hujus anni, cum Pontifex ad rem divinam audiendam vellet progredi, & milites cuſtodiae ſuo ordine componerentur ut arcerent turbam, ne ab ea opprimerentur, [1] ecce lapis decidit ex fornice ſacelli ſancti Sixti intra palatium extructi, qui quendam miſerrimum virum ſtationarium contrivit, aliumque ſemimortuum commilitones abſtraxerunt. Quo prodigio ſtupefactus Pontifex, quaſi in extaſi capellam intrare formidabat. Attamen cum omnia eſſent parata, decrevit in ſacellum ingredi ut divina audiret officia, ne tanta ſolennitas natalis Dominici omitteretur. Et continuo exclamatum eſt per ſeniores Romanos *Rhodum* eſſe captam, illam nimirum aſſignantes cauſam, quod cum Conſtantinopolis a proavo iſtius Mahometici Principis expugnata fuerat, alius inde exciderat lapis; & hoc ſigno cognoverunt excidium *Rhodium*. In hoc loco, niſi alio properarem, liberet extendere calamum. Dimiſſis enim quae de prodigiis *Julius Obſequens* memoriae mandavit, iis quoque, quae *Polydorus Vergilius* ſcripſit, multorum ſanctorum Patrum ſententias huc poſſem afferre. Illud tamen duntaxat non praetermittam, Dei juſto judicio quosdam ejus-

gum cap. XXI. adnotavimus. adde Reusneri Rerum Turcicarum narrationes Hiſtoricas pag. XVI.

1 *Ecce lapis decidit.*] Vid. Moring. cap. XXI.

ejusmodi prodigiorum oftentatione ideo decipi, aut quia id eorum meruere peccata, aut talis credulitas aliquo praetextu fucata fuperftitioforum hominum culpam obnubilet, reddatque leviorem. *Gregorius* tamen in expofitione facri eloquii, fcilicet, *Erunt figna in fole & luna &c.* haec verba dicit: *Quamvis priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in coelo acies vidimus, ipfum qui humani generis fufus eft fanguinem corufcantes.* Ex quo loco elici poteft nonnunquam fimilia praefagia certitudinem habere. Sed ut ad rem redeamus, proh dolor! cum tot Principes Chriftiani armis potentes, virtute ftrenui, toto orbe diffufi effent, nullus tamen eorum movit pedem, quafi eorum nihil intereffet, in *Rhodiorum* fubfidium, praeter Dominum *Didacum a Toleto*, Priorem militiae fancti Joannis in Caftellae Provincia, filium illuftriffimi Ducis *Albani*, nec non Priorem ejusdem ordinis regni Aragoniae, Caftellanum *de Ampofta* cognominatum. Qui finguli fingulas naves ex Hispaniis in Siciliam ad portum Meffanae, qui dicitur *Mecinas* adduxerunt; expectaruntque diu alios Priores vel Commendatarios, aliosve quoflibet Chrifticolas, ut fimul omnes fuppetias ferentes *Rhodum* navigarent. Fruftra tamen expectavere, cum nullus ad rem tam piam aut zelo fidei, aut amore reipublicae Chriftianae incitaretur, decepti fortaffe brumam fugaturam Tyrannum illum, quantumvis immanem. Hinc intelligi poteft religio & virtus noftratium. Atque fi mihi absque fufpicione liceret, animum Chriftianum eorum extollerem, ni fatis ipfa experientia monftraret, maxime ab illuftri & felici tempore *Gundifalvi Fernandez*, ob excellentiam geftorum *magni Ducis* nuncupati. Caeterum cum praedicti Priores ab omnibus deftituerentur, capta *Rhodo* a portu Meffanio in Urbem fe contulerunt, vifitatum limina Apoftolorum, deofculatumque facros Pontificis pedes. Et poft aliquot dies in Hispaniam reverfi funt.

## CAPUT XXVIII.

### *De fecunda revocatione expectativarum.*

Hucusque nonnulla adverfa Chrifti Vicario recenfuimus, quae ipfe, ut diximus, lege Chriftiana vultuque hilari, ficut prospera, aequo animo pertulit. Redeamus nunc ad difcurfum actorum ejusdem fanctisfimi Patris. Qui cum materiam *refervationum* & *expectativarum* facris canonibus inimicam, ac perinde eorum obfervantiffimus exofam haberet,

Caefar-

* Caesaraugustae omnes *beneficiorum expectationes*, ut praediximus, octavo Calendas Maii revocaverat. Quarum revocatio cum sit facti & in facto consistat, posset inculpabiliter ignorari. Ut ergo in omnium veniret notitiam, dictas *expectationes* in Cancellaria Apostolica, ne amplius ab aliquo ambigeretur, quinto Idus Decembris palam irritas nuntiari jussit. Demum revocatione facta, adeo pestis acerrima increvit, ut Cancellariam & Rotam claudi, negotiaque cuncta silére, ac Pontificem cum familia intra septa palatii detineri oporteret, ut nemini ex Urbe aut ex familia, nisi vocato, ad eum pateret accessus, neque cuiquam familiari Urbem adire permitteretur; qui, si secus faceret, eo ipso a consortio palatii ablegaretur. Et adeo complacuit haec monastica vita Pontifici, ut usque ad mortem ferme eam servaverit. Cujus rei causa nonnulli Cardinales aliquantulum sedata peste Romam reversi, cum populo querebantur, quod non esset ad quem pro suis querelis posset haberi recursus. Ut testis domesticus & oculeus, si dictis meis fides adhibenda est, hanc culpam usquequaque illi non auderem imponere. Considerata namque probitate Pontificis, illis potius ascriberem, quorum ministerio & consilio Pontifex utebatur; qui sibi tantum nixi sunt vindicare Pontificem, ut sub contagiosae epidimiae praetextu, ejus commercio soli fruerentur & alios prohiberent. Quibus Consiliariis plus quam expedierit, cum alias esset formidiolosus, se confidebat. Et fideliter asserere audeo nullum multis retro temporibus Pontificem in studiis & negotiis tantum elaborasse. Sed quamvis solicite, irrito tamen labore; quandoquidem ejus labores Sathanae malitia concutiebantur, cum per manus ignavorum officialium domesticorum negotia essent expedienda. Quorum nomina ideo silere decrevi, ne cum aliis in hoc proficere nequeam, illis officiam. Pontifex tamen adeo incumbebat labori, ut existimaret Pontificatum, mare magnum & spatiosum, suo claro indefessoque ingenio esse moderandum. Et iste assiduus labor causa fortassis fuit ejus intempestivae mortis; quia omnia propria manu quasi tangere atque aequa lance librare volebat. Tractu temporis multis Gubernatoribus, Praesidibus, vel arcium custodibus tam diversas urbes quam Ecclesiae castra commisit.

* Vide supra cap. 1. & 7.

CAP. XXIX.

## CAPUT XXIX.

*De expeditione negotiorum, breviumque missione ad Principes Christianos super pacis observatione,*

At cum divina clementia sua immensa caritate pestem illam a Romano populo primo ineunte vere anni vigesimi tertii supra sesquimillesimum avertisset, jussu sanctissimi Papae aperitur Rota, & negotia expeditionesque suo ordine procedebant. Prius enim propter contagiosam illam tabem causarum actio cessaverat. Deinde reverendissimi Cardinales ac alii Curiales egregii, qui timore pestis aberant, paulatim ad Urbem redierunt; consistoriaque publica fiebant, ea causa maxime, ut Imperatorem & Regem Franciae invicem divisos concordi pace ligarent, maturiorique consilio pastor Ecclesiae cum suis fratribus diffidentes ad pacem reduceret. Ad quos assidue litteras & nuncios miserat, incassum tamen, quoniam antiquus sator zizaniarum iram intestinumque odium adeo fixerat in illorum cordibus, ut concordiae semen sanctum & monita salutis non exciperent, neque dissidium illud intestinum ab eorum visceribus evelli aut eradicari potuit. Et hac via sanctissimus Papa optatum consequi finem non valens, ad juris rigorem se convertit, eos monendo, & sub excommunicationis poena praecipiendo, ut a bellis & simultatibus intra tempora in litteris bullatis praescripta discederent, & ad concordiam caritatemque redirent. Quas litteras numero triginta duas expeditas propriis oculis vidi ad omnes Principes Christianos, Potentatus, Dominationes, & Magnates non recognoscentes superiorem missas, quos in partes Imperatoris aut Regis Francorum propensos conspeximus, quibus monebantur ab illis factionibus secedere, & pacem sub eisdem poenis inire. Verum haec ne videantur aliquibus peregrina subindeque sua fide carere, cum praesertim diu bellis durantibus inter Regem Catholicum & Reges Franciae, Pontifices nunquam eo remedio usi sint, propterea fortassis quod Pontifices non pacifici his aut illis partibus adhaerebant, jure tamen cautum est 90. *distinct.* praecipue in Conciliis Carthaginensibus, quorum verba haec sunt. *Studendum est Episcopis, ut dissidentes fratres, sive Clericos, sive laicos, ad pacem magis quam ad judicium coërceant.* Et eodem Concilio: *Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario neque* [1] *gazophilacio recipiantur.* Item in Concilio Agathensi, cujus

1 *Gazophylacio.*] *Gazophylacium* idem, quod *arca*, *corbona*, vel *mensa*, uti docet Ferrarius de ritu Sacrar,

cujus ſeries talis eſt. *Placuit etiam ut (ſicut plerumque fit) quicunque odio aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem revocari diuturna obſtinatione nequiverint, a ſacerdotibus civitatis primitus arguantur. Qui ſi inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Eccleſiae coetu juſtiſſima excommunicatione pellantur.* Ideo peritiſſimus Papa juris cenſor prius voluit ad arma ſpiritualia, quae propria ſunt Eccleſiae, recurrere, quam corporalia movere. Iſta tamen remedia, etſi ſancta & juri conſona, tamquam futilia & ſupervacua illi contemnentes, in ſuo indurato corde perſeverarunt. Et in dies ventum eſt ad ultimum praecipitium, ut noſtris peccatis in praeliis Longobardiae & Mediolani periculo comperimus; gravioraque damna formidabamus, niſi Deus ſua clementia avertiſſet. Atque his diſſidiis, ut fama erat, originem dedit 1 comprehenſio reverendiſſimi Cardinalis * Volterrani, qui accuſatus fuit crimine laeſae Majeſtatis Imperialis, eo quod arguebatur cum aliis nobilibus regnum Siciliae in Gallorum manus traditurum, & hac occaſione, tamquam particeps conjurationis, in ſancti Angeli caſtellum juſſu Pontificis per Dominum *Ferdinandum de Sylva*, ipſius Papae cuſtodiae ducem, die vigeſima ſexta Aprilis anni praedicti miſſus eſt, atque ibidem detentus, honeſte tamen, ſicut ejus dignitas exigebat, usque in ultimum exequiarum beatiſſimi Papae diem; quo cum aliis Cardinalibus ingreſſus eſt conclave, ut ſuo loco opportunius referemus.

CAP. XXX.

Sacrar. concion. lib. I. cap. XXVI. Moris enim erat in primitiva Eccleſia oblationes, quae juxta praeceptum Pauli I. ad Corinth. XVI. comm. II. die Dominico fiebant, antequam ad altare conſecrationis gratia deferrentur, in *Gazophylacio* recondere, (quod proprie erat Diaconorum munus) donec inquiſitio facta fuiſſet, an hujusmodi oblationes digne Deo offerri poſſent. Non enim omnium oblationes recipiebantur; ſed tantum eorum, qui vitae integri, religioſi & probi eſſent. Unde in hoc Concilio Carthagenienſi IV. can. XCIII. decretum, ne *diſſidentium fratrum oblationes recipiantur.* & can. ſeq. *dona eorum, qui pauperes opprimunt, refutanda.* Sic Haereticorum, Idololatrarum, & omnium, qui immania facinora perpetrarunt, oblationes non admittendas docet Epiphanius Haeres. LXXV. vid. & Capitul. Attonis Episcopi Vercellenſis cap. LXVIII. & lib. II. Canon. Hibernens. apud Marten. tom. IV. Anecdot. pag. II. Et ſic Catholici, qui filios ſuos in haereſi baptizandos obtulerat, oblatio nullatenus erat recipienda, juxta can. XIII. Conc. Ilerdens. Sic Uſurariorum oblationes admittendae non erant juxta can. III. Concil. Avenionenſis celebrati anno MCCIX. apud Dachier. tom, III. Spicileg. edit. prior. Et ne Sacerdos munera ejus, cujus conſcientiam non noverat, acciperet, decretum legitur in lib. II. Capitul. ſelect. Canon. Hibernens. cap. XXII. & ne excommunicati eleemoſyna in Eccleſia recipiatur ibid. lib. XXXIX. cap. VII. apud Dachier. tom. IX. Spicileg. Plura vide apud Gabriel. Albaspinaeum ad can. XXVIII. Concil. Illiberit. Ferdin. Mendozam lib. II. de confirm. Concil. Illiberit. cap. LV. Le Maiſtre lib. II. part. II. cap. XV. de Bonis & poſſeſſ. Eccleſ. Petavium in animadverſ. ad Epiphan. Expoſit. fidei pag. CCCLI. & Hildebrandum de Euchariſtia veterum pag. IX.

1 *Comprehenſio reverendiſſimi Cardinalis.*] Vide ad Jovium cap. XIV. & P. Martyr. Epiſt. DCCLXXVIII.

* Franciſci Soderini,

## CAPUT XXX.

### *De Canonizatione beatorum Antonini & Benonis.*

Et quia inter alia gesta per Pontificem memoranda potissimum fuit 1 canonizatio beatorum *Antonini* Florentiae Archiepiscopi, nec non *Benonis* Saxoniae, quam celebravit Calendis Maii praedicti anni, propterea huic opusculo, tamquam dignissimam rem, tali forma celebratam, annectere volui. Sed prius quaerendum est quid sit *canonizatio.* Secundum *Joannem Andream cap.* 1. *De reliquiis & veneratione sanctorum*, *canonizare* est aliquem per summum Pontificem catalogo Sanctorum adscribere, cum nemini liceat aliquem, etiamsi miracula fecerit, ut sanctum colere, quia saepe per malos quaedam quasi miracula fiunt. Magna praeterea cum instantia petenda est *canonizatio*; neque Papa facile moveri ad inquisitionem sanctimoniae canonizandi, immo debet commissionem differre illius vitae indagandae, ut videatur interim an fama & miracula continuentur. Quod si fiat, tunc committit inquisitionem super vita & miraculis hominis canonizandi; ut latius haec traduntur in dicto capite primo. Primum quidem causa praedictorum per Pontificem commissa fuit judicibus in locis Florentiae & Saxoniae, ut diligenter per testes de vita, moribus, & miraculis praefatorum *Antonini* & *Benonis* informarentur, sicut jura decernunt, praecipue textus capitis *Venerabili*, *De testibus*, cujus litera talis est. *Venerabili fratre nostro Episcopo & Capitulo Corisopitensi ac universis Abbatibus apud Cistercium in generali capitulo congregatis.* Et infra. *Discretioni vestrae mandamus, quatenus testes, quos Abbas & Monachi sancti Martini Cisterciensis ordinis super vita & miraculis piae memoriae * M. Abbatis Monasterii supradicti duxerint producendos, examinare sigillatim curetis cum ea diligentia, quae solet & debet in receptione testium adhiberi.* Informatio itaque Praedictorum *Antonini* & *Benonis* per judices juxta mandatum Apostolicum habita sub fideli custodia mittitur ad Papam; eamque ipse uni ex Auditoribus sacri palatii examinandam tradidit, ut per eum discuteretur an fuerit jure facta, & probationem sufficientem ad canonizationem Sanctorum fuisse perpenderet. Qui quidem idoneam se comperisse informationem & juridicam Pontifci retulit. Quam iterum Pater sanctis-

1 *Canonizatio.*] Vide ad Moring. cap. XXIV.

* Mauricii.

*Cajetanum*

sanctissimus Theologis commisit, qui dijudicarent an mores, vita, & miracula Sanctorum digna essent nec ne ad illos canonizandos. Et juxta eorum vota, quoniam omnia recte fuerunt reperta, astantibus sanctissimo Domino nostro Papa cum reverendissimis fratribus Praelatis, ac multis aliis viris literatura & nobilitate claris, canonizatio in publico consistorio proposita fuit in hunc modum: Duo Advocati consistoriales declamatorie, alter quidem unius, alter vero alterius vitam, miracula, & alia hujusmodi, ut manifesta fierent cunctis, radicitus exposuerunt, exorantes beatissimum Papam ut illos viros, qui sanctitate & exemplo in via suae peregrinationis eminuerunt, catalogo Sanctorum aggregare vellet. Deinde Pontifex post illorum narrationem gratias Deo egit, qui nunquam etiam usque in finem seculorum sanctos & justos elargiri desinit. Et ut sanctius omnia procederent, triduum jejunium & preces Deo effundendas Praelatis omnibus indixit, ut ipse sua bonitate in eorum corda, si vera essent miracula, illorum approbationem coelitus infundere, sin autem falsa, avertere dignaretur. Et peracto jejunio, Cardinales & alii Praesules cum beatissimo Domino nostro in palatium convenerunt, & in publica concione de eorum vita & sanctimonia, utrum approbatione digna essent, prout cuique desuper datum est, conferebant. Et licet multi ex Praesulibus actum istum decorantibus solenniter materiam differuissent, praecipuus tamen fuit integerrimus pater Dominus *Didacus Ramirez* Episcopus Conchensis, prudentia & literatura refertissimus. Et post longam altercationem inter omnes convenit viros sanctos approbari. Itaque post biduum aut triduum Sanctissimus cum clero & populo ad Basilicam Apostolorum in locum contabulatum eminentiorem ascendens, inter Missarum solennia alta & intelligibili voce ipsorum laudes pertractans, omnesque ad bene agendum exhortans, his verbis concionatus fuit: *Gloriosus Deus in sanctis suis & in majestate mirabilis; cujus ineffabilis altitudo prudentiae nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura judicii coelestia pariter & terrena disponit, etsi cunctos suos ministros magnificet, altis decoret honoribus, & coelestis efficiat beatitudinis possessores, illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus attollit insigniis dignitatum, & praemiorum uberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Sic & alma mater Ecclesia ejus sacra vestigia prosequens, & exemplo ducta laudabili, licet universos in regnis coelestibus constitutos studiis honorare solicitis & sonoris efferre praeconiis non desistat, Antoninum tamen & Bennonem, electos Dei athletas, specialibus disponit honoribus venerari. Ideoque circumspecta prudentia dictae sedis,*

*quae actibus intenta ſalubribus & operibus expoſita pietatis libenter & ſolerter exequitur quae ſunt Dei, praemiſſa ſolicite digneque conſiderans, & debita meditatione perluſtrans, ad divini nominis honorem & gloriam, exaltationem catholicae fidei, ſalutemque fidelium merito cenſuit, riteque providit ſervos Dei per ſanctam & Catholicam Eccleſiam eſſe colendos. Nos itaque piis ducti conſiliis, dignisque ſtudiis excitati, nonnullos praedeceſſores noſtros Romanorum Pontificum ſpecialis devotionis proſequentes affectum imitari ſolicite intendentes, qui aliquos Sanctos canonizavere, de conſilio fratrum noſtrorum pariter & aſſenſu, beatos Antoninum Florentiae Archipraeſulem, atque Benonem Saxonenſem catalogo Sanctorum aſcribimus, feſtaque illorum, Miſſas, & officia in eorum commemorationem per univerſas orbis Eccleſias ſingulis annis perpetuis futuris temporibus celebrari concedimus & ordinamus.* Aſtantes vero concordi jubilo collaudaverunt Dominum dicentes: *Te Deum laudamus &c.* Et quamvis ſumma pecuniarum non exigua in ſimili actu, tum in Pontificia familia toganda, tum in aliis impendiis ſoleat conſumi, circumſpectiſſimus tamen Papa tales ſumptus, quaſi alienos a ſanctimonia & a puritate canonizationis, fieri vetuit. Quod raro (cum pecunia magno pretio habeatur) viſum inter homines cenſeo. Sed non absque querela familiarium, aliorumque ſuam mercedem fruſtra expectantium, actum eſt.

## CAPUT XXXI.

### *De legatione & ſuppetiis in Ungariam miſſis.*

Menſe Junii anni ſupradicti reverendiſſimum Cardinalem Minervae, [r] *Cajetanum* nomine, in Ungariam cum quinquaginta millibus ducatorum in ſubſidium contra Turcas, regnum illud invadentes, atque legationis officio functurum, virum in literis ſacris eximium, ordinis ſancti Dominici, bellorum omnino expertem, Vicarius Chriſti miſit; etſi alium aptiorem huic rei illuc mittendum curare poſſet, ut qui paulo ante illuſtriſſimum Columnenſem Cardinalem, virum ſtrenuum, hujusmodi legationi ſatis idoneum, mittere decreverat; attamen ob pecuniarum, penuriam, cum ex claro ſanguine ortus ampliorem comitatum ducturus, facturusque eſſet majores expenſas, propterea Cardinalis ipſe honeſtiori modo

r *Cajetanum.*] De hac legatione vid. Moring. cap. XXII. de Cajetano vero ipſo egimus ad Moring. cap. XIX. de quo vide & Freheri Theatr. viror. erudit. claror. part. I. Sect. II. pag. XXVII. Miraeum de Scriptor. ſeculi XVI. cap. I. §. XLI. & Auctar. de Scriptor. Eccleſiaſt. §. DXXXVII. Bellarmin. de Scriptor. Eccleſiaſt. ad ann. MD. & Sauſſaeum in continuat. Bellarm. ad ann. MDXIX.

*Solitarius*

modo quo potuit, hoc praetextu se excusaverat. Quocirca praedictum reverendissimum Cardinalem Minervae in illius locum suffecit, qui propter instantem necessitatem citius in Ungariam se contulit; ac paulo post ejus adventum stragem magnam indigenae Turcis intulerunt, quoniam, ut ex literarum inde missarum exemplari percepi, tredecim mille a paucis Christicolis, industria & ingenio eos invadentibus, obtruncati sunt, cum furtim expugnare castrum aut praedas agere niterentur. Reverendissimi tamen Cardinalis labor irritus prope fuit, cum in dies major pars Ungariae veniret in manus Turcarum; & quod calamitosius accidit, Rex ipse Ungarorum pro defensione regni & fidei a Turcis anno vigesimo quarto supra millesimum quingentesimum in praelio occisus est. Ac post aliquot dies Monachus quidam, putans sibi licere a claustro exire, militiaeque intendere, eo maxime, quod reverendissimus Minervae Cardinalis quasi cum Turcis conflicturus Ungariam petiverit, vel forte quia in subsidium Christianae reipublicae se accingeret, Romae multos pedites ob Dei amorem nullo alio stipendio collectos conscripsit, qui eos quidem tamquam Dux strenuus praecedebat, pedites vero Ducem illum sequebantur, & militari ordine saepenumero ante sacrum palatium per gyros huc & illuc incedebant, &, ut moris est, in unum corpus instar coronae convenientes, jactabant sua, ut ita dixerim, ignivoma tonitrua. Deinde versa vice rotunda phalanx illa hominum paulautim dissolvebatur; & iterum ut grues antesignanum suum insequentes, in hospitia sua redibant. Mercede tandem bellica destituta evanuit exercitus illa devotio, aliis asserentibus Pontificem vetuisse propterea, quod non expediret Monachis rebus bellicis immisceri, aliis aliter sentientibus. Nihilominus tamen alter Monachus continuo prodiens se obtulit, qui paucis sumptibus multas triremes se paraturum pollicebatur. Sed idem de triremibus, quod de exercitu monachali, actum est. Et merito. Gesta enim Monachorum extra claustra evanida reputantur. Monachus enim (ut inquit textus in cap. *Placuit*. 2. 16. q. 1.) neque poenitentiam dare, neque filium de baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neque ad Ecclesiam secularem transire, neque aliis qualibuscunque negotiis sese implicare debet. Sit claustro suo contentus; quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Agnoscat nomen suum. *Monachus* enim Graece, Latine est [1] *solitarius*. Sedeat ergo, & suae solitariae vitae vacet. Propterea cum Ponti-

[1] *Solitarius*.] Sive *Unialis*. vid. cap. 1. Canon. Hibern. ex libro XXXVIII. apud Dachier. tom. IX. Spicileg.

Pontifex juris prudentiſſimus tantaeque ſanctimoniae vir eſſet, illos Monachos extra monaſteria evagari vetuiſſe arbitror, eosque ad clauſtra redire compuliſſe, ne amplius bellicis rebus immiſcerentur.

## CAPUT XXXII.

### *De confoederatione Pontificis Adriani cum Imperatore, Potentatibus & Magnatibus Italiae.*

Et cum hinc indeque anxietatibus ſolicitudinibusque Pontifex diſtringeretur, diuque ut cultor pacis, quamvis caſſo labore, inter Imperatorem & Gallorum Regem per ſuas litteras Nuntiosque procuraſſet concordiam, quum item rumor eſſet Regem Franciae manu potenti in Latium venturum, totaque Italia in partes Imperatoris & Regis, ut diximus, diviſa eſſet, multis diebus conſilium cum Cardinalibus in Conſiſtorio Pater piiſſimus habuit, ut maturius deliberaret quid in diſcrimine tanto agendum eſſet. Tandem ut bonus gubernator ac propugnator Paterque patriae curavit Imperatorem noſtrum, Dominationes Italicas, Duces & Magnates Romanae Eccleſiae unanimes colligare, ad propulſandos omnes, qui Latinos invadere niterentur. Et quamvis unio illa eſſet generalis, qua omnes vincirentur, conjectura tamen certa erat in Gallorum aut Turcarum Regem eſſe factam. Pontifex pro terris Eccleſiae ad expeditionem, Caeſar nempe pro regnis Siciliae & Neapolis ac urbibus Imperialibus, Venetorum vere, Genuenſium, Florentinorumque Potentatus, cum caeteris Ducibus, Marchionibus, & Comitibus, certum numerum equitum peditumque pro virili pollicebantur. Ac ut iſthaec tamquam utilia & Reipublicae proficua palam omnibus pateſierent, ſanctiſſimus Pater cum illuſtriſſimis Cardinalibus, Praeſulibus, aliisque nobilibus pridie Nonas Auguſti petivit Eccleſiam beatae Mariae urbis Romae; ut die intemeratae Virginis, de nivibus cognominatae, inter Miſſarum ſolennia praedictorum promulgaretur concordia. Quam quidem confoederationem contra quoscunque volentes Italiam invadere jure potuit Papa facere, ac [1] arma temporalia movere non ſuffragantibus armis ſpiritualibus, ut

[1] *Arma temporalia movere.*] Cum enim juxta decretum Innocentii primi Epiſtola II. can. II. in clerum non admittendi eſſent, qui accepto baptiſmate militiae nomen dediſſent, hinc multo magis ipſis in Clerum jam cooptatis militia prohibita erat. Et variis Conciliorum & Patrum decretis Clericis cujuscunque ordinis militiam ſequi ſive militare vetitum. Non, quia omnis militia Chriſtianis interdicta, ut quidam volunt, adducti auctoritate Tertulliani de Idololatria cap. XIX. & de Coron. milit. cap. XI. qui, cum ſuo tempore omnis militia addicta eſſet gentiliſmo, ut Chriſtianis adimeret omnem Idololatriae occaſionem, quae variis modis in caſtris peragebatur, eos a militia

ut ſupra retuli, ac ſe & alios Chriſticolas defenſare. Et quidem cum liceat cuilibet ſuo vicino vel proximo pro repellenda injuria ſuum impartiri auxilium, immo, ſi poteſt & negligit, videatur injuriantem fovere, licuit etiam Pontifici Catholico ſibi ac ſuis proprio ſubvenire ſubſidio, atque arma parare & gerere bella; ut in cap. *Dilecto.* De ſent. excomm. in Sexto. Neque feciſſet noſter mitiſſimus Pater, niſi jure poſſet, quia magnae literaturae & timoratae conſcientiae Pontificem noſtrum fuiſſe conſtat. Quis enim facile crederet virum praeditum ſcientia literarum propriae ſalutis oblitum, in juventute pacificum, in ſenio ad bella ſe convertere, ni jus & pia juſtaque cauſa permitterent? Cum ergo divina officia pariterque pacis foedera proclamata eſſent expleta, in ſuum quisque hoſpitium ſe contulit.

## CAPUT XXXIII.

### *Convivium a reverendiſſimo Cardinali Bernardino de Carvajal Pontifici factum, ejusdemque Pontificis lethalis morbi initium.*

Maximus vero Pontifex in domum ſancti Martinelli nuncupatam divertit, ubi a reverendiſſimo Domino *Bernardino de Carvajal*, Cardinali tituli ſanctae Crucis, hoſpitatus atque invitatus fuerat: qui nudius tertius (ne quid ſiniſtrum quis ſuſpicari poſſet) vitellas, arietes, attagines, phaſianos, & alias hujusmodi aves eſculentiores vivas, vinaque ſingularia in palatium miſerat ſacrum, ut per obſoniorum Praefectos Coquos-

litia dehortatus eſt: licet doctiſſimus Scultetus in Medulla Patrum lib. VII. cap. XLI. fateatur, Tertullianum probare militiam Chriſtiano non convenire iisdem argumentis, quibus hodie Anabaptiſtae eam doctrinam defendunt, & ideo hanc ſententiam inter naevos & errores Tertulliani referat. Sed militia iis interdicta, quia piis tantum exercitiis vacare debebant, & quia, ut in can. XVII. Concil. Moguntiaci dicitur, *iis, qui ſeculum reliquerunt, omnibus modis obſervandum eſt, ut arma ſpiritualia habeant, ſecularia vero dimittant.* Et, quia *militum Chriſti ſit Chriſto ſervire, militum vero ſeculi, ſeculo.* c. reprehenſibile cauſſ. XXIII. q. VIII. Et quia Clerici horrere deberent ſanguinem, nec ſupplicio intereſſe. vid. c. Clerici c. de his Clericis c. ſi quis viduam diſt. L. unde decretum in can. I. Concil. Ilerdens. quod *qui altari miniſtrant, ab omni humano ſanguine, etiam hoſtium, abſtinere debeant.* vid. Matth. not. ad Anonym. de Reb. Ultraj. pag. CLXXV. & de Nobilitat. lib. II. cap. XXIII. Verum poſtea, cum Epiſcopi cum poteſtate Eccleſiaſtica regimen civile ſibi vindicarint, penitus neglectum fuit hoc praeceptum, & ex civili poteſtate armorum uſum ſibi comparaverunt. Et praeſertim illud in Gallia inoleviſſe, ut Epiſcopi, aliique Clerici ad bella procederent, docet Ampliſſimus du Freſne ad Ann. Commen. Alexiad. lib. X. pag. CCXCII. vid. & Ziegler. de Epiſcopis lib. IV. cap. XIV. & in libello de Epiſcopo milite, ubi per ſingula ſecula docet militiam Clericis interdictam. vid. & H. V. R. not. in Heuſſ. tom. I. Batav. Sacr. p. LXXXV. & XC. Et legi ea de re meretur Epiſtola Fulberti Carnotenſium Epiſcopi *de Epiſcopis ad bella procedentibus*, quae habetur in tom. I. Anecdotor. Marten. pag. CXXX. ubi eos non *Epiſcopos*, ſed *Tyrannos* appellandos pronunciat, & variis Patrum teſtimoniis ſententiam ſuam confirmat.

Alii

quosque Pontificios deguſtarentur & pararentur. Tamen praeventus lethali morbo ne deguſtare quidem quicquam potuit. Quamvis nonnulli errore ac ſiniſtra ſuſpicione decepti, improbe ſuſpicati ſunt ex illo convivio aegritudinem eſſe initiatam. Sed omnino falſum id eſt, cum nihil, ut diximus, praeguſtaſſet. Et hora coenae parvo ſumpto cibo, in noctis crepuſculo in aulam ſacram rediit. Et in initio infirmitatis Medici judicabant eſſe catharrum e capite defluentem; qui quidem catharrus vulnus quoddam juxta palatum fecerat. Et paulatim apoſtema illud deſcenderat in guttur; ubi per aliquot dies ſic defixum fuit, ut difficillime quicquam deglutire ſineret. Opinabantur tamen Phyſici & Chirurgi non eſſe mortiferum, maxime cum ſuppuratio illa in brachium collaberetur: qua intumeſcente, ii, qui experti apoſtema ſimile fuerant, timuerunt, mortemque proximam eſſe Pontifici prognoſticabant. Sed cum ope Medicorum inflatio illa expelleretur, iterum reſpirantes, ac laetitia affecti, credebant Papam evaſiſſe periculum, cum inde deterius illi contigerit: quia tumor ille deorſum corruens, ſupra renes conſedit, & usque ad obitum Pontificis cum gravi dolore plusquam triginta diebus affixus ſtetit. Et licet tolerantiſſimus Pater diebus ferme ſingulis extra thorum veſceretur, & per cameram deambularet, & nona die ante exhalationem animae benedicturus milites, quos in ſubſidium Mediolani (fide unionis ſervata) mittebat contra Gallos, qui poſt Alpium tranſitum in Italiam deſcenderunt, in publicum progrederetur, & ab illo die omnes indubitatam Papae incolumitatem opinarentur, Deus autem, cui ſpiritum tradidit quadrageſima die initiati morbi, aliter decreverat. Et cum nondum de infirmitate ſatis conſtaret tot lapſis dierum curriculis, opiniones hinc inde variae emergebant. [1] Alii veneno peremptum, alii ex incognito morbo deceſſiſſe aſſerebant. Quod Dei judicio, qui ſecretorum nihil ignorat, eſt relinquendum.

## CAPUT XXXIV.

### *De creatione Cardinalis Hincfort, & legato familiae relicto.*

Et cum familia Flamingiorum mortem Pontificis per aliquod dies antea praeſenſiſſet, illi inſtabat, ut Dominum *Guiliermum* [2] *Hincfort*, tunc Data-

1 *Alii veneno peremptum.*] Veneno extinctum adfirmat & Fabricius lib. II. Rer. memorabil. Saxoniae ad ann. MDXXIII. vide quae ad Moringi cap. XXV. notavimus.

2 *Hincfort.*] De quo vide quae adnotavimus ad Moring. cap. XVI. & Freher. Theatr. viror. erudit. clar. part. I. ſect. II. pag. XXVII. Ejus Epitaphium exhibet Schraderus in Monum. Italiae pag. CXLVI.

*Difficillime*

Datarium & Dertusensem Episcopum, Cardinalem crearet, ne omnino manerent deserti in casu (quod Deus averteret) piissimus Pater nutu divino ab hac luce emigrasset. Et licet Papa, sive persuasione familiae, sive alias ardenter hoc procuraverit, [1] difficillime a collegio Cardinalium impetraret, si reverendissimi Patres pro certo ejus proximum obitum haberent; tum quia *Hincfort* exosus habebatur, tum vero quia paulo ante cognitus in tenui officio, eorum consortio indignus putabatur. Et ferme omnes affectabant Magistrum *Theodoricum* a secretis Pontificis ipsorum conventui aggregari, & loco Datarii Dertusensis eligi. Voluntas tamen Pontificis, aut verius suorum, aliter inhiabat. Et tandem nostri Caesaris Oratore instigante Comite *de Cabra* Duce Suessano, seu mavis *de Sessa*, triduo ante mortem Papae numero Cardinalium praedictus Dominus *Guliermus Hincfort* Dertusensis conjunctus est, ditatusque multis beneficiis ac officiis, quibus eum Pontifex donaverat. [2] O felix vir, quem Deus ad tantum fastigium brevi evexit. Etsi conquereretur se divitem Curialem esse maluisse, quam pauperem Cardinalem. Hoc quippe inde provenire arbitror, quia suae quemque fortunae maxime taedet. Eadem die Gadicensem Ecclesiam cum mille ducatorum pensione *Joanni Rufo* Consentino Archiepiscopo, aliumque Episcopatum in Flandria cuidam juveni, * Proregis Neapolis consanguineo, cum eadem aut majore pensione in utramque familiam Hispanicam & Flamingiam dividendas contulit. Et prima hora diei qua obiit, motus precibus illustrissimi Ducis Sessani, Dominus noster Papa breve concessit, quo utrisque alumnis supellectilem, quam ex Hispaniis in Urbem detulerat, moderatione Sessani Ducis ac Cardinalis Dertusensis distribuendam reliquit. Causa largitionum hujusmodi ea fuerat, quod misera & rerum indiga clientela, tum ob temporis angustiam, tum quia id casu contigit, nihil aut parum pro multis expensis & illatis damnis recepisset. Sed frustra, quia ex legato nihil, ex pensionibus vero modicum post longam expectationem sortiti sunt. Nam defuncto Pontifice parva aut nulla cura fuit executoribus in explenda ejus voluntate. Vel forte, quia novus Pontifex pensionibus assentiri noluit; aut quia ii, quibus officium illud commissum fuerat, sibi officiosi duntaxat, aliorum sunt obliti. Et cum ante mortem Papae

1 *Difficillime a collegio Cardinalium impetraret.*] An Papa possit aliquem creare Cardinalem, Cardinalibus non consentientibus, imo inconsultis & insciis, vide H. V. R. in not. in Heussen. Histor. Ecclesiast. tom. II. pag. CXXXV.

2 *O felix vir!*] Haec ironice ab Ortisio, qui iniquiori animo erga Enchavordium fuisse videtur, dicta adnotat H. V. R. in not. ad Heussen. Histor. Eccles. tom. II. pag. CXXXIV.



* Eustachius de Croy Episcopus Atrebatensis. BALUZ.

Papae ſuſpicarentur Medici in potu aut cibo ſive literis eum toxicatum, praevia informatione Dominus *Ferdinandus de Silva* Capitaneus cuſtodiae incarceravit in caſtello ſancti Angeli quosdam ſubditos Ducis *de Camerino*, qui factionem Gallicam ſequebatur; quorum cauſa mihi fuerat commiſſa. Et quia ante excuſſionem definitionemque almus Pontifex a vita migravit, ſucceſſitque coetus Cardinalium, quibus non magis quam ſuffecto Papae curae fuit amplius crimen examinare, negotium infectum permanſit.

## CAPUT XXXV.

### *De Morte, brevibusque Papae inferiis.*

Et cum jam ſaeva mors quarta decima die Septembris praedicti anni MDXXIII. inſidiaretur Pontifici, receptis devotiſſime ſacramentis, ut moris ſui erat, ibidem aſtantibus Praelatis domeſticis cum reverendiſſimo aedituo Archiepiscopo, extremam unctionem miniſtrante, nec non Poenitentiariis alternis vicibus more ſolito praeſentibus, moritur Pontifex quadrageſimo die incepti morbi, defatigatus doloribus ac cruciatibus creberrimis, anno ſecundo ſui Pontificatus. Mortuo Pontifice, Pontificalibusque ornamentis induto, cadaver foras vehitur in ſecundam ſpatioſam aulam palatii, deponiturque in thorum ſtratum, ubi manifeſte usque ad noctem omnibus pateret. Innumeraeque hominum copiae catervatim ad ipſius pedes deoſculandos ſolita conſuetudine irruebant; quia, ut aſſerebatur, indulgentia plenaria deoſculantibus ejus pedes eſt conceſſa. Aderant enim comitantes exanime corpus magnificentiſſimus Conchenſis Praeſul, & Dominus *Ferdinandus de Silva*, infelix tunc cuſtodiae Capitaneus, & Dominus *Bartholomaeus Cueva*, temporis ſucceſſu creatus Cardinalis, Ducis de Albuquerque filius, & Dominus *Petrus Paciecus*, poſtea Episcopus Gienenſis & Cardinalis, filius Domini *Alphonſi Tellez*, Comitis de *la Puebla de Montalvan*, fratris Marchionis *de Villena*, & Dominus *Rodericus Mendocius* filius Comitis *de Caſtro*, Salmanticenſis Episcopus poſtmodum creatus, cum multis aliis nobilibus Hispaniarum cadaver obſervantes, ne turba irruens proſterneret, quam vix poterant arcere. Aſtabant praeterea Poenitentiarii, ac alii de familia Sacellani, ſummiſſa voce officium defunctorum canentes. Deinde nocte eadem in ſacellum ſacri palatii ſub ſilentio portatur; quod nonnulli noſtratum cuſtodierunt, dolentes lachrymoſis ſingultibus obitum

immaturum ſui Ducis & aurigae. Pietatis namque affectu aut humanitatis intuitu mortuos lugere non prohibemur, ſicut nonnullos Sanctorum Patrum exequiis aliorum pias lachrymas impendiſſe legimus. Triſtes interim collachrymant aerumnas & miſerias coacervatas, quas per mare & per terras (profecto dignas ploratu) paſſi ſunt, quasque paſſuri eſſent; quarum inferius aptius forſan mentionem faciemus. Poſtmodum vero decimo ſeptimo Calendas Octobris convenere reverendiſſimi Cardinales Praelati, Oratores, Magnates, Nobiles, innumeraque turba ad inferias beatiſſimi Papae, quae in hunc modum ductae ſunt. Horam circiter nonam ante meridiem magna & ſolenni pompa in Baſilicam Apoſtolorum eodem ornatu Pontificali cadaver lectica defertur funebri. Et celebrata Miſſa, & peractis exequiis, ſicut pridie factum fuerat, in aperto relinquitur, ut matronae Romanae venirent Pontificis pedes deoſculaturae. Nam hic mos jamdiu in Urbe obſervatur ab ipſis, quae non paſſim e domibus egrediuntur, exceptis diebus in chirographo nuptiali deſignatis. Et tunc obligationis potius facultate, quam arbitrio maritorum egrediuntur. Hinc inter illas exortum eſt adagium, *beatas eſſe foeminas, quae nubunt Hiſpanis*, quia libere ad ſacra, aliaque munia obeunda pro arbitratu exeunt juxta Iberiae conſuetudinem, neque conſtringuntur ut reliquae ad certos dies & feſta ſolennia. Et ne ab argumento ſuſcepto diſcedamus, circa noctem ejusdem diei honorifice defertur corpus pientiſſimi Patris in Capellam; ubi per Canonicos ſancti Petri diebus ſingulis divinum decantatur officium. Et cum vivens eſſet aſpectu pulcherrimus, horribilis viſu tunc omnibus apparebat, ob id nempe, quia non pinguis tantum, ſed morbi vitio erat valde turgidus. Et cum Scalcus, id eſt, Architriclinus, Sacellanorum ac ſacri palatii Scutiferorum, proſpiciens tumiditatem cadaveris, acclamaſſet Pontificem toxico interemptum, quippe qui meminerat [1] *Alexandrum* felicis recordationis veneno occiſum ſimilem effigiem & inflationem habuiſſe, exorta eſt contentio inter alterutram familiam. Hiſpani enim incuſabant Flamingios, quod non fideliter & ſolicite cuſtodiſſent Papam ſanctiſſimum, quem ſibi ſolis ſervandum vindicaverant, repellentes Hiſpanos, admittentes Gallos & coquos & miniſtros coquinae. Et cum eo tempore praefata bella exarderent, ſuſpicabantur omnes ab illis toxicatum Pontificem. Auctore enim *Boëtio* nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quam familiaris inimicus, nec deterior hoſtis, quam fictus amicus, aut odium gravius, quam ſimulatus amor.

1 *Alexandrum.* ] De quo veneno, quo duos Cardinales divitiis celebres, ut eorum opibus potiretur, tollere cogitabat, perempto, vide ad Jovium cap. VIII.

amor. Et ſunt ideo nequiores hoſtes hi, quam illi, qui foris ſunt, quoniam per amicitiae ſpeciem, quae inimica ſunt, gerunt. Sed non puto Flandros adeo ignavos, ut tales reciperent, a quibus ſimile flagitium perpetraretur. Si enim aconiti potione Pontifex fuit interemptus, ſubtiliori ingenio commiſſum eſt facinus. Omnia namque edulia praeguſtabantur ab ſtructore. Sed, ni fallor, propterea admittebant Gallos, quia ritus moresque eorum potius quam noſtri cohaerent illis. Et tantus fuit tumultus domeſticus, ut ad ſedandam altercationem oportuerit arte Anatomiae aperiri a Chirurgicis cadaver. Attamen, quia veritas hujusce rei minime certa conſtitit, jurgia nondum ſopita fuerunt; & ita ſemidilaniatum cadaver ſepulchro traditur. Quamvis memor fuerim Doctorem *de Agreda* Protomedicum dixiſſe ſacrum Magiſtratum veneficio ſublatum eſſe. O immane & horrendum facinus, oves necare paſtorem! Nam ſi aperte quempiam occidere grave flagitium arbitramur, quanto magis inſidioſe Pontificem univerſalis Eccleſiae, ſpeculum pudicitiae, magiſterium vitae, ſcholam virtutum interimere? O nequiſſimum Leonem verius quam hominem! Tune agnum mitem interfeciſti, quem ut animarum Patrem tenebaris diligere? Qua temeritate, quave audacia tantum ſcelus commiſiſti? Conſideraſſes enim bonitatem, literaturam, aliaque multa Pontificis merita, ut a tam turpi facinore abſtineres. Quae ſi omnia vellem colligere, facilius me tempus quam materia deſereret. Quod non ab homine, ſed a Daemone perpetratum exiſtimo. Quod ſi verum eſt Sanctum Pontificem ab homine toxico occiſum eſſe, hujusmodi ſuſpicioni praeſumptionem addidit obitus *Proſperi Columnae*, generalis copiarum Sacrae Majeſtatis ductoris, qui poſt mortem Pontificis viam univerſae carnis eſt ingreſſus, peremptusque, ut fama erat, veneno. Hoc multi ſuſpicabantur, quoniam Pontifex in foedera contra Regem Franciae omnes Potentatus Italiae devinxerat. Et quia *Proſper Columna* armis & conſilio exercitui Gallorum reſiſtebat, ideo cum Pontifice toxico interiiſſe rumor erat. Quae nimirum judicio divino relinquamus; quia tam nefaria facinora non ſunt a Chriſti fidelibus praeſumenda, neque re neque conſilio perpetrata fuiſſe credendum eſt. His novem continuis diebus Magiſter domus cum tota familia Pontificia ad tumulum Papae ſingulis diebus veniebat, & peracta Miſſa in domum revertebatur. Alii in tinellum palatii, alii vero in proprium hoſpitium divertebant. Nam mos eſt, quod clientes Pontificis defuncti impenſa Camerae quadraginta diebus alantur. Utinam mihi citra ſuſpicionem liceret noſtrorum fidelitatem ſuis laudibus non fraudare, quanto vitae diſcrimine, quantisque damnis impenſisque hunc virum Sanctum usque ad ſepulchrum

chrum sint comitati. Nam profecto si parens singulorum ipse fuisset Pontifex, eisque multa beneficia contulisset, non possent ardentiori amore eidem inservire, cum tamen expers muneris eorum major pars fuerit. Hac eadem die decimo septimo Calendas Octobris, cum tota Urbs armis ebulliret, reverendissimi Cardinales in unum convenerant super rebus agendis, & primum ut ordinarent magistratus urbis Praefectum Praefectique officialem, quia obitu Pontificis omnes de more cives parantur ad arma. Et quod deterius est, ex villis & castris finitimis catervatim ruunt rustici ad praedam & pugnam. Item fautores civilium dissensionum concitant partes suas. Ideoque Domini Cardinales ad justitiam expediendam sine mora ereant Magistratus; frustra tamen, cum seditiones usque ad creationem Pontificis non sedentur. Tractarunt praeterea de Castellanis ministris & officialibus in tota Ecclesiae ditione sub homagio ponendis. His rebus a morte Pontificis in decimum Calendarum ejusdem mensis operam dederunt.

## CAPUT XXXVI.

### *De exequiis solenníoribus Papae a Cardinalibus factis.*

Ultima die novendialis reverendissimi Cardinales, ut defuncto parentarent, moremque priscum exequiarum servarent praeteritorum Pontificum, & officium funebre in hunc modum perficerent, Basilicam Apostolorum petivere. Assistunt enim reverendissimi Cardinales, per quos Missa funebris decantatur in praedicto sacello Canonicorum. Et inter Missarum solennia concionatus est praeclarus Patriarcha Hierosolymitanus, illustrissimi Cardinalis sanctae Crucis nepos ex sorore, ex familia *de Carvajal*, alliciendo & exhortando reverendissimos Ecclesiae Principes, ut talem in Pontificali sede constituere procurarent, cui Reges & Principes terrae capita submitterent, ejusque monita velut medicamenta susciperent. Ac finita Missa quatuor Cardinales comitantur reverendissimum eandem Missam celebrantem, usque ad suggestum in Apostolorum media Basilica erectum, quod circumstabant familiares Pontificis pullati; super quod aliud contabulatum instar arcis facibus magnis plenum structum erat. Atque interim dum cantores psallebant aeternae requiei antiphoniam, quilibet Cardinalium circuibat tumulum, aspergens supra eum aquam benedictam, aut thurificans; & cum perficiebat orationem, summissa voce cantabat. Quo ordine ad ultimum usque deven-

tum est. Ad has solennes inferias Dominus Cardinalis Vulterra eductus a carcere venit, cum multis ante diebus in arce sancti Angeli jussu Domini Nostri Papae illa de causa, quam supra retulimus, inclusus detineretur, eumque bonae memoriae Adrianus solvi vetuerit ante creationem novi Pontificis. Attamen ut cessarent Oratorum Cardinaliumque contentiones, quoniam alii volebant illum statim dimitti, alii autem praeceptum Pontificis custodiri, decretum est ad illam ultimam Missam ducendum, qua finita, Conclave cum caeteris Cardinalibus intraret, essetque cum illis inclusus usque ad novi Pontificis electionem, qui posset, si vellet, eum in castrum reducere aut ejus causam indecisam relinquere, sicuti factum est.

## CAPUT XXXVII.

*De Protestatione Nuntii Regis Franciae, ne Cardinales intrarent Conclave.*

Peractis exequiis, illustrissimis Cardinalibus Conclave, ut moris est, ingredi volentibus, contentio exorta est inter Oratores Caesareae Majestatis ac Regis Gallorum. Nam Orator Regis asserebat reverendissimos Patres expectaturos Cardinales in Galliis commorantes antequam intrarent Conclave, eo praecipue, quod tenerentur absentes citare, ut venirent ad futuri Papae electionem; alioqui absentium nomine protestabatur se acturum de contemptu, praetendens etiam moris esse omnes Cardinales, citra vel ultra montes existentes, ad electionem esse vocandos; quod si secus fieret, irritum & inane quicquid sine ipsis decernerent, fore protestabatur. E diverso Caesaris Legatus dicebat rem esse magni periculi diuturnam vacationem Apostolicae sedis, & propterea brevius pleniusque esse consulendum. Quam vero gravibus sit onusta dispendiis, quot & quantis sit plena periculis Ecclesiae Romanae longa vacatio, exacti consideratio temporis edocet; quia deficiente Ecclesiae pastore gregem dominicum rapax lupus invadit, & Ecclesia viduata in facultatibus grave dispendium patitur. Et idcirco petebat a reverendissimis Cardinalibus ne sanctam congregationem differrent, ut tantis discriminibus occurrerent; maxime autem quod juxta juris dispositionem Cardinales praesentes non tenentur absentes expectare ultra decem dies; ut apparet ex textu cap. *Ubi periculum.* in verbo *Hoc Sacro.* De electio. lib. sexto; cujus verba sunt. *Hoc sacro Concilio approbante statuimus*

*mus, ut si eundem Pontificem in civitate, in qua cum sua Curia residebat, diem claudere contingat extremum, Cardinales, qui fuerint in civitate ipsa praesentes, absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur; quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes convenient in palatio, in quo idem Pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo servientibus Clericis vel laicis, prout duxerint eligendum. Illis tamen quibus patens necessitas id suggerit indulgeri, duos habere permittimus, eisdem electionis arbitrio reservato.* Auditis & intellectis utriusque Legati rationibus, decretum fuit per Dominos Cardinales, ut tot damnis obsisterent, statim adire Conclave.

## CAPUT XXXVIII.

### *De ingressu Conclavis.*

Tandem more solito itur ad claustrum prima die Octobris anni millesimi quingentesimi vigesimi tertii, quod usque in diem sequentem quarta hora post meridiem mansit occlusum. In eo autem triginta Cardinales affuerunt; & sexta die ejusdem mensis supervenere alii tres Cardinales Gallici modo excursorio; quos Orator Imperialis simul cum aliis dicebat non esse admittendos, eo quod Conclave jam esset clausum. Sed post longam altercationem determinatum est ut admitterentur, juxta textum in capite praeallegato in versic. *Si vero ibi absentes, quos per decem dies diximus expectandos, supervenerint re integra, videlicet antequam eidem Ecclesiae sit de pastore provisum, in eodem negotio in illo statu in quo ipsum invenerint admittantur; qui praemissa, quae diximus, tam de clausura quam de famulis, cibo ac potu, reliquisque cum aliis servaturi erunt.* Quorum adventu perculsi sunt Imperiales. Triginta itaque tres Cardinales fuerunt in Conclavi usque in diem Mercurii dedicationis Basilicae Apostolorum *Petri & Pauli*, decimam octavam mensis Novembris ejusdem anni, qua electus est Pontifex maximus reverendissimus Dominus Cardinalis *de Medicis*, vocatus *Clemens septimus.* Quae autem compositiones & conventiones, si fas est foras effutire, diebus Conclavis inter reverendissimos Cardinales, eorumque confoederatos, ultro citroque jactae fuerint, aliis scriptoribus relinquamus, qui verius gesta secretiora intellexerunt. Sat sit nobis tot sine controversia dies elabi non potuisse. Nos vero post tot dierum curricula potius schisma quam electionem formidabamus, propterea quod adjurationes dicebantur fa-

ctae

ctae a fenioribus Cardinalibus de non creando Domino Cardinali *de Medicis*, & a junioribus de eodem Pontificiali apice decorando. Et quamvis in re tam fancta non fit verifimile talia juramenta interveniffe, cum lex etiam humana fimiles pactiones, five juramenti five cujuslibet alterius vinculo firmitatis innexas, caffet & irritet, & jura viribus eas carere decernant, ita ut nullus ad illa obfervanda quomodolibet fit aftrictus, nec quisquam ex earum transgreffione notam veneratur fidei non fervatae, & Deo transgreffiones hujusmodi quam jurisjurandi obfervationes fint acceptiores, cumque ceffet electio, dum libertas quoquo modo adimitur eligendi, vulgus tamen nemini parcens has pactiones pro certo afferebat. Tandem feniores Cardinales, fortaffis defeffi, cefferunt; vel, quoniam tam prolixam claufuram pati non poterant, aut, quod verius eft, quia Deus, qui cuncta gubernat, mutaverat illorum corda, ut omnium confenfu reverendiffimus Dominus *de Medicis* eligeretur, ne defectu paftoris univerfalis Ecclefia incommoda pateretur. Et die fequenti fefto fanctae *Helifabeth de Ungaria* celebritati dicato, fuit ejus electio publicata, nimirum quinquagefima die, quafi Spiritus fanctus repraefentato Pentecoftes fefto affuiffet. Pontifex autem, prius quam exiret a Conclavi, magnas fecit largitiones Cardinalibus, donando eos officiis; quatuor duntaxat refervatis, quorum obventiones fibi retinuit. Conclaviariis etiam, aliisque complura beneficia & quadraginta millia ducatorum, veftes infuper contulit, & omnibus gratias egit pro electione de fe facta. Et non poft longum intervallum a publicatione electionis Pontificali apparatu amictus, magna folennitate & pompa in folio a lecticariis ducitur in Bafilicam Apoftolorum, in Capellam beati Andreae, ad gratiarum actiones; ubi a Cardinalibus folita veneratione fuit exceptus, ut fuperius in genuflexione piiffimi Adriani retulimus. Et poft benedictionem populi, in limine facelli Magifter ceremoniarum tenebat duas arundines, alteram ftupa, alteram candela incenfa paratas; & cum Papa egrederetur, alta voce & intelligibili acclamavit incendendo ftupam: *Pater fancte, fic tranfit gloria mundi hujus.* Deinde in medio Ecclefiae fecit idem. Tertio denique ad exitum Bafilicae eadem protulit verba. Et eodem ordine ac comitatu reverfus eft in facrum palatium. Primitiae Pontificatus fuit creatio Datarii * *Joannis Matthaei*; qui etfi juvenis, prudentia tamen fenex clarisque virtutibus pollebat, ut ab omnibus probabatur. Poftmodum vero magna fefta folennitatesque celebrabantur usque ad Calendas Decembris, quibus Pontifex novus coronatus. Caeterum quia animus meus fuit gefta beatiffimi Adriani immortalis memoriae

* Joa. Matthaeus Gibertus, poftea Episcopus Veronenfis. BALUZ.

riae viri describere, quae facta sunt tempore Clementis felicis recordationis sub silentio praeteribo; (Hoc enim esset membranam, quod ajunt, totam occupare) maxime quia in Romanorum Pontificum annalibus latius & elegantius sunt designanda. Ac ne multum a proposito videar dilabi, ad rem coeptam revertar.

## CAPUT XXXIX.

### *De retentione beneficiorum in pectore Pontificis Adriani.*

Cum beatissimus Papa, recolendae memoriae vir, in omnibus esset circumspectus, praecipue tamen in provisione beneficiorum, eos undique viros quaeritans, quibus salva conscientia posset ea conferre. Cum eos ex sententia non facile inveniret, plurima beneficia post ejus decessum vacantia remanserunt. Et quia non passim & sine delectu Curialibus ac reliquis beneficia & ordines de more conferebat, aemuli invidique tenacitati potius quam debitae provisioni hoc imputabant, minime considerantes qua vigilantia ac solertia beneficia sint conferenda. Praelati enim juxta canonum statuta ad unguem perpendere debent viros provectiores scientia, moribus, & aetate, qui in sacro ordine & Ecclesiis sunt collocandi; ubi, ne potentia aut supplicatio quorumlibet subrepat, merita personarum sunt expendenda. Et quia vigilantissimus Papa tam in promotionibus quam beneficiis conferendis haec exactissime observabat, in multorum indocilium, quasique barbarorum hominum odium incidit. Cum dignitates, personatus, & reliqua sint singulis singula, & non plura, ut sacri canones testantur, tribuenda; attamen nonnulli modum avaritiae non ponentes, dignitates diversas & plures Ecclesias contra canonicas sanctiones nituntur accipere; qui cum unum officium vix adimplere sufficiant, plurimorum stipendia sibi vindicant; quae multis litteratis viris vitae puritate ac testimonio bonae famae pollentibus, quique infelices in plateis mendicant, possent abunde sufficere aequa distributione collata. Haec & majora pericula [1] pluralitas beneficiorum execrabilis adfert. Plura enim sacerdotia habentibus paratur materia vagandi, praeter id quod divinus cultus minuitur, atque jura Ecclesiarum absentia Rectorum collabuntur, &, quod deterius est, animarum cura negligitur, & vitiorum senti-

[1] *Pluralitas beneficiorum.*] Vide quae ad Moring. cap. XIII. adnotavimus.

ſentibus fomentum periculoſe praebetur. Haec & alia hujusmodi effrenata cupiditas, ſui prodiga, pacis aemula, mater litium, materia jurgiorum, generat. Et cum hi nondum in caſtris dominicis fuerint initiati, jure optimo tamen putant ſibi majores praebendas deberi, tum quia antiqui Curiales, tum praecipue quia Caudatarii ſint aut Cubicularii Dominorum Cardinalium; non attendentes quod etiam leges civiles officia ſecularia & principalem locum, non tyronibus, ſed veteranis ac per ſingulos gradus examinatis conferunt. Quis tam arrogans, tam impudens erit, qui in coeleſti militia, quae propenſius ponderanda eſt, & ſicut aurum repetitis ignibus exploranda, ſtatim dux animarum eſſe deſideret, cum forte ne tyrocinium quidem fecerit, cum prius lectorem, aut oſtiarium, pſalmiſtam, exorciſtam, ſive acolytum in divinorum rudimentis, ut ſacros ordines omittamus, agere debuiſſet; cum iniquum ſit abſurdumque, ut imperiti magiſtris, novi antiquis, rudes emeritis praeferantur. O execrabilis ambitio, quae ſemper quo plus ambit, eo magis fit inſatiabilis; quo ſibi amplius indulget, eo magis inhiat! O improbitas importuna petentium a Pontificibus Romanis coacervata ſacerdotia, ut non tam obtinuiſſe, quam extorſiſſe plerique noſcantur! His omnibus Vicarius univerſalis mederi cupiens, quaeritabat undecunque literatos, quibus Eccleſiarum gubernacula committeret, Doctorem inquam *de Agreda*, Doctorem *de Alvarado*, Doctorem *Coldeſança*, Doctoremque *Ortiz* tunc Pariſiis commorantem, ut ex multis hos ſaltem pauculos ſeligamus, ac plures alios in Hiſpania, Francia, Italia, & utraque Germania; ut de me interim taceam, non inter hos ante ſignatos Doctores nominando, eisdem tamen ab eodem Pontifice connumerato. Ideoque cum proviſiones, & alia hujusmodi praemiſſa oculeus teſtis inſpexerim, omnibus haec pernoſcenda curavi. Ac propterea maxime Curialibus Pontifex erat infeſtus, quaſi novarum opinionum ſuperſtitioſus inventor. Qui utinam conſideraſſent, quod ſi quae beneficia vivens adhuc non conceſſit Paſtor eximius, non ſibi, ſed viris doctis & ſublimibus perquirendis reſervavit, ut experimento exemplisque omnibus probis fuit exploratum. Conſideraſſent praeterea detractores, ne opinarentur] eum eſſe tenacem, inopiam Apoſtolicae Camerae, ex eaque omnia vaſa aurea & argentea, & praetioſiſſima quaeque ſupellectilia aſportata aut pignorata eſſe, adeo ut neque obolus quidem, quo indigentia ſublevaretur, in ea reperiebatur, nedum ad liberalitates exercendas ſufficeret, & nemo in tanta pauperie poſſet liberalis exiſtere, niſi demens, aut niſi contra fas extorſiſſet gabellas ſeu impoſitiones a ſubditis. Quod minime attentavit pientiſſimus Papa; immo potius eos ſpiritu lenitatis confovebat, illorumque

rumque

rumque indigentiis subveniebat. Animadvertissent etiam ob acerrimam pestem siluisse negotia, e quibus obventiones Apostolicae Camerae evenire solent. Neque erat industrius ad investigandas pecunias, magis deditus lucubrationibus litterarum. Vellet nempe solvere creditas pro classe paranda, & exercitu colligendo, clientelaque alenda; quas quidem omnino brevi & immatura morte non esse solutas reor. Considerantes vero magnas impensas, Apostolicae sedis summam inopiam parsimoniae & non avaritiae attribuerent. Si enim hoc non fecisset sanctissimus Papa, dilapidator bonorum potius, quam magnificus largusque videretur. Quamvis saepe vitia se ingerunt, saepissimeque sub virtutum praetextu latitare conantur. His verioribus & justis causis obstruere ora latrantium contra Pontificem existimavi, licet alius oratione magis composita melius posset eum excusare. Sed veritas absque ampullosis verbis, longisque verborum ambagibus se ipsam demonstrat. Haec sat mihi puto retulisse, ne in re tam clara prolixus aut verbosus videar.

## CAPUT XL.

### *Descriptio staturae & qualitatum Adriani Pontificis maximi.*

Ad coronidem opusculi congruum duxi, in meam aliorumque piam recordationem, staturam & qualitates Adriani sexti Pontificis maximi dignas memoratu describere. Nam quod imago depicta indoctis, idem scriptura praestat literatis hominibus. [1] Erat igitur membrorum pulchra temperatura, aspectu pulchro, vultu oblongiori, candido, & rubeo, subsimo naso, ac aliquantulum aut senio aut natura incurvabat caput & collum, statura proceriori, incessu moderato neque tardo neque cito, silentio providus, utilis & cautus in verbo, humilis, doctus, castus, honestus, conversatione alacer, ac benignus, videntibus & colloquentibus placidus ac clemens, sermone verax, judicio rectus, qui conspicientes honestate instruebat atque reficiebat moribus, integerrimus vita, literatura sacra conspicuus, adeo ut ejus tempestate par difficillime reperiretur. Heu miseram temporis calamitatem! Antequam fastigium Pontificatus adipisceretur, erat exemplar virtutum; in Pontificatu vero non defuerunt detractores, critici, & blaterones, qui illi detraherent. Post obitum vero a malevolis quasi vas contumeliae fuit reputatus. Deus tamen,

1 *Erat igitur membrorum &c.*] Vide ad Moring. cap. VI.

men, qui cuncta per veras causas agnoscit, aliterque homines judicat, qui bene noverat mentem & opera piissimi Papae, quem neque magnitudo status movit ut vitam mutaret, immo eadem frugalitas, eadem continentia, par in sacris eloquiis enucleandis ardor & studium, sibique per omnia similis in cultu & parsimonia, aequali in omnes mansuetudine usus, nulli servivit desidiae, nulli denique fuit perturbationi apud eum locus. Neque minus clementer ac leniter, ubi res postulabat, vel severe & rigide & dixit & fecit omnia, ni forsan clementior fuerit natura quam regnorum gubernatores decet. Audacter fortassis asserere possem, ut domesticus testis, quod neque vidi neque persensi, quamdiu in ejus obsequio & ministerio permansi, quicquam sinistrum aut minus grave in dictis aut factis; immo quasi speculum cunctarum virtutum, antequam Urbem ingrederetur, ut cuncti noverunt. Cujus orationi studium vehemens succedebat. Et studium interdum oratio interpellabat, ita ut ea solum tempora, quae naturae necessitas exigit, victui & quieti concederet, caetera omnia officiis divinis ac humanis ita distribuens, ut humani generis adversario nullum locum vacuum relinqueret. At quid moror in illius praeconiis enarrandis, cum esset vir ex omni parte irreprehensibilis? de quo consultius forsan esset nihil dixisse, quam haec pauca referre, praesertim cum lingua dictantis impar sit tam arduae materiae.

## CAPUT XLI.

*De brevi mora in urbe post Pontificis obitum, redituque meo in Hispaniam.*

Occasione tamen hinc sumpta, in calce hujus opusculi, ut de me interim nonnihil loquar, annectere volui brevem moram, quam post obitum Domini mei Papae in Urbe, non tamen sine causa, traxi; reditumque meum in Hispaniam nonnihil ad rem attinentem adjungam. Defuncto enim Domino meo non poenitendo Pontifice, lites exortae, ut solet, super Canonicatum meum reditum morabantur. Quapropter oportuit gradum figere, eisque finem optatum imponere. Et habita sententia, exequutorialibus, ut sic dicam, obtentis, possessioneque Canonicatus a clarissimo ac perinde in orbe terrarum celeberrimo Capitulo almae Ecclesiae Toletanae concessa, continuo composui sarcinulas, ut ad propria remearem. Sed cum non expediret hominem solum proficisci,

cos

potiſſimum ex Italia, quaeſivi comites; & inveni ex familia Papae paucos quidem ex multis. Nam illorum magna pars illa infeſta & prolixa peſte jampridem obiverat, alia in exercitum Imperatoris diſtracta cum expeditione maximi Adriani ejus morte fuit conſumpta, reliqua vero periit in illa miſerrima ſubmerſione Domini *Ferdinandi de Silva*; de qua ſuo loco dicetur. Et cum ſacra eloquia nos doceant, ut quaecunque agere verbo aut opere velimus, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti faciamus, moerentes amiſſo duce, omnique comitatu, in Baſilicam cognomento *ſanctae Mariae de populo* nos contulimus, unde poſt rem divinam celebratam feliciter coepimus noſtrum iter die Martis Idibus Martii anni vigeſimi quarti ſupra ſeſquimilleſimum, hora decima quinta ſecundum horologium Romanum, quod numerari incipit a ſolis occaſu pridianae diei. Et tendimus in oppidum *de Bacano*, cui adjacet nemus illud ſatis vulgatum ejuſdem cognomenti, & lacus capax ad piſcandum; & cum piſces ſint mali, nihilominus tamen aër deterior eſt, diſtatque ab Urbe quatuordecim, ut menſuris Italicis utamur, milliariis. Ac illico inde profecti, in oppidum *de Montcroſo* pervenimus ſejunctum a praecedenti ſex milliariis; quorum tria leucam Hiſpanam conficere dicuntur. Deinde oppidum *de Ruiſellon* in noctis crepuſculo petivimus; inter quae duo oppida fluit amnis profundus. Nihil aliud inter utrumque memorabile cernitur praeter lacus piſcatorios ſimiles praecedenti. Die Mercurii in aurora egreſſi conceſſimus *Viterbium* civitatem, quam, ut reor, mille * vicini colunt; ubi corpus Divae *Roſae* in Coenobio quodam Monialium colitur; quae illac tranſeuntibus dant chordulas quasdam, quibus ſacrum illud corpus tetigerant, juvantes quidem, ut incolae ajunt, parturientes, patientesque lumborum dolorem & renum, ac hujusmodi alios cruciatus. Quod minime ambigendum puto ob praerogativam illius beatae Virginis. Nam ejus merita haec & majora privilegia merentur. Eſt praeterea Coenobium ſanctae *Mariae de la Chercia*, noſtro idiotiſmo *del enzina* nuncupatum. Continet etiam imaginem Deiparae Virginis, quam magna religione accolae venerantur; diſtatque a *Ruiſſello* decem milliariis. Hinc perreximus in urbem nomine *Montis-Flaſcon*, alias *Faliſco*; quae licet parva inhabitantium numero, fulget tamen cathedrali Eccleſia, qua corpora beatorum *Margaritae* & *Felicitatis*, & ſeptem filiorum magna devotione coluntur. Cui e regione non eminus prominet palatium Epiſcopale, honoraturque praeterea corpus ſancti *Publiani* in propria Eccleſia, unita tamen majori Baſilicae. Circumſtant urbem tria Coenobia, unum



* Id eſt, cives. BALUZ. Idem obſervavit H. V. R. in not. ad praefat Batav. Sacr. p. XVIII.

divi *Augustini*, aliud beati *Francisci*, tertium ejusdem ordinis nominatum *servorum*. Continet etiam quatuor Ecclesias parrochiales, & castrum occidentem versus mediocriter munitum. Quae omnia reddunt urbem illam magnificam, insula Episcopali decoratam; quam quidem minime proprius sponsus illustrat, propterea, quod quondam communitas eum occidisse perhibetur; ac civitati dignitas Episcopalis jure subtrahitur casu quo ipsa interemerit Praelatum; ut *cap. si. 25. q. 2.* Neque stupescas tali poena eos puniri, cum in libro Decretorum scriptum sit: * *Oves pastorem non reprehendant, plebs Episcopum non accuset, neque vulgus eum arguat.* Quinimmo sententia Chan filii Noë damnantur, qui suorum Praepositorum culpam produnt more Chan, qui verenda patris non operuit, sed irridenda monstravit; cum si aliquid contigerit de Domini sacerdotibus audiri, quod piis mentibus ingerat confusionem, non infrunitum Chan, sed pudoratos filios Noë imitantes, contegere teneantur. Legitur praeterea Imperatorem Constantinum dixisse: *Vere si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei peccantem, chlamydem meam exuerem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.* Ergo si accusare aut reprehendere suos Praepositos nefas judicatur, quanto atrocius oves trucidasse pastorem nefandum & immane flagitium, solaque morte piandum est. Quod raro aut nunquam in nostris Hispaniis accidisse creditur. Etsi proditum sit in Comitatu de Vizcaya Cantabros olim proprium interemisse Pontificem, hujus tamen facti nihil certi conjectari potest; quamvis aliqui opinentur propterea Episcopum eorum Provinciam neque visitare, neque in Comitatum ingredi, ac etiam jura duplicia ab eis in litibus Ecclesiasticis persolvi. Quae quidem argumenta nequaquam ob id hanc consuetudinem inolevisse probant. Etsi vulgus hoc teneat, aliterque alii sentiant, hoc tamen liquet, quod Episcopus non visitat illos, neque illi se visitari permittunt; eo forsan, quod primates Provinciae obsistant, ne ab eis decimae & alia emolumenta Ecclesiarum vindicentur. Sed ex quacunque causa id evenerit, oporteret, ne grex dominicus dispergeretur, oves suum pastorem agnoscere. Etsi apud ipsos ad gloriam Dei fides illibata & inconcussa permaneat, quod ut testis & arbiter asseverare possum, non tamen ambigo, quin multa incommoda ex absentia Praelati exoriantur, quibus esset medendum. Nam sanctius est in tempus occurrere, quam post vulnus impactum medelam quaerere; ideoque esset opus rei tam periculosae intendere animum: quia, ut Evangelica sententia praemonet, *bonus pastor cognoscit oves suas, ab eisque mutuo cognoscitur.* Unum coram Deo testor, quod quamdiu in Episcopatu Calagur-

* 6. q. c. 9. Oves.

lagurritano fui demoratus, cum multis nobilibus viris Comitatus Cantabriae saepe pertractavi de ingressu, & visitatione nomine Episcopi domini mei facienda, qui nunquam ei obstiterunt; ac nisi electio piissimi Adriani citius, quam perficeretur negotium, emergeret, omnia, ut reor, componerentur. Neque piget haec inseruisse, etsi videantur ad rem propositam non attinere, ut aliquis fortasse zelo religionis accensus a summo Pontifice & Rege Carolo Imperatore nostro impetrare conetur, ut Praesul Calagurritanus plane & sine offendiculo Comitatum Vizcayae sicut reliquas partes Episcopatus visitet. Evangelica enim lectio praecipit: *Compelle eos intrare &c.* Ad rem itaque rediens, ne longius provehar, praedicta civitas *Montis-Flascon* distat a *Viterbio* octo milliariis. Illinc egressi hora tertia post meridiem, tetendimus *Vulsenam* ducentorum civium oppidulum, quod ferme circumdat lacus magnus triginta milliariorum; quod praeteruentes, appropinquavimus oppidulo nuncupato *sancti Laurentii* satis munito, distanti a *Monte-Flascon* novem milliariis & a *Vulsena* tribus, ubi pernoctavimus. Die Jovis diluculo a *sancto Laurentio* discedentes sex milliariis, in oppidum *de Aquapendente* devenimus; & absque mora abeuntes, accessimus diversoria *de Palla* per alia decem milliaria, ac post prandium in cauponam *de Escala*, ubi illa nocte quievimus; licet per terram ignobilem inhabitatamque octo milliariorum intervallo concessimus. Sequenti vero die Veneris in *sanctum Quiricum* nos contulimus, leuca, ut brevius dicam, inde distantem. Quod oppidulum etsi parvum sit, aliquantum tamen praemunitum apparet; processimusque decem inde milliariis in municipium *de Buenconvento*, tandem ad oppidum *de Lucina* semotum quinque *milliariis*. Deinde in *Monteron* parvo tramite distantem ventum est. Et pransi, *Senas* duabus leucis semotas appulimus. Quae civitas semper Imperatoris partes sequuta est; ideoque forsan Imperialis appellatur. Haec sane quondam conterminarum clarissima extitit; hodie vero magna ejus pars diruta manet. Nihilominus tamen ubique terrarum insignis habetur, tum quia Episcopali dignitate decorata, tum vero quia caput Divae *Catarinae Senensis* in Ecclesia ejusdem nominis magna devotione observatur; ac propterea vulgo dicitur *sancta Catarina de Sena.* Ex eo etiam insignis habetur, quia neminem in terris Praefectum aut superiorem dignatur; ideoque proprio jure regitur, ut Venetiae, ac alii Potentatus Italiae. Brevius expediti a *Senis*, in vicum nomine *Stayam* leuca communi distantem, deinde in municipium *de Pogio* Imperiale tribus milliariis semotum, hincque ad *Pogibontium*, castellumque Florentinum oppida munita transcursimus.

## CAPUT XLII.

### *De computatione leucarum millarumque Italicarum, passuum atque pedum.*

Caeterum quia in hoc Itinerario itinerum intervalla milliariorum aut leucarum Hispanarum millarum Italicarum appellatione explicantur, non ab re me facturum existimo, si hujusmodi intervallorum nomina exposuero. Ut sciamus igitur quot passibus leuca communis constet, earumque certitudo habeatur, quatuor millia passuum leucam communem efficiunt. Ac ne per incerta procedamus, investigare etiam oportet quid sit *passus*. Est enim mensura quatuor pedum; ut inter peritiores Cosmographos convenit; qui proprie appellabitur nostro idiotismo Carpetano *tranco o passada.* de quo habent Canonistae glo. in. c. *Sicut antiquitus.* 17. q. 4. quae etiam ponit quot digitos habeat. Pes enim quindecim digitorum spatium; ut in ead. glos. Cosmographis vero est sedecim. Sed de his hactenus. Deinde vero per loca inhabitata & cauponas usque ad montem Lupi; & ultra procedentes divertimus in suburbium *Pisarum*, urbis antiquitus celeberrimae & primas Provinciae obtinentis, quae dominabatur in magnam partem maris nostri terrarumque, nunc autem facta est sub ditione & tributo Florentino. Habet haec antiqua civitas & celebrata per orbem juxta cathedralem Ecclesiam templum sancti Joannis Baptistae satis insigne, cum turri artificio singulari constructa quasi minanti ruinam, quae proprius transeuntes conterreat. Est praeterea juxta templum Coemiterium, cujus area parietibus circumquaque depictis inclusa, dicitur *Campus sanctus* instar Romani. Huic domus Episcopalis quasi cohaeret. Ex altera parte aedes Canonicis ad degendum victitandumque deputatae, quibus annectitur vicus porrectus longe lateque discurrens, qui appellatur *Strata*, satis magnificus, parum tamen habitatus, propterea quod tempore aestatis fertur esse nocivus. Continet praeterea celebrem universitatem, quam tunc decorabat magnus ille ac famigeratissimus Doctor [1] *Philippus Decius*, utriusque juris Doctor. Collabitur etiam per mediam urbem amnis laetificans eam, si laetitia moestis paulo ante dominis, modo astrictis alieno imperio, cum nondum

1 *Philippus Decius.*] Hic *excellentissimus Jurisconsultus* dicitur a Montano de tutel. 1. No. XVII. qui celeberrimus Juris Professor, lautissima stipendia Bononiae, Patavii, alibique habuit; de quo quaedam adnotavit reverendus pater Petrus Burmannus in not. ad tom. 1. Epistol. Lipsii Epist. CCCCLVI. & Seelen de Praecocib. Eruditis pag. XL.

Ut

nondum recentem deliniſſent dolorem, tribui poteſt. Habet item ultra praedicta loca unum Orphanotrophium non praetereundum, quo educantur infantes expoſiti, opus ſane memorabile, inſtar noſtrae illuſtris civitatis Toletanae in orbe terrarum clariſſimae. Reliqua vero, ſi qua digna annotatu ibidem adhuc extant, non potui conſpicere, quia clanculum urbem illam ingreſſus fui; cum ideo obſervaretur, ne ab urbe Roma profecti peſte illa acerrima & diutina, qua urbs ipſa infeſtabatur, quaeque tot homines corripuerat, quamque illuc usque durare formidabant, Piſarum urbem inficerent. Ideoque velut in latebris cunctati fuimus in noſtro hoſpitiolo apud Piſas tres quatuorve dies, expectantes ibidem lintrem qua Genuam veheremur.

## CAPUT XLIII.

*De computatione ſtadiorum, & navigatione in Genuam.*

Verum quia * ſuperius annotaveram portus a Genua in Liornam, diſtantem a Piſis nonaginta ſex ſtadiis, hic non referam. *Stadium* eſt, ut hoc quoque cum reliquis menſurarum intervallis omnibus innoteſcat, quod continet octavam mille paſſuum partem, hoc eſt, centum viginti quinque paſſus, pedes vero ſexcentos viginti quinque, aut quingentos ſecundum certiorem Coſmographorum computationem. Hunc itaque Piſanum portum noſtra aggreſſi ſumus navicula. Ideo autem hos portus cenſui praetereundos, ne geminato ſermone videar moleſtus, cum in navigatione Adriani Pontificis eosdem pro modulo deſcripſerim. Prius autem quam accederemus Genuam, comperimus militem quendam Hiſpanum, qui primus nobis cladem & calamitatem Domini *Ferdinandi a Silva* ambiguo verbo reſeravit. Nos vero triſtati paulatim proceſſimus, cum paulo ante inſtantiſſime faceremus iter, ut cum illo in Hispanias regrederemur. At Deus ex alto aliter proſpexit, ne tota lamentabilis Pontificis familia aquis obruta, peſte aut bellico gladio conſumeretur, eſſentque ſaltem qui nuntium moeſtum, etſi dolentes, ad noſtrates Hiſpanos deferrent. Demum adivimus Genuam, ibique invenimus Dominum Doctorem *de Agreda*, qui nos praeceſſerat, ut cum praedicto Domino *Ferdinando* in patriam navigaret. Eramus quidem triſtes, quia jam apertius circumferebatur infortunium illorum nobilium. Agentes tamen quas potuimus gratias Redemptori noſtro, qui nos a tanta infeli-



* Supra c. 16. 17.

citate liberavit, cum omnes ſimul periiſſent in navi contrariis fluctibus agitata. Neque adhuc conſtat certus locus infortunii calamitoſique caſus, cum nemo illorum periculum evaſerit qui id nuntiaret. O infelix nobilium animus indefeſſus! Quanta aviditate, quanta ſolertia ſequuti ſuum Dominum & aurigam Pontificem Adrianum, quanta moeſtitia illo amiſſo ſunt reverſi, ac demum perierunt in mari cum Domino *Ferdinando a Sylva* e noſtris plures illuſtres viri, quorum paucos obiter referam. Dominum *Petrum* inquam filium *Marchionis de Monte-majori*, ac Dominum *Alphonſum* filium Comitiſſae *de Salinas*, noſtri patroni Adriani Camerarium, multosque Magiſtros militiae ordinis ſancti Joannis, quos virtus a calamitate exemerat Rhodia, ut cauſa latens fluctibus ſubmergeret ac ſuffocaret, cum pluribus aliis quotquot navis illa magna, *carraca* vulgo nominata, onuſta capere poterat. Flevit infelicitatem Hispania, & praecipue noſtra urbs Toletana, ſuos filios extrema fuiſſe paſſos. Flevit etiam Genua cives ſuos cum navarcho ſuo obrutos. Flevit praeterea Nolenſis civitas nauclerum ac miniſtros navis ac cives merſos amiſiſſe. Hinc penſanda ſunt facta divina. Heu nos miſeros, qui anxii feſtinabamus, ut ſimul cum eis noſtra fieret navigatio! Quod Deus ſua clementia dignatus eſt avertere judicio ſuo ſecreto. Quod utinam fuerit ad ſalutem animarum noſtrarum. Caeterum vix paulum proceſſeramus poſt miſerabilem illam ruinam, ecce nuntium noſtras perculit aures, quod altera navis, quae vulgo dicitur *carraca*, etiam ſubmerſa fuerat juxta inſulam Ebuſum, quae nunc *Ibiça* dicitur, ex qua Dominus *Joannes a Corduba* Decanus Cordubenſis cum paucis, propterea quod eſſet in portu aut prope, fuerat liberatus, reliqui vero emigrarunt a luce. Nos vero circumdati anguſtiis, conſideratis tot diſcriminibus, timentes ne criminibus noſtris caſus ſimilis nobis accideret, quaerebamus modum ſecuriorem quo tutius proprias domus poſſemus inviſere, cum ad hoc neceſſitas ipſa nos cogeret. Per terram enim non erat tutus acceſſus propter bellicam cladem Gallorum, aſſiduosque graſſantium incurſus, qui cum diu moraremur Genuae, ut fama erat, nobis aſtruxerant inſidias. Et cum aliud non ſupereſſet confugium, oportuit nos periculis vaſti maris exponere, ac quaeritare navigium, quo tutius navigaremus. Denique tertia ſe obtulit navis magna oneraria, quae merces in partes occiduas erat evectura; cujus Navarchum inſtanter ſollicitavimus, ut quam primum nauclerum ac nautas excitaret, nec non anchoram, armamenta, funes, amplaſtria, & carbaſa, & munimenta quaeque pararet, atque malum conſtringeret, ne horum aut hujusmodi aliorum defectu carraca noſtra periclitaretur, ac nos ut caeteros deglutiret maris ſaeva tempeſtas. Et licet

licet ipſum in horas hoc efflagitaremus, non tamen continuo impetravimus, propterea quod opus fuit illic viginti dies demorari. Et cum interim otio vacaſſem, ne omnino otioſus eſſem, volui varias opiniones de nomine *Genuae* hic immiſcere, unde nomen acceperit *Genua*, cum ſit caput Liguriae. Libuit etiam mores indigenarum huic papyro mandare. Qua in re, quamvis craſſo ſtylo, annotaſſem ſitum ac pulchritudinem ejus & pleraque in illa urbe annotanda, niſi ſigillatim elegantius & copioſius *Didacus Lopez Stunica* Complutenſis, [1] ut ſupra retuli, haec omnia in ſuo explicuerit Itinerario, ubi harum rerum cupidi cuncta poterunt perluſtrare. Ad primum ergo dixerunt quidam *Genuam* a genu deductam, quia habet quaſi quoddam genu curvum & ſemisphaericum a latere maris. Alii a *Genuo*, qui eam condidiſſe putatur. Quidam hanc urbem *Januam* appellant, quam a Jano conditam dicunt; alii vero quia ſit janua Italiae, & potiſſimum Galliae ciſalpinae ſive togatae, quae vulgo dicitur *Lombardia.* Appellatur etiam Genua *Liguſticum emporium.* Ex hac incipit mons Apenninus, qui *dorſum Italiae* dicitur. In eadem hac urbe Nobiles & Mercatores veſtibus utuntur talaribus ac manicatis; neque intra urbem equitant, neque ferunt arma, niſi bella continua aliud pro tempore introduxerint. Foeminae vero absque palliis, & ſine turba pediſſequarum, & ſine caliendris ſeu vittis incedunt; reticulo tamen colligunt capillos, facileque ſine injuria vadunt ad forum, etiam honeſtiores, quia conditione locique natura humiles, & ſibi comparant neceſſaria. Et cum virgines, aut nuptae non induant capita vittis, magna in nutriendis curandisque capillis eſt illis quaſi ingenita ſolicitudo: quae quidem ſunt procerioris ſtaturae quam noſtrae, ut experimento comprobatur. Sunt praeterea, ut aſſeritur, Genuenſes ditiores mercatoribus cunctis, quia nobiles etiam negotiantur, etſi jure ſint prohibiti, ut in. *l.* 3. *Cod. De commer. & mer.* cujus verba ſunt: *Nobiliores natalibus & honorum luce conſpicuos & patrimonio ditiores perniciosſum urbibus exercere mercimonium prohibemus; ut inter plebejos & negotiatores facilius ſit emendi vendendique commercium.* Et quamvis ratio hujus legis ſit juſta, rationabilis, & honeſta, jam Domini Genuenſes, cum ſint legibus exempti, quia ſi non jure, re tamen ipſa recuſant ſuperiorem, in hoc non ſervant jura, ſunt acutiſſimi ingenii; ideoque commercantur in pluribus noſtri hemisphaerii locis, ac alterius noſtra tempeſtate reperti. Fertur apud omnes in ſuis contractibus & pactionibus inviolatam ſervare fidem. Multa alia poſſem referre. Sed ne videar longius evagari, de his hactenus, ut eo revertar unde noſtra divertit oratio.

 CAP. XLIV.

1 *Ut ſupra retuli.*] Scilicet cap. XVI. ubi vide.

## CAPUT XLIV.

### *De navigatione a Genua in Hispaniam.*

Quum itaque omnia essent parata, pridie Idus Aprilis, die Martis, prope solis occasum, aliquantulum pavidi & meticulosi ob aliorum infortunia, quae nos cautiores reddiderunt, ad praeparanda cuncta conscendimus navim; atque intempesta nocte solvuntur vela ventis, accessimusque mane apud *Saonam*; juxta quam huc & illuc ferebatur navigium, expectans merces in Hispaniam vehendas. Nocte vero sequenti paulatim navigavimus, ac die Jovis ante meridiem ventum est in urbem *Nolam*; quae etsi nunc parva, olim nobilis & egregia, dignitateque Episcopali nunc insignita fulget, non tamen tanti reditus, quanti, ut sic dixerim, Burgensis Episcopatus. Haec extra muros duo Coenobia protegit, alterum ordinis seraphici Francisci, alterum Monialium, utrumque tamen tenue; ultra quae habet castrum ferme inexpugnabile potius natura quam arte architectorum. Ad haec sunt multae turres in aedibus incolarum, quas singulas singulos mercatores proprias habentes naves, & non alios, ferunt quondam fabricasse. Quod propterea annotare volui, ne tam insigne factum vetustate penitus aboleretur, cum hujusce rei pauci indigenarum memores fuerint. Mansimus *Nolae* in die sabbati, & circa crepusculum nullo venti flatu revertimur in navim; ac tum demum paulisper coepit invalescere ventus; atque secunda vigilia nauclerus opportunum considerans tempus, jussit nautis velificare. Embolaque, quod ajunt, felici tendimus meridiem versus, ut plagam manusque fugeremus Gallorum, atque *Andreae de Oria* addicti eo tempore Regi Franciae, qui ut leones ad praedam parati praeternavigantibus, ac nobis praecipue, insidiabantur, tum propter navigium mercesque pretiosas, tum etiam, quia ex vectoribus qui illa navi vehebantur, alii praebendati, alii vero divites erant. Ac dum magis protenderemus contra meridiem, magis ac magis invaluit ventus. Et usque ad vesperum dominicae diei terras Latii Ducatusque Sabaudiae conspeximus; atque prima noctis vigilia juxta insulam vulgo appellatam *de Eras* perlabentes, fretum de *Hierro* aggredimur. Deinde illa eadem aura secunda die Lunae tranavimus sinum alterum nuncupatum *de Leon*. Et a praecedente nocte diei dominicae usque ad diem Mercurii, nil aliud quam coelum & mare visum est. Qua die cum mare & littora nebulis contegerentur, neque nautae

neque

neque illorum praefectus cognoscere poterant, longe essemus a terra necne, quove cursus esset: & cum sol paulatim rumperet caliginem, in cacumineque refulsisset, repente conspeximus montes nostro mari adjacentes, & qui navi praeerant, laetamini, laetamini, inquiunt, amici, quia incolumes in Hispaniam tandem appulimus. Quo audito nuntio, quae gaudia & laetitia post tot angustias, piratarumque incussam nobis formidinem, nos jam metus expertes ceperint, vix erit credibile, quotque laudes omnipotenti Deo, nec non intemeratae Virgini egerimus, ille pensabit, qui simile periculum evasisset, tum pro tanto munere a Deo concesso, tum quia paratas insidias scopulorumque allisiones, nunc hiantium caecas vorticum fauces absque ullius detrimento transegeramus, tum quia nos ad optatum perduxit portum. Quanto vero jubilo agitaremur, nemo, inquam, significare poterit, neque calamus meus demonstrare: quia hi solum optime norunt, qui eisdem periculis vexati, eadem evaserunt. Adde etiam quod portui *de Rosas*, a quo Hispaniarum ultimo cum sanctissimo Domino Nostro Papa, copiosa & illustri comitato caterva, discessum fuerit cum in urbem navigaremus, die praedicta Mercurii pridie Idus Aprilis hora vesperorum feliciter appulimus. Videre tunc posses, qua solicitudine aut verius laetitia, scaphis, monoremis, naviculis in terram desideratam quasi praecipites descenderemus. Qui vero ex Boetica aut Valentia, licet pauci, ne per tot viarum dispendia fatigarentur, in navi remanserunt, eos Carthaginem evectura.

## CAPUT XLV.

### *De Adventu in Hispaniam, ac nonnullis insignibus rebus Cataloniae, ejusque amplitudine.*

Die Jovis a Rosarum oppido in locum *de Castellon* mediocriter munitum trecentorum * vicinorum, leuca distantem, ac continuo *Gerundam*, quinque a praecedenti leucis semotam, ventum est. Horum oppidorum medio intervallo nihil memorabile occurrit, praeter humum margam juxta civitatem. Reliqua vero, quia maritima, sabulosa, atque sterilis inhabitataque manet. Urbs Gerundensis perpulchra, ac, ut reor, duorum millium civium capax, fulget Episcopali dignitate, continetque plures Ecclesias & Monasteria; & est caput feracissimae Provinciae appellatae *de Lampurdan*, in qua plus, quam alibi in toto Principatu Cataloniae, grassantur pestiferi homines, qui *banniti* seu *proscripti* dicuntur, depopulatores agrorum, quasique quoddam viperarum genus omnibus



* Id est, civium. BALUZ.

omnibus infestissimum. Ii saepe itinera frequentant, & publicas stratas insidiis & incursionibus obsident, ut totam regionem infestent; a quibus coedes, strages, atque insidiae parantur, & alia innumerabilia damna ab iis oriuntur, quibus segniter obviatur. Hanc civitatem a suburbiis rivulus, aut verius torrens dividit. Die sequenti in oppidum *de* * *Sterlic* centum & sexaginta stadiis a *Gerunda* semotum, deinde vero locellum *de* † *Sasona*, a praecedenti duabus leucis disjunctum, ubi fertur beatus *Franciscus*, cum in Hispanias proficisceretur, ab indigenis vapulasse. Et continuo in pagum *de Roca* itinere nonaginta sex stadiorum nos contulimus; ubi, quia nox instabat, quiescere nos oportuit. Caeterum quoniam stadiorum mentionem fecimus, per quae nostrates itinera rarissime metiuntur, octo stadia milliarum, tria milliaria unam leucam conficiunt; quamvis nonnulli quatuor milliaria uni leucae attribuant. Die Sabbati leucis quatuor, *Barchinonem*, prae caeteris Hispaniarum urbibus elegantem, accessimus; quae adjacet Balearico nostro mari, nec non radicibus montis Jovis, qui vulgo dicitur *Monjui*, ubique gentium vulgatissimi; ex cujus lapicidina, ut accolae ajunt, tota civitas & muri, cum sint lapidei, extructi fuerunt, neque ideo fuerit mons diminutus. Miranda profecto res, cum omnes aedes ex lapidibus inde excisis constructae sint; nisi cum Jurisconsulto Papiniano *in l. Divortio. §. Si vir soluto matrimonio. ff.* dicamus lapides renasci; cujus verba sunt. *Nisi talis sit, ut lapis ibi renascatur; quales sunt in Gallia & in Asia.* Volui citare verba Jurisconsulti, quia videtur hoc difficile creditu. Sed in monte Jovis experientia docet vera dixisse Papinianum. Nimirum cum mons ille sit in confinibus Galliae, ubi (ut inquit Jurisconsultus) lapides renascuntur. Multa alia in illa celebri civitate quae non essent praetermittenda relinquo; tum quidem, quia nostris nota patent; tum etiam, ne cum multa dixero, multo plura relinquam. Ideo decrevi potius illa sub silentio praeterire quam pauca dicere. A Barchinone in oppidum de *Marturel* quatuor leucis semotum, relictis obiter *Monterei* ac aliis oppidulis, venimus confestim in locum de *Esparraguera* quatuor milliariis distantem; unde in Coenobium illud Deiparae Virginis, vulgo *de Monte Serrato*, toto orbe celebratissimum, duobus leucis inde semotum, concessimus. Et quia multi, aut devotione aut curiositate videndi, Monasterium, ejusque eremeticas cellas visitant, omnia praetereunda censui; quae tamen pro dignitate materiae justum sibi volumen exposcerent. Ea enim, quae omnibus nota sunt, non debent stricta serie narrari. Venimus itaque ad locum *de Igualada* quatuor leucis, deinde in oppidum *de Momaneo* duabus

* Ostalric. † S. Saloni. BALUZ.

bus, ac illico in *Cerveram* tribus; indeque in *Tarragam* una leuca aequivalenti duabus, pervenimus. Unde de longiori leuca ortum eſt adagium apud noſtrates: *A Tarraga uſque Cerveram.* Perreximus continuo in oppidulum *de Caſtilnovo*, hoc eſt, *Caſtelli novi*, ſexaginta quatuor ſtadiis ſegregatum a praecedenti. Deinde vero *Belloc*, hoc eſt, *Bellum locum*, tribus leucis ventum eſt. Curſimque tranſeuntes, in antiquam urbem *Ilerdam*, ſatis celebrem, tum propter Univerſitatem inſignem, & inſulam cathedralem, tum etiam ob fluvium *Sicorim*, vulgo *Segre*, mediam urbem interluentem, qui, ut ab auctoribus ſcribitur, fluebat olim arenis aureis. Deinde in oppidum *Alcarraz* ultimum Cataloniae devenimus. Antequam ad loca Aragonum accedam, ut intelligas, pie lector, qualis quantusque fuerit Cataloniae Principatus, nonnulla, quae praelibanda eſſent, hic ſaltem annectam, quibus facile cognoſcetur ejus nobilitas & amplitudo. Continet enim Comitatum *de Ruyſellon* conterminum Franciae; ob cujus obtentionem pax antiqua Hiſpanorum & Gallorum fuit rupta, initiataque bella, cum prius ſub pignore a Rege Franciae haberetur, & a *Carolo* cognomine *capitoſo* fuerit reſtitutus, id quod curioſi ab Hiſtoriographis radicitus elicere poterunt. Praeterea Archiepiſcopatum Tarraconenſem continet, ex cujus cognomento Provincia *Tarraconenſis* nomen aſſumpſit, quae majorem Hiſpaniarum partem ſibi vindicat. Expanditur enim a Pyraeneo ad Anam fluvium. Cui Archiepiſcopatui ſubjacent ſex Eccleſiae Epiſcopales, prima *Elnenſis* in noviſſima parte Principatus, ſecunda *Gerundenſis*, tertia *Barchinoneſis*, quarta *Urgelenſis*, quinta *Ilerdenſis*, ſexta *Dertuſenſis.* Habet etiam tria inſignia Coenobia, primum *Populeti*, vulgariter dictum *Pobles*, vetuſtate notabile, quo ſepulchra Regum Arragoniae magna veneratione obſervantur. Inter hoc & Monaſterium de *Boneſac.* Fuit quondam illa ſubtilis contentio ſuper locum *de Roſellis*, de qua in cap. *Abbate ſane.* De re judic. lib. VI. in qua lite jura & allegationes utriusque partis copioſiſſime fuere deducta. Et audacter fortaſſe poſſem aſſerere, nullibi latius & ſubtilius eſſe allegatum ſive conſultum. Neque mirum, cum negotium eſſet Monachorum & magni momenti. Monaſterium *de Populeto* in redditibus annuis eſt multum locuples, ſed plurimum in ſubditis. Aſſerebatur nempe neminem ex Magnatibus, Duce de Cardona dempto, in toto Principatu plures habere ſubditos. Habet praeterea illius Abbas ſuffragium in curiis Aragoniae. Hoc Coenobium caput eſt ordinis divi Bernardi in tota citeriori Hiſpania; ſicut in noſtra Monaſterium ſancti Bernardi extra muros Toletanae urbis. Sed longe diſpar alterum ab altero, cum illud opulentiſſimum, iſtud vero pauperrimum ſit.

quod

quod non ideo minoris aestimandum est, cum Redemptori nostro paupertas maxime arriserit. Volui circa particularia hujus sanctae domus calamum protendere, eamque propriis oculis intueri, quia ubique famigeratissima est, ac propterea praecipue, quia in praeallegato capite illius fit mentio, cum alias crederem longius a nostro commercio esse: nec mirum, cum in solitudine fuerit sita, atque ad ipsam non per itinera, immo potius per diverticula, iter. Secundum Coenobium celebratissimum est Matris Virginis *de Monserrat*. Tertium fortalitium Illiberritanum, quod nunc dicimus *Salsas*, inexpugnabile quidem castrum, quo clauditur Catalonia; quae, ut clarius designari possit, tantum occupat soli, quantum Aragonium Valentinorumque regna. His itaque decursis, in quibus aliquantulum divagati fuimus, ad propositi itinerarii materiam pertractandam revertamur.

## CAPUT XLVI.

### *Transitus Aragoniae, atque denominatio Aragonis.*

Ab oppido igitur *Alcarraz* venimus in *Fragam*, municipium primum Aragoniae multum amoenum, ad cujus radices fluit amnis nomine *Cinga*. Hinc in pagum de *Candasnos*, nonaginta sex stadiis inde divisum, & ad oppidum *de Pennalva* leuca tantum, ac alia in oppidum *de Burjalaroz*, & continuo in cauponas appellatas *de sancta Lucia* tribus leucis, & totidem in viculum *de Ossera*, atque aliis tribus in vicum paganum nomine *Alphaxarim* per terram aridam & inaquosam, qualis rara alibi habitata reperietur. Hinc aliis tribus leucis (ut saepius numero utar ternario) in urbem inclitam imperialemque, per loca amoena, hortos, & pomaria, *Caesaraugustam* devenimus, quae caput est regni Aragonum, qui hoc nomine funguntur propter duos amnes *Aragones* nuncupatos, velut *Iberi* dicti sunt ab *Ibero*. Haec celeberrima urbs est metropolis, cui subsunt quatuor Episcopatus; *Oscensis* primus Universitatem vetutissimam habens, nempe a tempore *Sertorii*, ut ex illius vita apud Plutarchum liquet; secundus *Tirasonensis*, tertius *Pamphilonensis* in regno Navarrae, quartus *Calagurritanensis* & *Calciatensis* ad invicem uniti in regnis Castellae, praeter *Segobrigensem*, simili modo Ecclesiae civitatis *de Albarazim* unitum. Et pro ea parte, qua subjacet Ecclesiae *de Albarazim*, subest etiam Caesaraugustanae metropoli; pro alia vero, qua *Segobrigae*, Archiepiscopatui *Valentino*. Hanc *Caesaream* urbem merito a Caesare nominatam, abluit ille celebratissimus amnis *Iberus*, a

quo

quo saepissime Hispani nomen accipiunt. Ac juxta eam est oppidum appellatum *Velilla*; quod quidem, etsi nonnullis videatur fabula, habet cymbalum, quod, cum aliquid memoria dignum etiam valde remotum contingit, nemine impellente (ut Aragonenses testantur) pulsatur: res stupenda; & qui dubitaverit, eos sciscitetur. Unum tamen in hujus rei comprobatione asserere possum, quod cum jussu reverendissimi ac illustrissimi Domini *Alphonsi Maurici* Archiepiscopi Hispalensis, eo tempore Inquisitoris generalis, ad visitandas Inquisitiones Navarrae, Aragoniae, atque Cataloniae missus essem, pertransiremque Caesaraugustam, quidam ex Officialibus sanctae Inquisitionis eo voluerunt me deducere; quorum unus Promotor Fiscalis, ortus in praefato oppido *de Velilla*, narravit mihi rem admiratione dignam. Volo, inquit, tibi propalare campanam *de Velilla* nuper pulsatam; & hactenus ignoratur causa. Tunc ab illo percontatus sum quid illud esset, qui praedictum mysterium reseravit. Cui refragari nolui, cum esset vir non lubricae fidei: perterritus tamen novitate rei tam insolitae. Et profecto antequam accederem Barchinonem, divulgatum fuit excidium Romanum, quo tempore exercitus Imperatoris (occiso Duce *de Borbon* quodam ignivomo ictu generali Capitaneo) Urbem invaserat, eamque multiplici clade vastavit; ac nisi divino obtuitu Dominus *Alarcon*, strenuus vir, & Dux Hispanus cum suis stipendiariis Hispanis militibus Germanis obstitisset, actum esset de beatissimo Papa *Clemente septimo*, qui diu in castro sancti Angeli detentus fuerat, quousque Imperatoris nostri semper Augusti, tanti facinoris ignari, jussu incolumis tandem evasit a praedicta detentione. Nec est quod mireris, Christiane lector, quod actum esse de Papa praedixerim, ni sic evasisset; quoniam cum plures exercitus Germanorum fuissent sectatores haeresium Lutheri, atque eorum tessera aut symbolum esset, *Nite Papa*, *Nite Papa*, quod significat *Minime Papa*, nihil magis quam eum obtruncare illa barbara & obtusa gens quaerebat. Sed quia non diu in his morari decet, ne ab incepto longius divertamur, caetera, quae pro suo modo non essent iniucunda relatu, de regno Aragoniae dignum duxi relinquere, velut ea, quae omnibus essent exposita & aperta, cum alias sit regnum Castellae conterminum illi ac finitimum. Caeterum, ut eo revertamur unde digressi sumus, quia recta pergere non expedivit, oportuitque rectum tramitem deserere, ac in Curiam Imperialem tunc Burgis agentem divertere, interfuit mea ab itinere quo petebamus Toletum declinare. Propterea a *Caesaraugusta* in oppidum *de Alagon* quinque leucis distantem, & ab eo in vicum *de Lucenique* duabus tantum, ac totidem in pagum *de Agallud*, atque sexaginta quatuor

ſtadiis in oppidulum *de Corres* Regni Navarrae, & totidem in locellum *de Ribahorada* nos contulimus. Deinde per campos patentes per alias duas leucas in nobilem civitatem *Tudelam* devenimus; quam licet obiter ſuperius memoravimus, quia non noſtrum eſt minutiſſima quaeque praeter animi intentionem attingere, illam (ut faſtidium repetito ſermone fugiam, eadem etiam facturus in aliis urbibus, de quibus ſupra verbum fecerim) ſub ſilentio praetereo. A *Tudela* vero vicum *Cintruennigo* tribus leucis ſeparatum petivimus; ibique aliquantulum defeſſi quievimus, quum illuc usque excurſores verius quam viatores iter fecerimus; eo quod negotia mei Canonicatus in Imperiali tractabantur Curia. Et quoniam ſodalis meus Capellanus Domini Doctoris *de Agreda* praeceſſerat ad expediendam domum, quam in loco illo cum multi redditibus Eccleſiaſticis, ſupellectili inſuper, nec non inſtrumentis ruſticis & poſſeſſionibus munitam praedictus Doctor obtinebat, eo quod Eccleſia illius oppidi erat unita theſaurariae, ut ſic dicam, Tiraſonenſi, quae quidem ab illo tunc temporis poſſidebatur, hinc egreſſus in oppidum de *Aldea nueva*.

## CAPUT XLVII.

### *De Adventatione in illuſtrem Caſtellam principem Hiſpaniarum.*

Ab oppido igitur de *Aldea nueva* per alias duas leucas in praedictam urbem antiquam *Calagurram* vigeſima nona Aprilis die acceſſeram; cujus dioeceſim, ut in exordio opusculi tetigi, juſſione Epiſcopi Domini mei *Joannis a Villalva* ſub officio Proviſoris regendam quondam ſuſcepi. Ac die ſequenti pridie Calendas Maii in amoenam illam *Lucronii* urbem deveni; quae, praeter collegialem Eccleſiam, duo continet extra muros Monaſteria, alterum ordinis Praedicatorum ad partem occiduam, alterum ſeraphici Franciſci ad orientalem plagam. Continet etiam caſtrum, muros, & antemuralia, atque foſſam aqua repletam; quae civitatem illuſtrem & inexpugnabilem reddunt. Poſtmodum vero ſexto Idus Maii profectus in oppidum *de Navarret*, per duas leucas ac per tres urbem *Najaram* petivi; quae licet ſit parva, tamen munita conſpicitur; quam pertranſiens leuca una in pagum *de Açofra*, & per alias tres in civitatem *ſancti Dominici* tanto, ut praediximus, illuſtratam patrono, perrexi. A qua egreſſus, in oppidum *de Granon* triginta duobus ſtadiis ſemotum, & per dimidiam leucam in locellum *de Redezilla*, atque

atque per aliam dimidiam in locum de *Villa de Pun*, quo, ut reor, finitur *Calagurritanensis* & *Calciatensis* Episcopatus, & cursim tribus leucis in municipium *de Vilorado* Burgensis dioecesis deventum est. Deinde quinto Idus Maii in oppidum *de Villafranca de Montesdoca* perveni; cujus montes, ut arbitror, sunt caeteris Hispaniarum celsiores, quandoquidem illorum vertices seu cacumina dividunt *Castellae* & *Celtiberiae* aquas hinc inde erumpentes. Nam quae orientem versus, in *Iberum*, quae vero in occidentem, in *Durium* amnes defluunt. Deinde oppidula & diversoria ignobilia transiens, octo leucis in ditissimam, & ubique memorabilem ob magna commercia & opulentos mercatores, *Burgorum* urbem me contuli. Et quam potui brevi scrutatus sum statum negotiorum Canonicatus mei; cui nisi adventu meo opem ferrem, jussu Dominorum Imperialis consilii, adversario meo praetendenti se expoliatum fuisse redderetur possessio, nimirum cum nullus eo usque causam meam, quasi desertam, tueretur. Sed cognita veritate tam a Procuratore magnifici Capituli almae Ecclesiae Toletanae, quam a Domino *Blasio Cavellero*, quem ut patrem & dominum semper colui, noluerunt Domini Consiliarii amplius negotio ad eos minime pertinenti se immiscere. Et praedictus Dominus *Blasius*, re & nomine splendidus Eques, post aliquot dies deliberata causa me in urbem hanc inclytam *Toletum*, quae soli benignitate, fortunis, & tractu coeli cunctas praecellit, secum duxit, atque ejus domo honorifice hospitatus quousque lares componerem. Et quia a *Burgis Toletum* usque loca omnia sunt omnibus nota, ne prolixus molestusve judicer, consulto praetereunda duxi, finiens *Itinerarium* hoc ad laudem Dei omnipotentis, qui dignetur ex hac militia, ad quam me immeritum vocavit, in aeternam & perennem gloriam perducere per Redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo atque Spiritu sancto vivit & regnat per infinita secula seculorum. Amen.

*Finis Itinerarii Adriani sexti Pontificis maximi.*

LAUS DEO.

# CORNELII AURELII GAUDANI

## APOCALYPSIS,

ET VISIO MIRABILIS, SUPER MISERABILI STATU MATRIS ECCLESIAE, ET DE SUMMA SPE EJUS REPARANDAE EX INOPINATA PROMOTIONE VENERANDISSIMI

DOMINI, DOMINI

# HADRIANI,

TRAJECTENSIS, ET HISPANIARUM ARCHIEPISCOPI, VIRI UNDECUNQUE DOCTISSIMI, IN SUMMUM RHOMANORUM PONTIFICEM, ET ECCLESIAE SPONSUM, CHRISTIQUE VICARIUM.

## MAGISTRO [1] CORNELIO HOENIO, JURISCONSULTO, ET AMICO PRIMARIO. CORNELIUS AURELIUS S.P.D.

Invisendi tui ansam nostris litterulis praebuit mihi, vir praestantissime *Corneli Hoeni*, tua omnibus inprimis praedicata ingenuitas, & quod maximum, ubi per publica tibi licet munera, ab humanitatis studiis non abhorreas, uti a nostro olim accepi *Herasmo*. Denique meae necessitati consulens, tuae integerrimae charitati cor meum & anxietatem exponere cogor. Nosti, ni fallor, optime Corneli, magnum esse Barbarorum gregem inter nos, qui suo more doctis semper adversatur, obstrepit, invidet, & obsistit: & quam hoc antea, tum nunc maxime, propter exorbitatiam viri eruditi, sed adulescentis ex nostra colligatione, qui unam ex Monialibus, quas ut pastor regebat, sibi in nympham & certam sponsam abripuit, & ad illos, qui ejusmodi rem impie sustinent, sese transtulit. Qua ex re Patres nostri (ni fallor, nam rem solo accepi relatu) animo destinarunt, omnes *Herasmi* nostri libros, qui apud nostros reperti fuerunt, aut Vulcano, aut Deucalioni consecrare. Quid igitur mihi restat, amicorum candidissime mi *Hoeni*, nisi ut similem jacturam feturis meis & prolibus metuam? Mallem ego nunc mori, quam filias meas in cineres redigi. Quare, vir consultissime, maturo tecum ad laudem Christi, & Ecclesiae profectum (cui ego meis opellis utinam invigilare molior) mihi utendum est consilio, cujus jam integerrimum in me animum satis exploratum habeo. Velim igitur te, vir praestantissime, *Lucinii* Comitis Hispani vicem in me agere, ut quod ille in *Divo Hieronymo*, tu nunc in tuo digneris agere *Cornelio*. Is enim vir nobilis, & Comes in Hispania, operante Spiritu Sancto,

1 *Cornelio Hoenio.*] Hic dicitur *vir optimus & qui propter religionis negotium indigna passus est*, ab Erasmo Epist. DCLIII. quorum quoque meminit Aurelius in hac Epistola. In carcerem enim detrusus, ab Hollandiae Proceribus demum liberatus ibidem dicitur. Postea videtur iterum ob religionem vexatus, & dicitur Delphis vinculis detentus in carcere obiisse. vid. Biblioth. Histor. Philolog. Bremens. Class. VIII. fascicul. ult. pag. LXXXVII.

Martino

ɛto, ut in ultimo libro *in vita Hieronymi* a me edito habetur expressius, odore librorum gloriosi *Hieronymi* allectus; misit Bethleëm sex ad virum Dei Notarios, qui omnia Hieronymi opera sibi describerent, quae ille ab adulescentia usque ad illud tempus dictaverat. Sperabat enim se omnibus Mydae Croesique divitiis locupletius Ecclesiae Dei relicturum esse testamentum, si suis congesta impensis divini *Hieronymi* opera ei reliquisset. Et vere sic erat; nihil enim operum Divi *Hieronymi*, sive translationis, noster haberet Occidens, nisi hujus clarissimi viri *Lucinii* nobis ope & opera provisum fuisset. Nam haud ita longe post Heretici imperialibus literis communiti, subito irrumpunt in Coenobium viri Dei, & eum aedibus expellentes, omnem ejus Bibliothecam & hortulum, studiique secessum, demoliti sunt. Ecce, mi *Corneli*, vir praestantissime, quod olim *Hieronymo* accidit, mihi etiamnum omnium infimo, non tamen sine summa tristitia, aliquando contingere posset. Ad quid, inquies, *Cornelius* ad *Hieronymum*? nihil fateor; simia tamen omnis tam diligit suos deformes fetus, quam pavo suos Unicuique in templo Domini offerre licet, quod potest. *Hieronymus*, *Augustinus*, caeterique Doctores, aurum & argentum, gemmasque pretiosas, id est, sapientiae & eloquentiae, bonarumque virtutum munera Deo obtulerunt, nobiscum & saltem mecum bene agetur, si pelles caprinas obtulerimus, quibus contra hymbrium injuriam tabernaculi tectum defendatur. Ero igitur tibi, optime *Corneli*, si placet (imo ut placeat oro te enixissime per crucem Domini) ero, inquam, tibi & *Lucinius* & *Hieronymus*, id est, & dictator & notarius. Decrevi itaque omnes fetus meos, prosas & carmina paulatim, quantum dabitur succisivi temporis, in unum colligi, & tibi omnia (quo chariorem & commodiorem in terris habeo neminem) particulatim scribendo transmittere, ut tu ea custodias, imo ut ea plane aequo jure possideas, & post severa Justiniani negotia delecteris pro tempore in prolibus meis, non secus ac in tuis, & ut eas, tua gratia exornes, proeloque submittas. Hoc te efflagitant mecum omnes docti, qui te norunt, & humanitatem tuam praedicant, ut propter decorum domus Dei, & Ecclesiam nostram, in lucem edere tuae charitatis impendio non graveris in tempore congruo, & quidem paulatim per *Cornelium Henrici Delphensem.* Ecce ego jam in senium vergo, & destinavi animo omnia mea ad te particulatim mittere, & ita demum omnia

vid. Epist. xv.

omnia in unum colligere. Sed cui interim hanc meorum operum contuendorum provinciam & rationem committam? neminem fateor (facessat adulatio) tam idoneum ad hoc invenio, quam te, mi *Corneli*, vir doctissime, qui Advocatus hominum pauperum, & Eleemosynarius liberalissimus. Te esse praeterea scio politiorem dictione, & sapere egregie, & amare unice, candidaeque litteraturae cultorem acerrimum. Te jam olim, mihi nec visum, dilexi pariter & colui amicissime, tum ob mei nominis participationem, tum etiam ob tuam pro Christo tribulationem; atque vero nunc, ubi supremi gratia mihi concessum est te coram aspicere Hagae in Ecclesia sanctae Agnetis ipso Pontiani die, & vocem reddere voci, fateor (ita demum cor meum tibi conjunctum est) ut communi jure omnia mea tua faciam, & tua omnia mea vicissim esse credam. Tu mihi Jonathan, ego tibi sim obsecro pauper & dejectus David. Ecce nunc in manu tua est, vivantne an pereant fetus mei. Si gratia tua, optime *Corneli*, & liberalitas mihi adfuerit, omnes facile aemulos vicere. Obsecro igitur te, ut Christi inopiam & me subleves tua eleemosina, quae operetur rivum, qui non perit, sed permanebit aeternum ad Ecclesiae utilitatem & solatium, quam tu unice diligis & observas, & pro cujus decore te indigna passus es. Ecce, ut vides, *Corneli*, patet ad te omne cor meum, ita ut nil Dominus mihi dederit, quod tibi ex omni thesauro meo occultum esse velim. Quapropter quod rerum copia nequeo, meorum operum opera tuae charitati praestabo. Non enim is sum, qui amicos in minimo gravare cupiam, & oneri esse, sed magis honori, eosque meis lucubrationibus immortales reddere, quoad ejus per me fieri potest. Peto igitur humillime, ut has meas feturas candidissime excipias, tanquam tuas filias, quas ad te integerrima transmitto charitate, & tuae pietatis ac benevolentiae commendes fiducia. Circa festum Michaelis mittam adhuc alia, scilicet vitas S. Apostolorum, quorum provinciam accepi a [1] *Martino* meo *Dorpio*, aliisque



1 *Martino Dorpio.*] Naeltvici in Hollandia natus fuit hic *Martinus Dorpius.* Theologiam Lovanii docuit, vir pro ea aetate satis doctus, & litterarum elegantiorum cultor, & qui inter Theologos Lovanienses solus tunc mansuetioribus ac melioribus favebat studiis, ut Erasmus de eo testatur. Unde malam iniit gratiam apud Scholasticae Theologiae patronos, praecipue habita oratione, in qua linguarum peritiam laudavit: *quam nisi recantet*, inquit Lutherus, agens de actis Academiae Lovaniensis contra ejus doctrinam, in tom. II. oper. Luther. p. XXXII. *palam minantur Theologi, se ejecturos illum e Synagoga Theologorum.* Saepe ejus mentio fit in Epistolis Erasmi. Videndi de eo Miraeus Elog. Belgic. p. XXV. & de Scriptor. seculi decimi sexti cap. I. §. XXXII. Valer. Andr. in Biblioth. Belgica, & Heussen. tom. IV. Histor. Eccl. p. DCCXLVIII.

Lovanienſibus, exequendam. Tunc pro tua clementiſſima liberalitate aſſignabis mihi pro ſingulis quaternioribus, quantum velis arbitratu, pro labore meo nocturno quidquid dederis, ego tanquam gratiſſimam ex tua charitate eleemoſynam reputabo. Mittam eo tempore, ſcilicet S. Michaelis, hunc eadem manu nepotem meum *Martinum* nomine, filium fratruelis mei . . . . . . . . commorantem apud conventum S[tae]. Agathae extra portam Reynsburgii. Tuus amicus frater *Cornelius CB*[t] *in Donk.*

P. S. iſta eſt mei nominis ſignatura, cui poteris certiſſimam in omnibus fidem adhibere, quod ex me emanavit, quodque tali ſigno inſignitur. Vale, virorum praeſtantiſſime, altera pars cordis mei.

 in Donck.

# AUTHOR LIBRI AD OPINATISSIMAM NOSTRAE DIOCESIS CIVITATEM TRAJECTUM, IN PRAECONIUM REVERENDISSIMI PATRIS, AC DOMINI HADRIANI, SUMMI PONTIFICIS.

*Magnifica mihi & gloriosa dicta sunt de te, & reserata in spiritu, o Trajectum, civitas Dei. Quid ni tu Civitas Dei merito vociteris, in qua continuus Dei cultus & laudes die noctuque debita cum relligione observantur? Quid ni tu Civitas Sancti, quam sanguis Martyrum & complurium* [1] *reliquiae, & exuviae Sanctorum cunctis venerabilem reddunt? Quid ni, Civitas Gloriosa, quae recondita in te exhibes* [2] *Imperatorum viscera? Quid ni denique redemta & Civitas Columba dicaris? qui tot contines in te sancta Canonicorum, Monialiumque collegia, tot nobilium Procerum & honestorum agmina civium? Rogasne igitur, quae mihi de te gloriosa sunt revelata? Audi. Quum ex te nobis exiit Dux, qui regat populum gregemque Domini, non hasta aut gladio; sed divini verbi & summae dignitatis patrocinio: qui profecto tanquam alter in orbe Deus, Christique Vicarius, toti Christianae Reipublicae unus praesideat, & Catholicam gubernet Ecclesiam. Quaeris praeterea forsitan, quisnam sit iste, qui de te egressus, tanta dignatus est a Domino honorificentia? Iste est, inquam, tuus ille & filius & concivis Hadrianus, cujus etiam parentes in te apud Canonicos duodecim Apostolorum sepulti in pace requiescunt, ne cuiquam gentium inquilinus esse videatur. Iste est tuus vere Hadrianus, quem tu olim in Praepositum S^tii^. Salvatoris exceperas, quem Lovaniensis Academia ob eruditionem & sanctimoniam in Rectorem suum, & S^ti^. Petri Decanum, quem denique Charolus Imperator praeceptorem,*

Psalm. 86. — Psalm. 52. — Sopho. 2. — Ib. 3.

1 *Reliquiae.*] De iis vid. Math. in Fundat. Ecclef. lib. I. §. VII. fundat I. & fundat. II. §. VI.

2 *Imperatorum viscera.*] Scilicet Conradi secundi & Henrici quinti, qui ambo hic Trajecti obierunt, & quorum exta in Ecclesia primaria condita sunt. vid. Beka in Bernulfo & Godeboldo Episc. & Math. lib. I. fund. Eccl. §. VI.

*ceptorem, Hispania Archiepiscopum & Primatem, nunc tamen prosperis avibus Rhoma summum sibi summa concordia habet Pontificem. Quid igitur modo te uno felicius, o nobile Trajectum, civitas veritatis,* (Zachar. 8.) *quae de tuo sinu & collegio emisisti Lovanianae Universitati Moderatorem, serenissimo Caesari Charolo quinto primarium Consiliatorem, & Hispanis celeberrimum Primatem, ac ita demum Rhomulidis summum Pontificem? Nec ab re, neque temere id arbitror obtigisse. Et quid ista ex te produisse mirabimur? Quid enim? Tibi namque olim Rhoma, Sergio praesulante,* [1] Willibrordum *misit Archipraesulem, tu modo Rhomae vicissim in gratiarum reciprocam actionem summum remittis Pontificem. Tibi olim Rhoma virum Consularem transmisit* Anthonium, *qui in te sedem suam arcemque erigeret (unde &* arx Anthonina *veteribus appellaris) Tu Rhomae tuum modo concivem reddidisti, qui ruinosa moenium & murorum ei reparet, & qui Ecclesiam Christi faciat omni splendore virtutum consummatissimam. Quid multis immoramur? Revolve, obsecro, annales tuos & prisci temporis Historias, o Civitas opinatissima, nihil tibi unquam invenies gloriosius contigisse, quam in hoc concive tuo & praeceptore Hadriano. Sed quid haec de praeteritis recensemus?* [2] *Illae, illae gratissimae*

*tuae*

1 *Willibrordum.*] De quo vid. Beka & Heda, & Alcuinus in tom. II. part. I. Lect. antiq. Canisii.

2 *Ilae tuae hilarissimae.*] Respicit Aurelius ad signa publicae laetitiae hic Trajecti exhibita; quae ex ipsis actis Magistratuum describere non pigebit. Ita enim anno MDXXII. *Donderdages na Agnetis. Die Rait out ende nye heeft bevolen den Oversten out ende nye te congratuleren, eer te bewysen. ende triumphe te doen, ter eeren ende liefsten, dat Meyster Aryaen Florisse, geboeren borger t' Utrecht, Cardinael des tijtels der heyliger martelaeren Johannis en Pauli, Biscop van Derthusen, nu Paus der heylige Christen Kerken van Roemen gecoren is.* Et plenius in actis, vulgo *Buerspraeken. Des Vrijdags op sinte Pauweles avont conversionis: Alsoe na dode van onsen heylichsten Vader Leo, die Paus van Roemen, die alre hoichweerdichste in God Vaider, ende Heer Meyster Adrijaen van Utrecht, onser Stat geboeren borger, by der gratien Goids onlanckx leden Paus des heyligen stoels van Roemen gecoeren is, soe om God van hemelrijck dair aff te loeven ende te dancken, is by den Ecclesien ende Stadt van Utrecht geordineert ende overdragen generael processie te doen, ende te houden, en Dijnsdage naestkomende mitten eerweerdige heylige Sacrament, ende allen heyligen Reliquien in alre manieren als s' dages na Magdalene geschiet, binnen om der Stadt graft van Utrecht. Voert is geconsenteert, dat elck goet borger alsdan ter eeren Goids, ende allen heiligen reliquien, mit bernde toertsen voer in der processien mede dair sellen moegen gaen. Ende die Rait gebiet dairomme, datmen en dijnsdaige naestkomende den heelen dach, gelijck den heyligen Sondach vieren, ende die processie devotelick after de Oversten ende Rait navolgen ende eeren sel. Ende desgelijcks soe heeft ons genedige heers Vicarius geboden in 't Sticht over al den dach voirsz. oick te vieren, 't welck elck lantman sijnen Pastoer in 't lant voort seggen mach. Dat oick een ygelijck zijn strate hier en bynnen van sneeu, ijs ende vulnisse ruymen ende schoenmaken sel, by 't verboeren van een pont, daer alle onse stadt dienres hoege en lege koermeysters off wesen sellen. Voert soe heeft die Rait gescict vier Oudermans, alse Dirck van Zulen, ende Thomas Jansze boven, Hendrick Zem ende Jan Loelofs beneden, omme en dijnsdage naestkomende op elcke brug boven der ouder graften triumphelicke vueren te doen maken, ende soe wye boven dat scoenste vuer maict, sel hebben enen prijs van twee vaten byers*

*mitten*

*tuae plebis devotionis prius in te peractae lustrationes, illi tuae hilarissimae gratulationis triumphi, illa denique communis laetitiae tripudia, quibus tum omnes per vicos eras coronata, omnibus facile de te perhibent testimonium, quanti ipsa tuum facias Hadrianum. Sed nec ista tuae poterunt sufficere charitati: Redditae sunt sacris in aedibus ac templis sacratissimo Deo Optimo Maximoque gratiarum actiones, concrepantibus organis, concinentibus choris, singulisque corde laetantibus in canticis & cytharis. Resultabant etenim in mentibus omnium gratiarum actio & vox laudis, in die tam boni tamque excellentis judicii, dum singulis* Hester VIII.
*nova profecto lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium, Pa-* Sapient.
*tri omnium laudes decantantibus, atque una omnium voce dicenti-* 18. Apoc. 19.
*bus, Aleluia amen, benedictus Dominus, qui exaltavit me, ci-* cap. 9.
*vitatem habitationis suae, in filio meo piissimo Hadriano, ut soletur me in omnibus angustiis & laboribus meis. Sed ne in his quidem, o Civitas fortium, exaruit, & exhausta est charitatis tuae* Praed. 21.
*benevolentia, quin etiam veredario & [1] praeconi, a quo tuum acceperas*

*mitten zijs, ende desgelijcx beneden, dair die geschicte voerscreven koermeysters off wesen sellen. Des soe heeft die Rait verboden, dat nyemant als dan off hier en bynnen vechtelick off perlement en make, noch enige onsedicheyt mit sneevlocken off anders en bedrieve, by zware correctie tottes Raits goetduncken, want men dat scerper rechten sel dan op een anderen tijt.* Et proemia quoque persoluta iis, qui meliores ignes triumphales edidissent, docent acta *Des Woensdags na sunte Pauwles dach conversionis: Die Rait heeft gekent, dat die backebruggers den hoichsten prijs sellen hebben van dat triumfelick vueren, ter eere van onsen heylichsten vaider Meyster Arijaen van Utrecht, nye gecoeren Paus van Roemen, des sellense hebben noch een vat byers. Ende desgelijcx sunt Jacobs brug, die Volrebrug, sunte Geertruden brug, ende die Gaerenbrug, sellen oick elcx noch een vat byers hebben, voer hoer excellenste vueren in den triumfe voirscreven.* Eodem die largior pauperibus eleëmosyna erogata. *Des Manendages na Oculi. Die Rait laet weten allen ermen luyden, dat die stadt van Utrecht om God te loven eude te danken, van dat die alreheylichste vader in Christo Meyster Arijaen van Utrecht Paus te Roemen gekoeren is, elken ermen mensche om Goids wille gheven sel een weyten broet van enen halven stuver, dat men deylen sel nu te namiddaige te eenre uren in de Buerkerk. Soe wye der aelmissen behoeft, mach alsdan ter goider tijt komen, ende vergaderen op Buerkerkhoff, sonder enich parlement te maken off onsedigheyt te bedriven, want indien yemant anders dede, woude die Rait scerpelick aen den misdadigen corrigeren.* Imo & post coronationem non tantum iterum processio per totum urbem in Hadriani honorem celebrata, sed deliberatum quoque, an non ante portas civitatis Hadriani nomen, tituli & insignia in lapidibus sculperentur. *Des Vrijdags na Mauricii: Totter processien, die men doen sel ter eeren van onsen alreheylichsten Vader den Paus van Roemen Adrianus sextus, geboeren borger van onse stadt van Utrecht, dat hy te Roemen gecroent is geworden, ende want men doen, off om Goids wil geven sel, ende ofmen zijne tytel, wapen ende naem voer den poerten in blauwen steen setten sel &c. is den Oversten bevolen den oirber te doen.*

1 *Praeconi.* ] Hic dictus fuit *Willem Hermen Korsgensse*, qui primum nuntium de Hadriani electione detulit. Unde statim octo floreni Philippici ipsi donati, & postea centum librae annuae, quamdiu viveret. Ita enim acta *Des Woensdages na sunte Pauwels dach conversionis: Belieft by den Raide Willem Hermen Korsgensse voer die goede nye tijdinge hy aengaende dat Meyster Arijaen van Utrecht Paus van Roemen gecoeren is, yerst gebracht heeft, te hebben acht Philips gulde voert yerst.* & *Des Saterdages onser liever Vrouwen avont purificatio.*

 *Is by*

*ceperas Praepositum in Rhomanae Urbis, orbisque totius Pontificem sublimatum, non solum annua nummorum pensione, verum etiam perpetuo tuae civitatis privilegio condonasti. Quae omnia procul dubio tam laetanter ad tui Hadriani aures pervenere, ut nihil posthac sibi in animo sedeat, quod ille tibi negatum iri velit. Hic est, inquam, ille tuus Hadrianus, quem tuis in caussis habeas ubique patronum, quem in tuae Reipublicae negotiis experiare defensorem, quem denique in tuis propulsandis injuriis sentias judicem & ultorem. Neque enim ullo modo adduci potero, ut eum, & quidem hominem suapte natura gratissimum, credam tuae illius veteris in se beneficentiae & honoris unquam posse oblivisci. Iste postremo tuus est Hadrianus, qui solita sibi liberalitate tuis semper intercedere casibus, tuis occursare fortunis, omni-*

*que*

*Is by Rait out ende nye, ende met eendrachtelich consent van den gemeynen gilden belieft, hondert ponden 's jaers tot live Willem Hermen Korsgensse voer zijn goede nye tijdinge by der Stadt als voerscreven is, yerst gebracht heeft.* Et ministro illi, qui primum nuntium de Hadriani coronatione adtulerat, praemium quinque florenorum Caesareorum persolutum docent acta *Des Manendages na Victoris: Belieft by den Raide voir ons dienre, die de yerste tijdinge brencht, dat die Paus Meyster Arijaen van Utrecht te Roemen gecroent was, vijf Keysers gulden.* Imo in honorem civis sui Hadriani, quibusdam, de gravioribus delictis convictis, & carceribus inclusis, delictorum veniam fecerunt. *Des Manendages na Pauli conversionis: Scepenen Raide ende Oudermans, geneygt wesende tot gratie ende goedertierenheyt off genade te doen, ter eeren ende weerdicheyt van onsen heylichsten Vader Meyster Arijaen van Utrecht, nu nye gecoeren Paus van Roemen, heeft Ghijsbert Claesse, alhier van den Maerscalck Arijaen van Pallaes, van wegen onsen genedigen Heer van Utrecht beclaecht wesende, dat hy sekere rijse, toebehoerende Kors Jansse, van enen weert aen der Lecke, dair questie om is tusschen den Heeren van den Doem, ende Oudemunster ter eenre, ende Jan van Zuylen van Blasenborch ter andere sijden. boven besetting van den Pander, ende die Scout aen de Vaert, wech gevuert heeft, van dier misdaet, dair hy zijn lijff aen verboert had, gratie gedaen. Dan hy sel Kors Janse, die den weert op weerden recht besteken heeft, zijn helft van de rijse ende teen, soe wel die penninge van de vercoste als die gesneden ende besette rijse laiten volgen, ende dair aff vernuegen. Voert sel Ghijsbert voirscreven behoirlicke oirvede doen in brieve hieromme nyemant, noch oick Kors Jansse, noch nyemant van zijnre wegen te misdoen, noch doen misdoen, noch geen onstantaffige saicken meer bedrieven sel, by 't verboeren van zijn lijff. ende hy sel voert reysen tot Roemen, tot onsen heylichsten Vaider den Paus voirscreven, ende dancken zijn heylicheyt van 't ghene die Stat van Utrecht zijnre Heylicheyt ter eeren hem zijn lijff gegeven heeft, ende bethoen dair off brengen, ende dat bynnen drie maenden naestkomende, off hy sel dair en thenden uter Stat ende Stat Vrijheyt wesen, ter tijt toe hy gedaen sel hebben als voirscreven staet.* Aliud exemplum ibidem legitur hoc modo: *Scepenen, Raide ende Oudermans geneyget wesende tot gratie ende genaden te doen ter eeren ende weerdicheyt van onsen heylichsten Vader Meyster Arijaen van Utrecht, nu nye gecoeren Paus van Roemen, heeft Arent Ottensse, gevangen wesende, om dat hy zijn Vaider ende Moeder groet overlast aengedaen, die geslegen ende doer die glasvensteren geworpen heeft, dair hy zijn lijff an verboert had, van dier misdaet gratie gedaen. dan hy sel behoirlicke oirvede doen in brieven hier omme nyemant te misdoen, noch doen misdoen, noch oick gheen onstanttaftige saicken meer te doen op zijn lijff, ende sel voert te Roemen reysen tot onsen heylichsten Vader den Paus voirscreven, ende dancken zijn Pauselicke heylicheyt ter eeren hem zijn lijff, gegeven heeft, ende bethoen dair off brengen, ende dat bynnen drie maenden naestkomende, off hy sel daer en thenden uter Stat ende Stat vrijheyt wesen, ter tijt toe hy gedaen sel hebben, als voirscreven staet. ende hy sel oick zijn Vaider ende Moeder in presentie van de Vive voer zijns Vaiders doer op zijn knijen om vergifnisse bidden.*

*Decanus.*

*que voto adniti curabit, ut eum non virum modo clementissimum, verum etiam splendidissimum tibi concivem fatearis. Nunc electo forsitan Episcopo ex tuorum collegio Canonicorum, licebit illum rejicere, licebit pro causae merito reclamare & dicere, nolumus hunc regnare super me, quum timidior est, quam ut patriam nostram ab hostibus tueatur: bona seculi parum intelligit, ut Episcopatum digne ac sine rerum dispendio gubernet: illiteratior est, quam ut in Christiana nos instruat disciplina. Quae nimirum tria si Episcopo desint, nescio digniusve eum desidem quam praesidem, futilem quam utilem appelles. At vero nunc si quid tibi praeter jus citraque aequitatem molestum esse videbitur & grave, ad tuum licebit caussam provocare Hadrianum, apud quem (quae summa viri probitas est) & principatus & civium libertas uno communique foro uti poterit. Non enim ille personas hominum accipit nec munera quaerit, sed eum magis (ut verum fatear) civium suorum delectat charitas, quam sua ipsius gloria & commoditas. Plurima quoque sunt (me judice) quae ab eo expectare poteris, beneficia & gratiae; sed reverentius (arbitror) fuerit ea tuis cogitationibus integra illibataque reservari, quam carptim breviterque omnia a me perstringi. Vale tu interim, semper, o* Judic.
*felix Trajectum, vere altera Cariath Sepher, civitas literarum, & villa pulchritudinis. Te enim prae ceteris nostrae Bataviae urbibus & moralis pulchritudo, & docta exornat relligio. Valeat & tecum (faxint superi) meus ille pater ac Mecenas, dulce decus meum & praesidium, omniumque religiosorum cultor ac patronus, Dominus* Hermannus Lochorstius, *vetusti in te stemmatis titulo praeclarus, vir singulari fide & incredibili in omnes animi candore atque benevolentia. Per eum quoque licebit tibi apud summum Pontificem prosperos rerum tuarum sperare & obtinere successus, qui in eo quidem collegio* [1] *Decanus praesidet, in quo & ille*

1 *Decanus.*] Gualterus Brock in Catalogo MS. Decanorum Salvatoris testatur *Hermannum* hunc in ea dignitate successisse *Theodorico Uytenweerde*, die XVI. Septembris anno MCCCCLXXXIII. mortuo. Idem Decanus memoratur anno MCCCCXCVI. cum Davide Burgundico mortuo Fredericus Marchio Badensis Episcopus Trajectinus eligebatur. vide Conclave Trajectinum editum a Mathaeo tom. IV. Analect. veter. aevi pag. CCCCLXVI. Ejus mentio & in Charta Frederici Badensis apud Hedam p. CCCXXI., ubi Fredericus eum vocat *Decanum Ecclesiae nostrae S. Salvatoris Trajectensis, nostrum in spiritualibus generalem Vicarium.* Ubi notat Buchelius: *Hic fuit filius Wilhelmi de Lochorst, patruum magnum habuit Hermannum de Lochorst Decanum summi collegii Trajecti, & Can. Leodiensem, qui anno* MCCCCXXXVIII. *obierat, & sororem D. Ermgardim Abbatissam Servatianam anno* MDXX. *mortuam. Ipse vero decessit anno* MDXXVII. *ex nobili & antiquissima familia oriundus, cujus hodierno die supersunt reliquiae.* Praeterea memoratur anno MDXVII.

quo

*ille Praepoſitus veneratur. Videsne igitur quantum poterit, tibi hujus* Lochorſtii *tui inſtantia apud eum ſuffragari, cum quo illi hic fuit ſemper & familiare & prope unum mutui amoris & honoris conſortium. Denique & maximam tibi in ſe (qui ex te ſummus evaſit) impoſitam eſſe oſtendit fiduciam, quod in eo eadem, quae prior manet humanitas, nihilque in ipſo tam ſublimis fortuna mutavit, de quibus alias erimus, vita comite, longiores. Iterum atque iterum vale, Civitas ſancta, meque tibi commendatum gratanter accipe, qui tuas tuorumque laudes cecini luculenter.*

## PROSOPOPEJA LIBRI AD SUMMUM PONTIFICEM HADRIANUM IN LAUDEM EJUS.

*Te qui ſumme colit Pater & veneratur, amatque,*
*Me legat, en laudes ſcribo, Hadriane, tuas.*
*Te pietate gravem, te relligione ſerenum,*
*Et Cleri errata ediſſero mente pia.*
*Trajecti genitum, Sophiaeque decore nitentem,*
*Mox Salvatoris Praepoſitura levat.*
*Rector Academiae lux ſplendida Lovanienſis,*
*Induperatoris hinc pedagogus eras.*
*Primatem Hiſpani tenuere, Patremque ſupremum,*
*Nunc es Chriſticolis alter in orbe Deus.*

*Alter*

quo tempore Philippus Burgundicus mortuo Badenſi Episcopus electus ad poſſeſſionem Episcopatus admiſſus eſt, in diplomate apud Mathaeum tom. I. Analect. veter. aevi pag. CCLXXXII. ubi tamen male *Henricus de Lochorſt* vocatur. Eundem adhuc ſuperſtitem fuiſſe, cum mortuo Philippo Burgundico Henricus Bavarus Episcopus Trajectinus eligebatur, id eſt, anno MDXXIV. conſtat ex inſtrumento edito apud Mathaeum ad Anonymi Bell. Covord. pag. CXXII. Obiit vero die XI. menſis Auguſti anno MDXXVII. ſecundum Necrologium Salvatoris, editum apud Mathaeum in Fundat. Eccleſiar. lib. I. pag. XCV. ubi tamen male, ſive deſcriptoris, ſive typographi errore, *anno* MCCCXXVII. mortuus fuiſſe dicitur: pro quo *anno* MIↃXXVII. legendum eſſe ſuperiora evincunt. Praeterquam quod aliunde etiam conſtet *Aegidium Panſier* anno MCCCXXVII. Eccleſiae Salvatoris Decanum egiſſe, qui jam anno MCCCXVIII. eam dignitatem obtinuit, & demum die IV. Septembris anno MCCCXXX. obiit. Vitium in laudato Necrologio commiſſum eum, qui annotationes in Episcopatum Trajectinum compoſuit, in errorem abripuit tom. I. pag. CCII. edit. in 8. in fol. pag. LI. Hujus ejusdem *Hermanni Lochorſtii* Decani Salvatoris filius naturalis exſtitit *Wilhelmus Lochorſtius*, Canonicus & Scholaſticus Eccleſiae Divae Mariae Trajectinae, cujus literas de morte Papae Hadriani VI. edidit Lappius in Append. ad Hedam pag. II. ut Buchelius monuit in Genealogia MS. ejus familiae. Haec me docuit Celeberrimus, nobisque amiciſſimus Drakenborchius, qui hujus nobiliſſimae familiae genealogiam ex variis editis & ineditis monumentis compoſuit.

*Hadriani*

*Alter in orbe Deus, Christique Vicarius, omnis*
*Accipis Ecclesiae sceptra, Petrique locum.*
*Ergo sis Argus, centum tibi lumina sunto,*
*Ne lupus ore voret, quem regis ipse, gregem.*
*Sis Argus, centumque manus extendere cura,*
*Et saxa ac pecudes lingua movere paret.*
*Haec tibi fausta dies, & Nestoris adferat annos,*
*Et quae ventura est dexteriora ferat.*
*Vive diu felix, fidei lux, author honesti,*
*Gloria Pontificum, noster, & orbis amor.*

## DOMINO [1] HADRIANO LEONTIO GAUDANO, NEPOTI CHARISSIMO, PRIORI REGULARIUM AD MONASTERIUM S. MICHAELIS IN HEM PROPE SCHOONHOVIAM.

*Nescio, mi Cognate suavissime, & Domine Prior Regularium ejus ruris, cui Leccae fluvii harmus & brachium proxime Bello portum nomen indidit, nescio, inquam, quo ipse genio, quibusve sum fatis genitus, ut animo nimis perurgear prudens in flammas mittere manum, & me ipsum praemordacibus nostri hujus eruditissimi secli censoribus jure carpendum exponere; sed facile mihi omnes dederint veniam, qui meminere ipsum quidem Eloquentiae parentem Tullium, Liviumque & Senecam ab aemulorum morsibus alienos non fuisse. Quid si pulicem mordeant, qui Elephantos mordere non verentur? contempta igitur omnium zoilorum suggillatione, omissaque omni oratoria dicendi energia, qua nec egeo, nec abundo (& quam stilus iste phrasisque non recipit, quum interjectis quibusdam gaudet moralibus & Prophetarum latebris, quae non nisi planis in lucem prodeunt commentariis) hortantibus me amicis haud vulgariter literatis, in harenam quidem, velut eorum coactus instantia, descendam, cupiens mea saltem rudi palaestra fortiter certare pro decore domus Dei, & Ecclesia ejus: in qua nimirum gloriosissimus mihi tum asscriptus fuerit triumphus, quum vel unum de Ecclesiae filiis & Praelatis hac mea confabulatione ab omni morum insolentia & vanitate ad melioris vitae*



1 *Hadriano Leontio.*] Hic *Adrianus Jacobi Leuwen* vocatur ab Heusseno in Historia Ecclesiast. tom. II. pag. CCCCLXXI. & obiisse dicitur anno MDXXXI.

*frugem revocavero. Igitur, ut perpaucis aperiam, quid ex te velim, nepos amantiſſime, edidi nuper* admirabilem Apocalypſim, *relevandi animi gratia, (nihil enim tam triſte, quod non ſacrarum ſtudio literarum minus triſte reddatur)* ſuper miſerabili ſtatu Eccleſiae, & de ſpe ejus reparandae in melius per noſtrum, noſtratemque ſummum Pontificem Hadrianum. *Quem profecto libellum, ut nonnihil tui poſt cineres ſuperſtes ſit apud poſteros, velim, ut proelo tuo & impreſſione officinae ſubjicere digneris. Ad quod duplici quidem jure tu prae caeteris haud immerito compelleris: primum, qvod ejusdem ſis ipſe cum eo nominis & vocabuli, cujus hic libellus praeconia loquitur; deinde, quod ſub ejus jurisdictione Gaudae natus, & in rure Hemenſi Canonicus ſis renatus. Vale.*

# INCIPIT APOCALYPSIS,

## ET VISIO MIRABILIS, SUPER MISERABILI STATU MATRIS ECCLESIAE, ET DE SUMMA SPE EJUS REPARANDAE EX INOPINATA [1] PROMONITIONE VENERANDISSIMI

# DOMINI, DOMINI HADRIANI,

## TRAJECTENSIUM, ET HISPANIARUM ARCHIEPISCOPI, VIRI VENERANDI, DOCTISSIMI, IN SUMMUM RHOMANORUM PONTIFICEM, ET ECCLESIAE SPONSUM, CHRISTIQUE VICARIUM.

# DIALOGUS.

## INTERLOCUTORES APOLLO & AURELIUS.

### INTRODUCTIO VISIONIS ET MATERIAE CUM DIE ET TEMPORE QUO FACTA EST.

AURELIUS. Peractis in re divina matutinis postridie ejus diei, quo Deus homo factus est supra tercentum & quatuor lustra unumque Decembrem, quom me commodum quieti reddidissem, ecce (mirum dictu) adfertur ad me vox in somnis, dicens: Audi nos, Aureli, scriba Domini, & vates Spiritus almi, audi, inquam, nos, & quae tibi dicturus sum, fideli stilo excipere curato omnia. Haec ubi dixit, dextra me foras educens in agrum undique

Ab incarnatione Domini Anno MDXXI. in festo Stephani I. alta. nat.

1 *Promonitione.*] Lege *Promotione.*

undique pruina oppletum, (uti per quietem videre mihi videbar) interrogabat me, & ait: Viden' hanc, mi Aureli, vineam? Ecce (ut verum fatear) qualis eſt ager, talia & ſemina, quales apparent flores, tales & tincturae eorum. Praeterea qualis operator, talis & creatio, qualis agricola, talis & cultura. Viden inquam, mi Vates, hanc noſtri ſeceſſus vineam undique conculcatam & hoſtiliter deſolatam? AURELIUS. Aio: Etiam Domine mi, & doleo vehementer. APOLLO. Quid igitur faciam, inquit, vineae meae? Scio quid faciam. Servavi mihi acinum de botro, & ex eo plantationem mihi facio novam cum ſtirpe multa. AURELIUS. Haec quum ille mecum loqueretur, reſpexi, & ecce video mulierem quam pulcherrimam; ſed lugubri demiſſoque vultu in parte dextra mihi adſtantem. Haec reverendi admodum oris erat, aevi matura, ſed adhuc integra, colore ſqualido, decentique ſtatura. Veſtis, cui tela tenuiſſima, mirabili artificio, materia indiſſolubili, quam tamen (ni fallor) neglectae quaedam vetuſtatis imago obtexerat, gemmis auroque intertextam obriſo, ſed in fimbriis orbicularibus indigne corraſam. Et ecce, haec lugebat praevalide, ploransque voce magna, animo dolebat vehementi, & cinis ſuper caput illius. Tum converſus ad eam, dixi: (nam tunc Dux meus pauliſper abceſſerat) O pulcherrima feminarum, ut quid fles, quid doles animo, & quid mali habes! Tum illa. MULIER. Dimitte me, obſecro, ut meas defleam miſerias, & dolori dolorem adjiciam, quum amartitudine repleta ſum, & humiliata nimis. AURELIUS. Et dixi ad eam. Quid igitur, o Domina, es perpeſſa? dic mihi, obſecro, nec me celes quicquam. At confeſtim illa respondens, ait. MULIER. Sterilis fui, & non peperi, habens maritum annis triginta; at vero quum per ſingulos dies, horasque ſingulas precibus pulſarem Altiſſimum, factum eſt poſt ſex tandem luſtra, ut exaudiret me Dominus ancillam ſuam, videretque humilitatem meam, & attenderet tribulationem meam, dans mihi filium, & jucundata ſum ſuper eum valde, ego & vir meus omnesque cives mei, & honorificabamus Deum fortem univerſi. Nutrivi itaque eum magno cum labore, & cum increviſſet, ut uxorem acciperet, epularum diem conſtitui. Et ecce factum eſt, quum introiret thalamum ſuum, recidit, & mortuus eſt, evertimusque omnes lumina ejulantes: quumque non minime omnes me conſolarentur, & rogarent, ut a fletu me temperarem, ſurrexi nocte, & fugi, venique

Haec, parabola mulieris lamentantis aſſumpta eſt de libro Esdrae cap. ix. Et miſterio ex eadem ad vineam conculcatam.

in

in hunc, (ſicuti vides) campum, ac animo deſtinavi nunquam reverti in civitatem, ſed hic conſiſtere cogito absque omni cibo & potu, atque indeſinenter lugere, & jejunare, usque dum moriar & deficiam. Plorans igitur plorabo, & lacrymarum fontem deducet oculus meus, quum longe factus eſt a me conſolator. Multi quippe gemitus mei, quum fructum ventris mei inopina morte perdidi, nec eſt qui conſoletur me ex omnibus charis meis. Audite, obſecro, univerſi populi, & videte dolorem meum, quia egreſſus eſt a me omnis decor meus, & cecidit ſpes atque corona capitis mei. Magna eſt, veluti mare, contritio mea, & quis medebitur mei? Cor meum moerens, & ſubverſio eſt in memet ipſa, quum amaritudine plena ſum. Quocunque enim me confero, illum illum filium meum animus, illum oculi requirunt! en lubuit monumentum ejus videre, mox vidiſſe poenitebit. O dies infauſta nimis & lugubris, nigroque notanda lapillo!

*Aurelius non ſine cordis acrimonia Mulierem inconſolabiliter mortem filii ſui deplorantem redarguit, dicens:*

O inſanae mentis femina! num vides luctum omnium noſtrum, & quae nobis quotidie obtingunt mala? Ecce omnis terra ingenti affligitur triſtitia, & luget validiſſime. Anne vides, o Domina, initium dolorum & gemitus, initium famis & interitus, initium bellorum, quae ipſae etiam ſecli poteſtates formidant, initium denique malorum, quae nos undique invadunt, & perturbant. Et ecce quum angimur omnes, lugemusque & conſternati ſumus, tune, o Mater, juſte in uno contriſtaris filio? Minime quidem. At vero ſi dubitas, ipſam interroga terram, & dicet tibi, quia haec profecto eſt, quae merito lugere debeat caſum tantorum ſuper eam germinantium malorum. Ecce annonae charitas, Martis furor, anguſtia, & tribulatio, ſtillant omni ex parte ſuper nos & prorſus flagellorum Domini, quibus ad emendatiorem nos revocat vitam, omnino adhuc immemores ſumus. Caſtigamur & non corrigimur, neque emendamur. Pene omnes, proh dolor! in perditionem ambulant, & multitudo populi terrae datur in exterminium, facti ſunt filii ejus perditi quum invaluit inimicus. Improbus exactor rurales exoſſare non deſinit, & miles incubens equo furore eos comedit, eviſcerat, & affligit, foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt. Omnes inimici ejus audierunt malum illius, & laetati ſunt: Dic igitur, obſecro, o Domina, quis lugere magis

 debet,

debet, nisi haec terra, quae tantam variis in locis perdit quotidie hominum multitudinem, tum peste, tum gladio & fame, quum tu pro uno doles filio. Nunc igitur quiescat a ploratu vox tua, & oculi tui a lachrymis, quia si justificaveris terminum Dei, consilium ejus in tempore accipies, & erit merces operi tuo. Comprime, oro, aut certe mitiga in temet ipsa dolorem tuum, & aequanimiter ferto, qui tibi contigerunt casus. Ingredere ergo in civitatem, & redi ad virum tuum, habet enim ille plures de semine suo, quorum vel unus aut alter in demortui locum succedere, & sponsum illius sibi possit copulare. Quid igitur? Excute omnem prorsus abs te dolorem, & ponito tristitiam, ut tibi propicietur Deus, & requiem tibi faciat Altissimus. Haec ubi ad eam loquutus fuissem, (mirabile dictu) facies Mulieris subito fulgere cepit, & species ejus, vultusque nimium coruscare; ita ut animo consternatus & expavescens de hac cogitaverim, quid hoc esset. Et ecce confestim quasi novo recreata gaudio, Mulier sonitum vocis adeo magnum emisit, ut ab eo commoveri viderentur cardines terrae, hunc in modum ter inclamitans:

In hoc disticho habentur anni Domini per literas numerales MDXXII.

*Hadrian acceptet Petri sine turbine regna?*
*Ut regat Ecclesiam, lege, vigore, fide.*

Et vidi, & ecce amplius Mulier illa mihi non comparebat; sed is, qui me foras eduxerat, Apollo mihi e vestigio astitit, & dextram meam amplexus, confortabat me, dicens: Quid tibi est, Aureli, & quare conturbatur in te intellectus tuus, & intabuit sensus cordis tui? Et dixi. Quum tu, lux mea & decus meum, dereliquisti me, & interim vidi misterium, quod enarrare ipse nequeo. Tum ille, rursum ad me respondens, dixit APOLLO. Audi me, Aureli, & docebo te, quae expressa sunt in scriptura veritatis, dicamque tibi, quae Altissimus revelavit tibi. Noli timere, pax tibi, confortare, & esto robustus. Itaque interpretatio & intellectus visionis, quae apparuit tibi post abscessum meum, est iste: Mulier, quam vidisti lugentem, & consolari nequaquam poteras, enarrabat tibi plurimo singultu de morte filii sui, & immutata specie, vultuque laetitia serenato, confestim ab oculis tuis evanuit. AURELIUS. Et dixi, ita se res habet per omnia, Domine mi, & inficias ibo nunquam, scopum visionis acu attigisti, recteque judicas. Nunc ergo quum in omni visione intelligentia opus est, precor te, ut mihi servo tuo excessum istum inter-

Daniel x.

interpretari non graveris. APOLLO. Haec eſt, inquit, abſolutio ſermonis, quem audiſti: Mulier iſta, quam moerentem vidiſti, eſt catholica mater Eccleſia. Vir ejus Chriſtus eſt, qui eam ſibi ſuo deſpondit ſanguine: filium ejus quemlibet intellige ſummum Rhomanae urbis Pontificem, ubi Chriſtianae Reipublicae thronus eſt, & imperium; quamquam haud injuria quemvis Chriſtianum Eccleſiae filium eſſe non abnuimus: at modo res nobis ab ipſo capite Eccleſiae, & Vicario Chriſti auſpicanda eſt. Filium igitur, quem veneranda Mulier haec (matrem dico Eccleſiam & ſponſam Chriſti) poſt triginta annorum ſterilitatem pepererat, *Leonem* Pontificem hujus nominis *decimum* accipito, quem multo quidem labore educatum in gentilicia *Medicum* nobili doctaque familia, ad ſummum totius Chriſtianitatis apicem ea demum evexerat gratia, ut aut in Turcas expeditionem, aut certe pro morum reparatione Concilium, admitteret. Et ecce, quom jam in animo, quaſi in thalamo, res concepta & decreta, jam jamque proxime partum exiſteret, occidit *Leo* filius ejus, & mortuus eſt. Occidit, inquam, tam enim inopina mors ejus fuit, & immatura, [1] ut nonnulli eum veneno abſumptum ſuſpicentur. Duplici igitur haec Mulier afflicta contritione, nullam abs te conſolationem accipere voluit, quum ſterilitatis pariter & orbitatis incommodo graviter premeretur. Sterilis quippe tum mater eſt Eccleſia, quum ſe prorſus a communi fidelium profectu & incremento perſpicit ocioſam, quum nec ſacris nititur moribus perverſos corrigere, nec hoſtes ſibi infeſtiſſimos cum omnibus hereticis ad ſuum laborat gremium revocare, aut certe ferro (ubi expedit) & igne ad certam omnium fidem cogere. Porro ſterilitatis ejus ad nos & tempus in hoc apertiſſime invenies, quum nihil uſpiam a diebus [2] Alexandri ſexti, uſque in praeſens, ad Eccle-

Quando Eccleſia proficere & creſcere dicitur.

1 *Ut nonnulli* ] Vid. ad Moring. cap. XIX.

1 *Alexandri ſexti.* ] De quo impuriſſimo, Papa jam nos quaedam ad Jovium cap. VIII. adnotavimus. Qui Papatum pecunia adeptus, omnia ſacra pretio vendebat, unde de eo hi verſiculi decantabantur:

*Vendit Alexander claves, altaria, Chriſtum,*
*Emerat iſta prius, vendere jure poteſt.*

Qui Epiſcopos & Cardinales divites ſuſtulit, in quorum locum, qui plus auri obtuliſſet, ſufficiebat, ut ita liberorum ſuorum, quos quinque ex *Vanotia Catanea*, dum Cardinalis eſſet, ſuſceperat, fortunam augeret. Quorum natu minimus *Caeſar Borgia*, homo omnibus ſceleribus coopertus, qui omnis fere memoriae barbariem libidine ac crudelitate fuit ſupergreſſus, cum fratris uxore conſuetudinem habuiſſe, fratrem Candenſium Ducem interfeciſſe, & totius Italiae principatum ſibi vindicare, in animo habuiſſe dicitur. Vid. & Matthaeus Sutlivius de Catholica Ortodoxa & vera Chriſti Eccleſia apud Wolſium tom. II. Lection. Memorab. p. MII. Gratianus de Caſib. Illuſtr. viror in princip. Ludovicus Tubero

Ecclesiae usum, splendorem, & provectum a summis Pontificibus legitur attentatum; sed suis quisque rebus & commodis visus est consulere, dum vel ablata sibi recuperat, vel ad majora ambitiosus anhelat. Alteram quoque gemendi causam huic Mulieri (Catholicam loquor Ecclesiam) orbitas adduxit, quando filius ejus *Leo decimus* occubuit, fatisque concessit. Nam in eo maximam Ecclesiae suae & provectus ac victoriae spem sibi collocaverat, quum is jam primum celeberrima Patrum synodo viciis, pravisque moribus, deinde armata classe Turcis bellum indicere animo destinarat. At vero quum non ita multo post tempore facies ejus coram te exhilarata est, & ut solis radius propemodum emicuit, novi in demortui locum canonica fecit institutio, cujus etiam nomen pariter ac virtutem Mulier ipsa prae gaudio ter inclamitans, dicebat:

*Hadrian acceptet Petri sine turbine regna,*
*Vt regat Ecclesiam lege, vigore, fide.*

Cum enim haud minima inter Cardinales (ut plerumque assolet) de creando Pontifice fieret concertatio, dum suis nititur quisque suffragari, tandem (ne Regibus applaudere viderentur) elegerunt ex Fratrum collegio virum, doctrina & sanctitate juxta ornatissimum, qui ex Mulieris faustissima praecatione Ecclesiam Christi regat *lege* contra rebelles, *vigore* contra invasores, *fide* contra haereticos & infideles. Hi enim tres, unde libet, non secus atque, tres Chaldaeorum turmae, Camelos, id est, Ecclesiae Praelatos, qui onera ejus portant, invadunt, puerosque ejus (innocentes loquor) gladio perversi dogmatis occidunt, eamque omnibus modis gestiunt supplantare. Hi sunt, inquam, veluti tres in vite Pharaonis propagines, de quibus Pincerna ejus, Satanas scilicet, propinare nititur Ecclesiae vinum, quod apostatare facit etiam sapientes. De quo vino Moises in Cantico suo dicit, *fel Draconum vinum eorum, venenum aspidum insanabile.* At contra hos Ecclesiae inimicos armabit se potenter electus Domini, quem nunc praeposuit populo suo, & accipiet scutum inexpugnabile, aequitatem, haereditabitque ex eo honorem, & nomen ejus vivet in aeternum. Praeterea, si nominis ejus interpretationem con-

Job. I.

Genes. XL.

Eccl. XIX.

bero de rebus sui temporis p. CXXXVI. & CCXXVII. Jovius in vita Leonis X. lib. I. P. Martyr Epistol. CVIII. CIX. CLXXIII. CCI. CCLI. CCLXIV. & CCLXV. Baleus de Român. Pontif. Actis lib. VI. & Lydius in not. ad Nicol. de Clemangis de corrupto Ecclesiae statu c. IV. p. X.

Divini

conquirimus, plurima & virtutis, & pietatis myſtica nobis ex ea oboriuntur? Nam ſi aſpirationem non ſpernis, habet profecto mater Eccleſia menſurae teſtem, qui omnia (quae ſua urbanitas eſt) inundanti juſtaque menſuratione moderabitur. Sin vero aſpirationem abjicis, eum nihilominus habet Chriſtiana Reſpublica ſibi praefectum, qui ex ſuo nomine peſſimos circumdabit, decorans Deum in omnibus. Denique ſi extremam ejus nominis partem diſcutere placet & interpretari, habet eum haec mulier (quam vidiſti) procul dubio virum, qui citra omnem invidiam donum populi dici poteſt, & gratificatio ejus. Dominus enim Deus, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, hunc ſatis invitum atque renitentem fidelibus ſuis ea demum ratione voluit praeficere, ut nullo omnium favore aliquando emolliretur, qui nulla hominum conniventia, hoc ſummum atque adeo praecipuum Eccleſiae munus obierit. Neque enim ad hanc ſummi culminis dignitatem aut pecuniarum, aut factionum praeſidiis conſcendit, vel ambiendo irrepſit, ſed (ut verum fatear,) non tam hominum patrumve ſuffragiis, quam [1] divini numinis delectu eſt aſcitus. AURELIUS. Dii celeſtes hanc patrum (quam neque Symon, neque Alchimus polluit) electionem ſecundent, modo quicquid ejus rei factum eſt, nobis bene proſpectum ſit, & Eccleſiae Dei proficiat. Neque enim facile credidero, quempiam tam inſano eſſe animo, ut qui ſe Eccleſiae filium gerit, matris ſuae commodis atque profectibus non gratuletur. Atque utinam omnes haud vulgari morte pereant, qui Eccleſiae Dei, ſponſaeque Chriſti male volunt ac cupiunt, exoticisque eam dogmatibus perturbant. O fauſtiſſimum mihi hujus diei nuncium, quem tu ore facundiſſimo ſuperumque praeco nobis attuliſti! Nemo eſt omnium, quem ego magis audire deſiderem ſuper his, quam te. Narra igitur iſtuc, obſecro, quod occepiſti, & quidnam boni ſubinde cunctis affuturum ſperes, edicito, qui ſalem habes plurimum, noſtique de ſingulis longe proſpicere, & quae ſit eorum viciſſitudo ſagaciter divinare. APOLLO. Multos aetas tua, Aureli, Pontifices vidit, ſed quem cum iſto poſſis conferre, vidiſti neminem. Nulla de ſpe tua decedunt, quin Chriſtianae Reipublicae ſit is ſemper, qui modo electus eſt, quam optime conſulturus. Nam quae ad Pontificem ſummum & ſpectant ac deſiderantur omnia, his adeo

Hadrianus.

Adrianus.

Anus.

1 *Divini numinis.*] Vide quae ad Moringum cap. XIX. adnotavimus.

eo is divinitus affluit, ut non mortali patre, ſed ex Deo prope genitus eſſe, & ad nos de coelo miſſus videatur. Ut enim a relligione initium ſumam, cultus Dei mirum in modum hominem oblectat, utpote ſuapte natura humilem, candidum, mitem, & ſanctimoniae pietatisque refertiſſimum. Legimus quippe ſacris in litteris, complures neglecta relligione gravem & manifeſtam dediſſe poenam, turpiterque excidiſſe; rem vero Chriſtianam eorum virtute, qui relligioni pientiſſimae paruerunt, & conſervatam & auctam eſſe quam plurimum. Cujus profecto decentius conſervandae atque augmentandae maxima nobis noſter electus in omni tempore [1] vita ſua, & quidem a puero usque, in primis tribuit documenta. Et quid loquar de viri ſapientia, qua nimirum gubernatrice omnes inſolentis animi cupiditates procul abjecit, quum hae ſemper inſanabiles remanent, & quae non privatos homines modo, verum etiam illuſtres familias frequenter evertunt. Ex cupiditatibus enim, uti res ipſa docet, odia, diſcordiae, ſimultates, diſſidia, factiones, bella, ſeditiones, & innumerae id genus peſtes oriuntur. At vero frugalitas id ſanctitati ejus praeſidii facile adfert, ut in rebus aut expetendis, aut fugiendis, ſolam ſequatur rationem. Porro ex juſtitia, a qua nec divelli, nec diſtrahi poteſt, id conſequitur emolumenti, ut nihil ſit quod animum ejus excruciare poſſit. Tanta poſtremo eſt in hoc ſanctiſſimo viro fortitudinis ratio, ut ſine cura metuque inter turbines vivat, nullaque pectus illius & corpus moleſtia defatiget. Ampla quidem & immortalia ac prope divina ſunt omnia, quae in eo perſcrutor, ita ut ſi velim ſingula vel breviter meminiſſe, prius me dicendi hora, quam copia deſereret. AURELIUS. Mira audio ex te, o Apollo, & quae mirum in modum nos exhilarant. Nihil enim mihi antiquius unquam & optatius fuerit, quam optimum quemque in Eccleſia Dei praeſidere paſtorem, qui ovibus Chriſti ſtudioſe invigilet, paſcat, & conſervet; ſed dicito mihi, precor, quis ſit iſte, quem tantopere praedicas ex ore mulieris, (quam vidi) *Hadrianus?*

1 *Vita ſua.*] Leg. forte *vitae ſuae.*

INCIPIT

# INCIPIT
## SECUNDUS LIBER
### IN
# APOCALYPSIM,
## SUPER MISERABILI STATU MATRIS ECCLESIAE, ET DE SPE EJUS IN MELIUS REPARANDAE, EXPLICANS QUIS SIT ISTE HADRIANUS, QUEM MULIER INCLAMAVERAT: ET DE PRAECLARA FUTURAE PROBITATIS EJUS ET FACINORIS OPERA.

AURELIUS. Hominem, mi Domine, noſtin? APOLLO. Etiam. Idem ipſe eſt, quem tu, Aureli, quom in plurimis carminum tuorum lucubrationibus, tum praecipue in ſancti Andreae Apoſtoli ad Charolum Imperatorem proſopopeja, tanto candore commendaſti, ut majore potuerit nemo. AURELIUS. Ecquid, mi Domine, audio? Dii boni! boni tantum mihi annuncias, ut prae laetitia me ipſe non capiam. Hiccine noſter Hadrianus, quem Ultrajectum, regale oppidum, noſtraeque metropolis Freſiae, nobis progenuit? Hiccine Hadrianus, quem celebris Lovaniorum Academia omni eruditione ſcientiarum facile conſummatiſſimum Doctorem, ſuique Cancellariatus titulo inſignem reddidit? Hiccine noſter ille eſt Hadrianus, quem denique [1] Philippus ſecundus praeceptorem, & Hispania tandem Archiepiſcopum habuit atque Primatem. APOLLO. Eccum ipſum, quem nunc Rhoma fauſtis quidem avibus in ſummum ſibi elegit Pontificem, ac univerſalis Eccleſiae habenas ei tradidit. Difficile dictu quanto omnes in Urbe exiliere gaudio. Quisque pro aedibus ſuis quam maximos inſtruere ignes contendebant ad unum omnes. Ut proſpere procedat & regnet feliciter, Chriſtum

1 *Philippus ſecundus.*] Male, non enim Philippi, ſed ipſius Caroli fuit praeceptor, ut ad Moringum vidimus.

stum optimum maximum; Mariamque celi Reginam, & sanctos Apostolos precibus fatigantes, supplicationes triduum fieri jusserunt. AURELIUS. Maximum est hoc, fateor, in Christiana Republica munus & officium, alterumque propemodum in terris esse Deum, altissimis tamen hujus integerrimi Viri virtutibus & scientia haud indignum. Nam si pectus ejus, & divinarum & humanarum rerum sacrarium metiri pergas, nullum procul dubio in orbe quidem, nec in Urbe reperies hac [1] promonitione digniorem. Ab ineunte quippe aetate ad maximas quasque res Ecclesiae natus videbatur, justitiamque colere cujus est proprium, oppressos tueri, afflictis opem ferre, & injurias propulsare. Quod utique quam sagaciter & strenue semper observaverit; & *Rethii*, dum apud eos in Lovanio sancti Petri Decanium ageret, & ipsi postea *Celtiberi* testes sunt locupletissimi. APOLLO. Revera, ut refers, o Aureli, ita est. Vidimus eum olim, quum inter *Vectones* praesideret, & vulgus propter improbas Procerum exactiones tumultuaretur, quanta animi constantia, quanta facundissimi oris sui eloquentia, & authoritate, Hadrianus iste omnem furentis populi insaniam [2] & exceperit, & mitigarit. Neque enim illum facile magnanimum & fortem probavero virum, neque satis prudentem, quem nunquam debachantis fortunae improbitas attigit, quem diversa rerum vicissitudo, ac adversa tempestas (ut Ulissem) nunquam pulsavit. Illum denique haud immerito dixerim omni laude dignissimum virum, quem neque prospera leniter emolliant, neque adversa leviter dejiciant. Hic est igitur, mi Aureli, (ut verum fatear) *Acinus* ille, quem mihi de botro servari, ut ex eo novam plantationem faciam in vinea mea, quam vidisti pridem ferme desolatam, & a bestiis saltus aegre conculcatam. AURELIUS. Delectat me summopere, O Delie, hoc misterium de *acino botri*, atque ideo maxime omnium indicibili me afficit gaudio, quod tu illud tam evidenter in nostrum modo refers completum iri Hadrianum. Atque utinam ex eo novam vinea Domini Sabaoth (Ecclesiam dico) mereatur habere optimi fructus plantationem. O aurea tandem superum dono concessa nobis secula! O annum placabilem Domino, & diem consolationis expectatissimum! O felicia nostrae calamitatis tempora! si

Retii Brabantini.

Celtiberi Hispani.

Vectones Hispaniae populi.

Acinus botri in vinea unde speratur plantatio nova, est hic noster Hadrianus, quemadmodum mystice in primo libro hujus Apocalypsis dicitur.

Apollo a loco dictus.

1 *Promonitione.*] Leg. *promotione.*

2 *Et exceperit & mitigarit.*] De motibus his rebellium Hispanorum singulari Hadriani prudentia sedatis, vide Jovium in cap. VI. Multa quoque de iis habet P. Martyr lib. XXXIII. & XXXIV. Epistol. & Haraeus in Annal. Brabant. ad ann. MDXIX. & MDXX.

Non

si sub nostrate summo Pontifice munitissimam sanctorum Patrum
collegio contingat celebrari synodum, in qua ipse corruptis Eccle- Quatuor
siasticorum moribus, perversorum sectis & dissensionibus, Prin- hic notat
cipum discordiis & factionibus, Turcarumque blasphemiis & cru- castiganda in Eccle-
delitatibus, juxta nominis sui interpretationem, mensuram & mo- sia & pro
dum imponere posset. Hi sunt enim quatuor venti pugnantes in- Ecclesia.
ter se, & quatuor bestiae grandes, quae Ecclesiam Dei commi- Daniel vii.
nuere & conculcare nituntur. Hi sunt quatuor fabri super dor- Zachari-
sum Ecclesiae nequiter malleantes, & quatuor cornua praesumptuo- ae i.
se Christi sponsam per singulos viros ventilantes. Haec sunt,
inquam, capita quatuor in bestia, quae ambitione nimia Ecclesi- Daniel vii.
am devastant. Hae sunt quatuor quadrigae, egredientes de me- Zachariae
dio montium aereorum, quae quotidie in Ecclesia Dei invide tu- vii.
multuantur. APOLLO. Grandem tibi hujus cogendi Concilii
spem atque fiduciam, Aureli, praestare poterit agnata semper a
crepundiis huic pientissimo Patri summa in Deum ejusque sponsam
pietas ac religio. Nam (si non excidit tibi) simulatque Lovanii
sacrae paginae Doctoratu fuerat insignitus, suis ad populum con-
cionibus creberrime affirmabat, neque rebus humanis pacem, ne-
que provectum Ecclesiae unquam dari posse, nisi publica sacra-
tissimae Synodi editione provideretur. Quamobrem modo bene
sperandum esse nobis de eo, cui nunc uni illud, in quod olim
integerrime propendebat, potestas adjacet peragendi, atque ei
adeo uni modo ut fiat, hoc asscribitur, ut sine illo fieri nequa-
quam possit ac debeat. AURELIUS. Recte mones, o Del- Delius,
phice, moverisque sub hoc negocio candidissime. Nam si hic Delphicus
noster nostrasque Hadrianus primum sui nominis [1] non dedigna- idem Apollo.
bitur imitari Pontificem, res perquam feliciter, faustisque avibus
in Catholica dirigetur Ecclesia. Ille enim duas solenniter cele-
bravit synodos, plurimis Antecessorum suorum & gloria tempora-
li & diviciis antecellens. Hic idem in Urbe turres & muros ex-
truxit. [2] Diruta restituit Sanctorum Basilicas, & plurima in-
stituit Monasteria, Longobardorumque Regem [3] Desiderium,
assistente

1 *Non dedignabitur.*] Hunc enim animi magnitudine, consilio, doctrina & sanctitate vitae, cum quovis optimo Pontifice comparandum, dicit Platina. Videndus & Papebrochius in Propylaeo ad Acta SS. mensis Maii in conatu Chron. Histor. ad Catal. Pontif. p. CXXIV. ubi & exhibet epitaphium, quod ipsi posuit Carolus magnus. Vita ejus etiam legitur apud Mabillon. tom. I. Mus. Ital. part. II. p. XXXVIII.

2 *Diruta.*] Legendum *dirutas.*

3 *Desiderium.*] Fuit hic ultimus Longobardorum in Italia Rex, qui postquam Carolomanni viduam cum duobus infantulis in tu-

assistente sibi Charolo magno Imperatore, extirpavit. APOLLO. Vera nobis per omnia narras, Aureli, neque enim de hoc nostro Hadriano ipse dubitem, quin vel unam celebret Synodum, qua Ecclesiae status, variis labefactus exorbitantiis, in melius reparetur: quin etiam muros & turres in ea, & quaevis collapsa mystico effectu instaurare curabit. Inprimis, ne dubita, novum eriget murum contra faciem Damasci, & super eum propugnacula aedificabit argentea, ut fiat pax in virtute & passione Christi, nec non spiritualium abundantia ciborum in turribus ejus. AURELIUS. Grandia quaedam praesumis, Apollo, de hoc nostro summo Pontifice. Faxint Superi, ut vota nostra secundent, & omnium nobis eum praebeant optimum, quem haud temere, & non sine causa, omnium fecere supremum. Sed quum revera Davus sum, non Oedipus, tua mihi interpretatione opus est in his, quae palam recitasti. APOLLO. Breviter curro, quandoquidem ad alia haec nostra festinat colloqutio. Itaque *Ecclesiae murum*, fidei stabilitatem intellige: *Turres* vero ejus Praelatos, Doctores & Magistros: *Propugnacula* autem *argentea*, accipe Imperatores & Principes terrae. Noster igitur Hadrianus, si vita comes fuerit, ut Ecclesiasticae fidei atque relligionis statum jam prope labantem confirmet, doctos sibi ipse doctissimus, & viros vitae sanctimonia conspicuos, ipse modo sanctissimus in Doctores & Praelatos, in Assessores & Primicerios coacervabit, quibus Christiana respublica non secus atque turribus communitur; quique ad ejus exemplum sincere ac sine quaestu populum ad arcem Evangelicae vocitent puritatis, omnibus interim posthabitis Philosophorum disceptationibus & argutiis, atque persuasibilibus humanae sapientiae verbis, pascentes parvulos Christi lacte ac puro sacramentorum pabulo. Praeterea Imperatores, & Principes terrae, qui sunt procul dubio *argentea Ecclesiae propugnacula*, hic sua melliflua exhortatione in concordiam facile coactos, contra infideles fideliter armabit. Quid multis immoror? Totum

Tropologisat facta Hadriani primi, & transfert ea allegorice in nostrum Hadrianum.

telam suam recepisset, & hos ab Hadriano in Reges Franciae consecratos vellet, & ille recusaret, invaderat Exarchatum: quare Hadrianus coactus fuit invocare auxilium Caroli, qui, non tam ut Papam liberaret a tyrannide Desiderii, sed ut totam Longobardorum gentem sibi subjiceret, in Italiam trajecit, & Desiderium in urbe Ticino obsedit & cepit, quem cum uxore in Galliam misit, juxta quosdam, ut Platinam, Lugdunum, juxta alios, ut Aventinum lib. IV. annal. Bojoar. & Naucler. generat. XXVI. Leodium. vid. Clar. Smincke ad Eginhart. de vit. Caroli m. cap. VI. Et ita in eo finitum fuit regnum Longobardorum, quod per duo secula steterat.

Regum

Totum hic nostras nosterque Pontifex suo splendidissimae vitae speculo innovabit mundum, & per omnes terrarum fines alleluia cantabitur, dicesque benedictus Deus, qui exaltavit eum super Ecclesia sua, ut sit regnum ejus in secula seculorum super eam, amen: beati omnes, qui diligunt eam, & qui gaudent super pace ejus, benedicite Domino omnes electi ejus, agite dies laetitiae, & confitemini illi; nam is Hadrianus omnes Ecclesiae maculas ad suum demonstrabit ac eluet contuitum, exhibebitque eam sine ruga, & ad virum suum reducet priorem Christum Jesum, qui eam sibi suo desponsavit sanguine. AURELIUS. O me Croesis omnibus Mydisque locupletiorem! O nostro seculo nihil unquam felicius! si haec, quae narras Apollo, sub nostrate videamus contingere summo Pontifice. Nobis etenim (ut verum fatear) longe proprior est hujus viri & scientia & virtute consummatissimi laus, honor, & gloria, quam ipsi, magisque quam omnibus nobis, (quia nostras est) tum mihi praesertim ejus promotio cordi esse debet ac gaudio, qui duplici (ne mentiar) jure ejus sum ditionis, utpote in hujus Praepositura, & quidem Goudae natus, & apud Canonicos in Dunca sancti Martini renatus. Verum enim vero quum semel coepi, loquar, obsecro, ad te Dominum meum adhuc semel. APOLLO. Nihil mihi, Aureli, molestum fuerit te audire interrogantem, quem ad colloquendum ipse prior evocavi. Virtus quippe tua, & vel citharae (cujus ego repertor, tu cultor es) vicinitas facit, ut tibi semper liceat, dum voles, familiariter mecum fabulari atque decernere; Nihil enim tam difficile est, quin perquirendo investigari possit. AURELIUS. Multo plane omnium nunc fortunatissimum Ecclesiae statum fore putem, si hic noster Hadrianus (bona loquar venia) ejus quoque operam novare, ac studia non aspernabitur obire, quem hujus nominis *secundum* scriptura refert. Adeo enim digna res est, mi Apollo, ubi tu nervos intendas tuos, tum pro tua sapientia tibi credam plurimum conducere, ut non, quod ante pedes est modo, videas, verum etiam illa, quae ventura sunt, cures prospicere. APOLLO. Ingenue sapio nunc, Aureli, quo pergere tentes, ita ut tempus fert, faciundum esse censeo. Constat itaque *Hadrianum secundum*, quum omnem in populo nequitiam, tum praecipue [1] Regum adulteria & vulgarium excommunicatio-

Thobiae XIII.

Aurelius de se.

[1] *Regum adulteria.*] Respicit scilicet factum *Lotharii*, qui ducta *Theuberga* Bosonis filia, ejus

nicationis fulmine inusta adnotasse, itidem, opinor, a nostro velles curatum iri Hadriano. AURELIUS. Recte divinasti. Nihil enim Ecclesiastico nitore mihi optatius unquam; nam (ut verum fatear) nihil aeque divinam majestatem iracunda in homines jacere tela provocat, nihil adeo humanae vitae foedera rumpit, nihil denique creatae regulam naturae ita laedit, atque adulterium. Quid ni? Plus justo longior esse videbor, si haec eadem singulatim exemplis astruere velim. Nonne Dominus Pha-
Gen. cap. xII. raonem maximis flagellavit plagis, quia Saram Abrahae uxorem in domum suam sustulerat, quamquam adhuc minime eam attigerit? Nonne Abimelech Regi Gerar pro eadem sublata Domi-
Gen. cap. xx. nus mortem comminatus est, & omnibus ancillis ejus pariendi facultatem ademerat. Si tanta omnipotens vindicta desaevit in eos, qui uxorem Abrahae, quam tum sororem suam esse dicebat, innocenter, & veluti innuptam, sustulerant, quanta putas efferatur quotidie iracundia, quamquam occulta, in eos, qui inviolabilis thori jura contaminare non verentur? Meminerint, obsecro, hi, quanto in Benjamitas furore Dominus fuerit deba-
Judicum xx. chatus

ejus toedio concepto, inciderat in amorem *Walradae*, quae concubina ejus, cum adhuc adolescens esset, dicitur a Reginone in Chron. ad ann. DCCCLXIV. Hinc *Lotharius* eam accusaverat incesti amoris cum fratre suo *Huberto*, & abacti foetus, quem ex eo conceperat. v. Annal. Saxo ad d. a. apud Eccard. tom. I. corp. Hist. medii aevi. Ut autem Episcopos in dissolutione hujus matrimonii sibi conciliaret, fingit se velle ducere sororem, vel neptem, uti volunt Regino & Annal. Sax. ad d. a. Otto Frisingens. lib. VI. Chron. cap. III. & Cluver. Epit. Histor. p. CCCCLI. *Guntharii* Archiepiscopi Coloniensis, qui *Thietgandum*, vel *Teutgandum*, ut ab Adone Chron. ad a. DCCCLXIII. nominatur, Archiepiscopum Trevirensem, & alios Episcopos *Lothario* conciliat. vid. Histor. Trevirens. apud Dachier tom. XII. Spicileg. pag. CCXIII. & CCXIV. Et ita in synodo Aquisgranensi matrimonium hoc dissolvitur, & *Lothario* potestas aliam ducendi conceditur. Qui statim decipit Coloniensem, & si fides habenda sit Reginoni, & qui eum sequitur, Annalistae Saxoni ad ann. DCCCLXIV. *Guntharii* neptem ad eam arcersitam, postquam stuprasset, ad avunculum remisit; quamquam alii ejus stupri non meminerint. Ducit itaque *Lotharius Walradam*. Prior vero uxor *Theutberga* querelas defert ad Papam *Nicolaum primum*, qui Metis Concilium indicit, ubi *Lotharius* coram Legatis Pontificis caussam suam egit, & se nihil in omni illo negotio, nisi ex sententia Episcoporum egisse probat: & decretum, ut Episcopi caussam dicturi Romam irent, ubi fuerunt depositi & damnati. v. Ott. Frising. d. l. Annal. Saxo ad a. DCCCLXV. & c. Theogaldum XI. q. III. *Lothario* tamen mandatum *Theubergam* priorem uxorem recipere, & *Walradam* repudiare sub poena anathematis. Qui recepit quidem *Theutbergam*, verum cum *Walrada* ipsum relinquere nollet, excommunicatur, & *Nicolao* mortuo, *Lotharius* ab *Hadriano secundo*, qui ipsi successerat, obtinet veniam Romam veniendi, a quo *Walrada* anathemate solvitur, & benigne recipitur *Lotharius*, postquam jurasset se ab eo tempore, quo *Theutbergam* recepisset, numquam cum *Walrada* rem habuisse, neque habiturum postea: sub quo jurejurando *Lotharius* ab *Hadriano* Eucharistiam accepit. Brevi vero post, anno scilicet DCCCLXVIII. VI. Idus Augusti *Lotharius* Placentiae obiit, & notatur a scriptoribus, omnes, qui cum eo Eucharistiam acceperant ab *Hadriano*, intra annum periisse. vid. Sigeb. Gembl. ad ann. DCCCLXX. Annal. Sax. ad d. a. Otto Frising. VI. cap. IV. Regino ad a. DCCCLXIX. & Mutii Chron. German. lib. XI.

*Indoctis*

chatus, quos ob perpetratum in Levitae uxorem facinus omnes ad internecionem usque delevit praeter sexcentos, unde Paulus, olim egregius castitatis vindicator, nasceretur. APOLLO. Grandia sunt, quae profers, Aureli, & quae sacra veteris paginae recitat historia. Aliud tamen adulterii genus in Ecclesia, proh dolor! reperitur, quod etiam haud minore cautela a nostrate summo Pontifice sublatum iri percupiam. Rogas quod, audi Salomonem: *Adulterinae*, inquit, *plantationes*, & *spuria vitulamina non dabunt radices altas*. Quid ni Ecclesiastica tum adulterantur, & prostituuntur beneficia, quum [1] indoctis & prope idiotis conferun-

Idiota, indoctus, illitteratus plebejus inutilis, quum sibi tum non pluribus utilis, sibique prius & privatus.

[1] *Indoctis & prope Idiotis.*] Juxta enim antiquos canones & Conciliorum decreta, antequam quis in Clerum recipiebatur, ab Episcopo examen sive inquisitio facienda erat in ejus scientiam & doctrinam, ut jam decreverat Gelasius Papa vid. Compil. Chronol. ad ann. CCCCLXXXV. & Concil. Namnetens. can. XI. vid. & Novell. VI. c. IV. Gratian. c. praecipimus dist. XXXIV. c. illitteratos dist. XXXVI. c. poenitentes vel dist. LV. c. finali X. de temp. ordinand. can. III. Conc. Romani habiti tempore Hilarii Papae, & can. XV. Concil. Aurelianensis II. can II. Conc. Toletani habiti anno MCCCXXXIX. Sic in Concilio Senensi celebrato anno MCCCCLXXXV. art. II. cap. II. apud Dachier. in Spicil. tom. V. praecipitur Episcopis, quando sacros ordines celebrant, ut nullos admittant, *nisi sint vitae munditia & conversatione honesta, litteris sacris & divinis, mysteriisque ecclesiasticis convenienter instructi, probati & examinati.* Nam *si Laicis vix tolerabilis videatur inscitia, quanto magis in illis qui praesunt, excusatione digna est nec venia.* c. si in laicis dist. XXXVIII. cum *ignorantia*, (quae ut *cunctorum errorum mater* describitur in Epistola tertia Clementis: & cum *ignorantia scripturarum sit ignorantia Christi* juxta Hieronymum apud Gratian c. si juxta dist. XXXVIII.) *maxime in Sacerdotibus Dei, qui docendi officium in populis susceperunt, sit vitanda* secundum can. XXIV. Conc. Toletan. IV. apud Gratian. c. ignorantia dist. XXXVIII. vid. & cap. III. Capitular. Attonis Episc. apud Dachier. Spicil. tom. VIII. dum *si coecus coeco ducem praestet, ambo in foveam cadunt.* c. quae ipsis dist. XXXVIII. *Nullus igitur* juxta decretum can. VIII. Conc. Toletan. VIII. *ad sacra Dei mysteria tractanda veniat indoctus, aut ignorantiae tenebris caecutiens, sed solus is accedat, quem morum innocentia, & litterarum splendor reddunt illustrem.* Hinc laudatur *David Burgundus* Episcopus Trajectensis, qui cum esset vir doctus & audivisset inter tam multos, qui sacris initiabantur, paucissimos esse, qui litteras scirent, jussit in aula, in quam admittebantur examinandi, sibi poni cathedram, & singulis proposuit quaestiones pro gradus, quam petebant, dignitate, Hypodiaconis futuris leviores, Diaconis aliquanto difficiliores, Presbyteris Theologicas. Et cum ita trecentos examinasset, omnes submovit, exceptis tribus, uti narrat Erasmus, referente Matthaeo in not. ad Scriptor. rer. Amersfortens. pag. CCCXLV. Saepe tamen hoc Ecclesiae praeceptum neglectum invenimus, & varios legimus Episcopos electos, non tantum indoctos, sed & litteras vix scientes, de quibus vid. Ziegler. lib. II. de Episcop. c. IV. §. XLVIII. & seqq. & cap. IX. §. X. de Diaconis. Imo non tantum indocti & illitterati Episcopi extiterunt, sed &, quod mirandum, ipsa Constantinopolis, caput Ecclesiae Graecae, saepe Patriarchas habuit, litterarum Graecarum plane rudes, ut *Josephum* vid. Niceph. Gregor. lib. IV. Hist. VIII. & *Johannem* Id. lib. VI. cap. VI. Sic *Nipho* dicitur non fere, sed omnino litterarum Graecarum, imo etiam sacrarum, plane ignarus, imo qui nec sua manu litterarum monumenta pingere sciret. Id. VII. IX. Sic *Gerasimus* Patriarcha Graecas litteras ne extremo quidem digito adtigisse dicitur ab eodem lib. VIII. II. ubi addit rationes, quare tales plerumque ab Imperatoribus promoverentur, ut *scilicet ita Imperatoribus dicto audientes essent, tanquam mancipia, & nulla re ipsis refragarentur.* Sic quoque *Esaias* adeo imperitus dicitur, ut ne prima quidem litterarum elementa perfecte posset conjungere. Niceph. Greg. VIII. XII. Sic *Eustatius* Patriarcha describitur, neque erudi-

 rus,

Judicum XI. Heres in Domo patris nostri esse non poteris, quia de adultera matre natus es.

feruntur, quom Menelaus templi aerarium evertit, quum Jason sacerdotia adaucto aere occupat, quum Symon denique Episcopatus aucupatur? Et quidem eo temeritatis res perducta est, ut merito cum Propheta dixerim, adulteriis jam non modo terram, sed & repletam, proh dolor! esse matrem Ecclesiam. Vere etenim cum [1] Jepthae in domo Ecclesiae nunc illegitimi contra fasque nefasque sunt in hereditate Domini successores, quos mater adultera, id est Praelatus ac Princeps, vel ambitione vel sanguine, vel Symonia corruptus, rejectis filiis Dei, hoc est, literatis & sanctitate conspicuis, ad omnem introducit, non merito, sed pretio, non jure, sed virtute, Ecclesiastici ordinis dignitatem. AURELIUS. Assentior tibi, o Delie, & plantis manibusque in tuam facile pertrahor sententiam. Sed nescio, ut verum fatear, utrum horum majorem Ecclesiae adducat perniciem, illudne quod carnis, an hoc quod spiritus est, adulterium. APOLLO. Aequo jure parique lege a Patribus cautum esse memineris, ne utriusque genus adulterii ad Ecclesiasticas provehatur dignitates: testis est Bonifa-

tus, neque in rebus gerendis versatus, sed homo simplex, otio ac potius angulo aptior. Zonar. XVIII. XXI. & *Nicetas*, qui vix legere poterat. Zonar. XV. VIII. aliique. Verum non tantum Constantinopoli, sed & Romae saepe sacrarum litterarum & omnis religionis imperitos, summi Pontificatus dignitatem obtinuisse dicit Joh. Sturmius in Epistola scripta Cardinalibus & Praelatis a Paulo III. ad emendandam Ecclesiam delectis, edita anno MDXXXVIII. & non diffitetur Alfonsus de Castro ipse Pontificius lib. I. adverf. Haeref. cap. IV. notante Joh. Henric. a Seelen. in oratione de Praecocibus eruditis pag. XX. Hinc non mirum, quod Papae postea electiones Episcoporum illitteratorum confirmarint, si defectum scientiae vita sancta suppleret, uti videre possumus ex Epistola Clementis IV. Papae, quam exhibet Martene tom. II. Anecdotor. pag. CCCC.

1 *Jepthae in domo Ecclesiae.*] Episcopi enim, antequam aliquem ad sacros ordines admitterent, non tantum in ejus mores, vitam, aetatem & doctrinam, sed & in ejus natales inquirere debebant. Justis enim nuptiis procreati esse debebant, qui Ecclesiae se consecrare volebant. vid. c. consuluit X. de servis non ordin. Spurios enim non admittendos, nisi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter vivant, decrevit Concilium Pictaviense vid. can. ut filii X. de filiis Presbyter. Et juxta decretum Gregorii IX. & Innocentii III. non admittendi nisi dispensatione Apostolica c. nimis in tua X. ibid. c. innotuit X. de Election. Non tamen ab initio Ecclesiae hoc praeceptum locum habuit, & Hieronymus aliter sensisse videtur, vid. c. Dominus dist. LVI. Et merito, quoniam tale praeceptum neque Christus, neque Apostoli nobis reliquerunt. Et nihil de his statutum ante Concilium Meldense, habitum anno DCCCLXV. testatur Martene lib. I. c. VIII. art. II. §. XX. de Antiq. Eccles. ritib. Observati autem hujus praecepti a Rege Franciae, & neglecti ab ipso Papa Romano, exemplum legimus in Chronico S. Petri Vivi apud Dachier. tom. II. Spicileg. pag. DCCXXXV. ubi refertur, quod *Hugo Capetus* Rex Franciae, congregata Synodo Rhemis Arnulphum Archiepiscopum Rhemensem, filium Ludovici transmarini Regis Galliae spurium, deponere curaverit, quia ex concubina natus erat, & fecerit ordinari in ejus locum *Gerbertum*. Papa autem Romanus hoc aegre ferens, jussit Episcopos Galliae aliam Synodum celebrare Rhemis, mandans illis, ut *Arnulphum* reponerent, & *Gerbertum* deponerent: quod quoque factum. Et plura talia exempla, ut & Episcoporum & Pontificum spuriorum adducere possemus. Plura vide apud Duaren. lib. IV. de Sacr. Eccles. Minist. cap. V. & Ziegler. lib. II. de Episcop. cap. IV. §. XI.

Sacrique

Bonifacius Martyr, Episcopus Ultrajectensis, qui ejusmodi prolem Anglorum Regi ingenue profitetur, neque in praelio fortem, neque in fide stabilem, neque optimo maximoque Deo gratam fore, sed semper ad deteriora vergere, *malique corvi malum semper ovum nasci.* Verum illis, quibus morum probitas suffragatur, parentum iniquitas obesse non debet; nam si vitae honestas & religio eos commendabiles fecerit, non sacerdotes modo, verum etiam omni jure summi sacerdotes fieri possunt. Porro his, qui adulterantur spiritu, & inique suas permutant Ecclesias, ut aliam pinguiore proventu, aut commodiore quaestu, accipiant. aut certe qui minus idoneos, prece sive pretio, favore aut sanguine, non sine ambitionis nota corrupti, ad Ecclesiastica promovent beneficia, nulla citra restitutionem conceditur purgatio; sed hi suis adulterinis foetibus, non secus ac aper de sylva, omnem devastant Ecclesiam. AURELIUS. Vere consonant veritati, o Delphice, verba tua, [1] sacrique canones eis gnaviter astipulan-

Dist. LVI. cap. 10. si gens Anglorum.

Adagium.

1 *Sacrique canones.*] Vetitum enim legitur Concilio Nicaeno, de minore Ecclesia ad majorem transire. vid. can. xv. Conc. Nicaeni. & can. xx. Conc. Chalcedon. decretum, *non licere Clericos in suis Ecclesiis constitutos in alterius civitatis Ecclesiis ordinari, sed debere acquiescere in ea, in qua ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias civitates perdiderunt, & ex necessitate ad alias Ecclesias migraverunt.* vid. & can. III. Conc. Antiocheni. can. XIII. Conc. Arelatens. II. can. IV. Conc. Arelat. IV. can. XI. Conc. Turonici I. can. XII. Conc. Vernensis. Ecclesia enim considerabatur ut sponsa, quam relinquere non licebat. v. H. V. R. adnotat. ad tom. I. Batav. Sacr. pag. CCXIX. Deinde finis hujus prohibitionis praecipuus fuit, ut avaritia & ambitio Episcoporum coerceretur, & ne vexationis, aut aliarum calamitatum tempore, Ecclesia suo pastore destitueretur. vid. Ziegler. lib. II. de Episcop. cap. XII. & Bingham Origin. Ecclesiast. lib. VI. cap. IV. §. VI. Verum hoc Ecclesiae praeceptum non semper observatum fuit, & Platina in vita Sylvestri Papae, suo tempore negligi & amplius non observari conqueritur: *cum siccis faucibus, muneribus, largitione, uberiores Episcopatus, omissis primis, omnes quaerant & efflagitent.* Et notatur hinc *Eusebius* a Theodorito lib. I. Hist. Eccl. cap. XIX. qui relicta Nicomedia, cujus Episcopus erat, sedem Constantinopolitanam obtinuit. Pluribus tamen exemplis Socrates lib. VII. Hist. Eccles. cap. XXXV. agens de electione *Procli* probare adnititur minime prohibitum fuisse, quin a sede ad sedem quis transferri potuerit, modo necessaria Ecclesiae utilitas hoc postulet; temerarie enim non licebat. *Nestorio* enim, celebri illo haeretico, de sede sua pulso, multi *Proclum* Cyzicenum Episcopum ipsi in sede Constantinopolitana sufficere volebant. Qui autem ipsi adversabantur, praetexebant dictum illum Ecclesiasticum canonem Concilii Nicaeni, quo prohibetur Episcopus in aliam civitatem transferri. Itaque *Maximino* electo, & cum duos annos Ecclesiam administrasset, mortuo, & *Caelestino* Papa Romano consulto, *Proclus* a Theodosio juniore Imp. in sedem est constitutus. *Caelestinus* enim nihil obstare, quominus qui alterius urbis aut sit, aut saltem designatus sit Episcopus, in aliam transferatur urbem, rescripserat. vid. & Niceph. Callist. XIV. cap. XXXVII. ubi quoque eodem modo, ut Socrates, capite sequenti variis exemplis ostendit translationes Episcoporum de sede in aliam sedem factas, & ita consuetudinem antiquitus in Ecclesiis obtinuisse. Hinc distinguunt Canonistae inter *translationem*, *transitionem*, & *invasionem*, & separandam esse *transitionem* vel *invasionem*, quam quis facit sua sponte sine ulla caussae cognitione, a *translatione*, qua quis superiorum auctoritate etiam invitus trans-

Apostrophat ad Christum Dominum ex verbis Bernardi ad Eugenium.

pulantur. O Pater optime maxime, omnipotens Deus! quot sunt hodie Ecclesiarum Praelati, qui nullum in suis fere admittunt collegiis, nisi carnali quodam favore aut munere prius allecti; dum suis duntaxat amicis, & quidem insufficientibus, ac propemodum idiotis, hodie totam replent Christi Ecclesiam. Haec Hieremias longe ante praeviderat, ubi dicit, *In Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium*. Cui astipulatur Esaias dicens: *Accedite huc filii auguratricis, semen adulteri, & fornicariae. Post ostium & retro postem posuisti memoriale tuum, dilatasti cubile tuum, & suscepisti adulterum* Symoniaca pravitate, infectionis carnalitate, & affectionis affinitate. Quamobrem *propter iniquitatem avaritiae tuae iratus sum, & praecutiam te, dicit Dominus*. Sed quam, mi Apollo, haec fornicaria & adulterina promotio sortiatur in fine ignominiam, Ezechiel ostendit, dicens: *Vestimentis suis denudabitur. Nasus ei & aures praecidentur, & inimicis suis dabitur ad illudendum. Scelus*, inquit, *tuum & fornicationes tuae fecerunt hoc tibi.* Nam vere hujusmodi viris, indigne & fraudulenter Ecclesiam intrantibus, *nasus* divino judicio praescinditur, quom virtus devotionis, qua bonus odor sumus Deo & hominibus, procul dubio in illis ad Ecclesiae perniciem evanescit. *Aures* eis profecto auferuntur, quando neque divinis, neque humanis traditionibus auditum praebent. Quare haud immerito in die judicii, propter hujusmodi scelera & fornicationes avaritiae & ambitionis suae, traduntur Daemonibus, inimicis humani generis, ad illudendum in perpetuum. APOLLO. Ex Ezechiele Propheta, mi Aureli, memoriam mihi non mediocriter confricasti; nam si velim cum eodem Propheta mihi parietem perfodere, inveniam procul dubio adhominationes, majoresne an minores superioribus dicam, nescio? abhominationes tamen in Dei Ecclesia pessimas. AURELIUS. Obsecro te, optimi maximique Jovis proles Apollo, ne quicquam eorum me celare velis, quae ipse vidisti, aut animo tu conceperis tuo; fieri enim poterit, ut noster dolor, qui nos de pessundato ubique statu Ecclesiae haud minime contristat, familiari confabulatione alleniatur, vel tantisper, donec noster Hadrianus super omnibus Ecclesiasticorum abhominationibus, & Principum insolen-

Hieremiae XXIII.

Esaiae LVII.

Esaiae eodem cap.

Ezechiel cap. XVI.

Idem cap. XXIII.

transfertur, quae permittitur ex caussa utilitatis vel necessitatis. vid. Janus a Costa ad lib. I. Decretal. tit. VII.

Fortius

insolentiis tempus accipiat, ut judicet orbem terrarum in justitia & aequitate. Scio etenim, vere scio, qui hominem intus & in cute novi, electum Domini Hadrianum nostratem eum profecto esse virum, qui sese Regibus Johannem, Aegyptiis Moysen, fornicantibus Phineam, Heliam idololatris, Helizeum avaris, mentientibus Petrum, blasphemantibus Paulum, ac tandem inique negociantibus in domo Domini Christum non verebitur exhibere. At tu interim nobis potissimum enarrare pergito, quae aut mente concepisti, aut quae prophetali oculo perspexisti. Nihil enim mihi unquam expectatius recitari potest, quam illud ad unum omne, quo Ecclesiae matris nostrae gloria crescat, & quo maculae ejus rugaeque pedetentim extricentur. APOLLO. Tibi itaque, mi Aureli, qui tuum utique studium in meam prorsus accepi tutelam, revelabo ingenue, quas in Ecclesia vidi abhominationes, quibus tamen noster, (ut speramus) confestim occurret Hadrianus, easque paulatim (quae sua summa auctoritas est,) eradicare curabit. AURELIUS. Bene, optime, faxint Superi ut ita fiat. Neque enim dubitare permittor, quin omnipotens Deus eum procul dubio elegerit, quasi cornu salutis nobis, ad succurrendum sponsae suae in tempore malo. Videre enim mihi videor, eum facile nostrum esse Hadrianum, qui *consolabitur nos ab operibus manuum nostrarum; & ab omni angustia cordis nostri in terra, cui maledixit Dominus.* APOLLO. Recte allegasti. Quidni maledicta sit terra, in qua tot maledicta per ipsum praesertim Clerum ne dum rusticum perpetrantur. Quem enim modo mihi dabis de numero Pastorum, qui jam non plus invigilet subditorum suorum evacuandis marsupiis, quam vitiis extirpandis? De lacte ovium se ipsos impinguant, & de velleribus earum latera sua calefaciunt, vinum bibunt in phialis, & epulantur quotidie splendide, nihilque illis curae est de ovium dispersione, nec conpatiuntur se contritioni earum. Atque utinam vel his contenti malis, non amplius adhuc in Dominum ipsum desaevirent, ad offendendum oculos majestatis ejus. Quid enim? abhominandum idolum desolationis posuerunt in templo Domini sui, Symoniacam dico pravitatem. Haec est, Aureli, bestia illa saevissima, quae ab initio quidem nascentis Ecclesiae in illam moliebatur irrumpere, eamque turpiter corrumpere, sed mox tota Apostolorum virtute repressa est, ac deinceps sanctorum Patrum calcibus [1] fortiter eliminata. At vero nunc per Pastores &

Perfectissima laus cujusvis Prae & maximi summi & Apostolici praesulis Hadriani nostri.

Gen. v. de Noe.

Praelatos ita eſt haec peſtis introducta, ne dicam adeo glorioſe inthroniſata, ut in omnibus pene Eccleſiis locum obtineat principalem. Quid enim obſecro eſt, quod modo in Eccleſia miniſtratur, quod continuo (ne mentiar) auro vel argento non comparetur. AURELIUS. Nihil, Apollo, extra nudam veritatem nobis recitaſti. Atque utinam vel moderatum exigerent pretium, eſſetque tolerabile malum, gementesque nunc taceremus. Nunc enim nummorum numeroſitate, quos non ſolum exigunt, ſed etiam prope modum extorquere videntur, ita omnes ubique terrentur & gravantur, ut ne pauperes quidem ſacrae aedes posſint, ſed nec divites eos dare velint. Quare altaria tum in pleriſque locis, tum in noſtro Branduſio remanent inconſecrata, quum non habent, unde huic inſatiabili beſtiae ſatisfaciant. Proh pudor! Eccleſiarum quoque ac beneficiorum ſive praebendarum, (quovis ea appellentur nomine) eruptiones, & venditiones, jam hone-

1 *Fortiter eliminata &c.*] Cum enim juxta Iſidorum Peluſiot. lib. I. Epiſt. XXX. *Manuum impoſitiones auro committere non liceat*, & juxta decretum Pelagii Papae, nullus ambitione vel pretio ad quosvis ſacros ordines admittendus ſit. Platina in vita Pelagii I. vid. & can. XXIV. Concil. Vernenſis. & *nefas ſit, ſacerdotem cupiditatis venalitate corrumpi*, juxta can. III. Conc. Aurelianenſis ſecundi; hinc nemini permiſſum erat Eccleſiaſticam dignitatem pecunia & donis ſibi comparare; imo ſi poſtea conſtaret aliquem hanc dignitatem mediantibus nummis nactum fuiſſe, deponendus erat, & omnino a communione abſcindendus, quemadmodum Simon magus a Petro juxta can. XXVIII. Apoſtol. L. XLII. §. IX. C. de Episc. & Cler. Novell. VI. c. I. & CXXIII. c. XVI. can. IV. Conc. Aurelian. ſecundi. can. III. Conc. Bracarenſ. ſecundi. can. XVI. Concil. Cabilonenſis. Sic jam Caliſtus Papa conſtituiſſe dicitur, quod *nullus ordines emat vel vendat, & quod irregularis ſit, qui in his reus fuerit*. vid. Compilat. Chronologic. ad annum CCXXI. Ut & ejus ſucceſſor Urbanus Papa. Ibid. ad ann. CCXXVI. ut & Fabianus Papa. Ibid. ad ann. CCLIV. & Fabianus ſecundus. Ibid. ad ann. DXXVII. Et Symoniacus non tantum communione privandus, ſed cum iis, qui eum ordinaverant, propriorum bonorum amiſſione damnandus erat, juxta can. IV. Conc. Toletani ſexti. vid. & L. XXXI. C. de Episc. & Cler. Et ſecundum decretum Gregorii VII. tam emptor quam vendiror, ſub ſententia S. Petri cum Simone damnandus, uti refert Marian. Schotus ad ann. MLXXIV. & Bertold. Conſtantienſ. Append. ad Marian. Schot. ad ann. MLXXV. Neque refert, an quis pecuniam, aut aliud pro pecunia paciſcatur. c. quam pio I. q. II. c. ult. X. de pactis. Et ſi quis mediator datis vel expenſis exſtiterit, *ſi Clericus fuerit, proprio gradu decedat, ſi Monachus aut laicus, anathematizetur*, ſecundum can. II. Concil. Chalcédon. & can. VII. Conc. Nannetens. Et contra Symoniacos celebratum Concilium Conſtantinopolitanum ſub Leone anno CCCCLIX. ubi decreta Concilii Chalcedonenſis contra Symoniacos confirmata ſunt. Videndus omnino Atto Vercellenſis Episcopus part. II. de preſſuris Eccleſiaſticis apud Dachier. in Spicilegio tom. VIII. ubi varia Patrum loca, quibus Symonia interdicitur, adducit, & Regino lib. I. de Eccleſ. diſcipl. cap. CCXXXIII. & ſeqq. & Apologeticum ſupra decreta Gregorii VII. in tom. X. Concil. General. Labbaei pag. CCCXIV. Plura de hoc crimine adnotavit Zieglerus lib. II. de Episcop. cap. V. & H. V. R. in not. ad Heuſſ. tom. V. Hiſt. Eccleſ. pag. LXXXIV. & de poena conſtituta in Symoniacos Duaren. lib. VI. de Sacr. Eccleſ. Miniſtr. cap. II. & Rittershuſ. ad Novell. part. I. cap. VII. nu: XXX. & ſeqq. De ipſis vero Papis Romanis Symoniacis, qui beneficia plus licitanti addixerunt, quaedam obſervavit Mathaeus de Reb. Ultrajectin. pag. CXXIV.

In

honestiore titulo *permutationes* vocitant: in quo nimirum termino de facili Dominum ipsum paralogisare possent, nisi etiam ipsae virtutes vocabulorum ac verborum significationes didicissent. Quid mirum, si ibi languida sunt membra, ubi tam morbida sunt capita? Si tam duram a Christo accipit sententiam, qui scandalizat unum de pusillis, qui in eum credunt, ut suspendatur mola in collo ejus, & demergatur in profundum maris, quale putas judicium suscipient isti, qui tam enormiter totam scandalisant Ecclesiam, imo qui & totum exulcerant mundum. O genus electum! O regale sacerdotium! O gens sancta & populus acquisitionis! quis, rogo, inter illa tua primordia tam pura tamque divina, atque inter splendidum caelestibusque affluentem charismatibus ortum Christianae relligionis credere posset talia aliquando in te repertum iri, aut certe te in tam abjecta aliquando ruiturum metuere? Nescio, si ausim dicere, veritatem tamen dicam, qui absque dubio in Ecclesia deberent omni jure esse optimi, heus! facti sunt hodie pessimi, & (quod deflendum est) sine ullo rubore, praevaricantur, nomenque Dei intolerabilius inhonoratur, imo & blasphematur, ab his potissimum, qui se Christianos esse putant, quam ab his qui Christianos impugnant. Sed tu, ô Delie, (ad te nunc revertor) finito, precor, me tantisper requiescere, donec sacrificandi hora mihi adveniat, & tu ad me, si placet, cras solito more redire festina. Vale.

*Explicit liber secundus Apocalypsis super miserabili statu Ecclesiae, ac de fiducia & spe ejus in melius reparandae per nostrum Hadrianum summum Pontificem.*

INCIPIT

# INCIPIT

## LIBER TERTIUS,

### RECITANS ABHOMINATIONES ET INSOLENTIAS

# ECCLESIASTICORUM.

### AURELIUS INTRODUCENS ET CONTINUANS MATERIAM, DICIT.

Itaque tertia jam nocte concubia, rediit ad me Divus Apollo, & reliquum narrationis suae textum repetens de Cleri excessibus, per nostrum (ut speratur) summum Pontificem Hadrianum castigandis, ita inquit: APOLLO. Effosso igitur, ô Aureli, cum Ezechiele templi pariete, apparuit mihi ostium unum, quod e vestigio ingressus, circumspexi undique attonitus, & ecce omnis indidem similitudo visebatur reptilium & animalium, & universa idola domus Israhel depicta in pariete in circuitu per totum. AURELIUS. Et quid, Dii boni! haec ipsa portenti habent, obsecro, mihi edisseras universa. APOLLO. Abhominationes sunt, quae quotidie in Ecclesia fieri videmus. Proh nefas! Clerum quippe reptilia exprimunt, quae [1] in vestium superflua & indecen-

Ezechiel cap. VIII.

1 *In vestium superflua.*] Uti tractu temporis varii ritus ceremoniaeque in Ecclesiam introductae sunt, quae neque Christum neque Apostolos, verae Ecclesiae conditores, auctores habent vel agnoscunt, ita quoque, quamvis antiquitus Clericorum vestes a caeterorum hominum vestitu non diversae fuerint, postea peculiares vestes ab iis adhibitas invenimus. Olim enim non vestibus, sed solis moribus distinctos fuisse, ex Sulpitio Severo probat Zieglerus lib. III. de Episcop. cap. XXXII. §. VI. & VII. & lib. IV. VII. §. VI. & agnoscit du Pin in Bibliotheca nova tom. I. pag. CCCLII. Imo illam vestium distinctionem, quae postea observata est, descendere ex prava opinione, qua regimen & ritus Ecclesiae novi foederis repetierint ex templo Judaico, cum ex Synagoga repetenda sint, ostendit Celeberrimus Vitringa de Synag. veter. in prolegom. cap. V. & nihil eorum ab Apostolis praescriptum aut praeceptum fuisse, imo veram disciplinam Christianam ejusmodi crepundia respuisse, cum sufficiat, ut habitus corporis Ministri Euangelii honestus sit & verecundus, Ibid. §. III. Et Apostolos quotidianis & communibus vestibus indutos fuisse, quando sacra faciebant, docet H. V. R. in not. ad Heuss. tom. V. Hist. Eccles. p. XLIX. Imo ipse Sirmondus in notis ad Epistolam I. Caelestini Papae, fatetur Clericos quas in vita communi usurpabant vestes, iisdem in sacris fuisse usos, licet eas mundiores & optimas fuisse contendit. Et sunt viri docti, etsi Romanensium superstitionibus minime addicti, inter quos Zieglerus de Diacon. cap. XIII. §. III. qui putant non omnino hoc Ecclesiae institutum contemnendum, sed ipsam conditionem, & Ecclesiasticarum personarum statum suadere. ut distinctus a reliquis sit earum habitus: quod argumentum Theolo-

decenti varietate, instar locustarum, penulisque discoloribus & calceis fuco illitis deambulans, aut certe reptilium more humi repens, ac terrenis inhians parvulos Ecclesiae scandalisat. Et ecce altera animalium abhominatio: tunicas namque Ecclesiastici modo sibi deferunt pellibus subductas sylvaticis, bissoque vestiti & polimito comatuli scitis vultibus, muriumque stercora redolentes (muscum vocitant) magis sese Veneris amasios & Adonides, quam Mariae Virginis amatores ostentant. Et quod prae humana verecundia vix ausim dicere, tam enormi fissura, in anteriori parte vestes apertas habent, ut Priapeae supellectilis forma species & imago occursantibus facile pateat. AURELIUS. Adde, obsecro, & reliqua Ecclesiasticorum vitia & abhominationes, ut ubi ad plenum noster Hadrianus potissimum ea rescierit, ocyus tollere adnitatur omnia. Nasus etenim ejus, (si hominem recte novi) sicut turris Libani, quae in extremo terrae promissionis posita est, tanquam specula respiciens contra Damascum. Tanta quippe animi discretione iste a Domino ditatus est, quam nasus exprimit, ut mala omnia longe ante praesentiat & odoretur, quam fiant, & sese contra Damascum, quae Hebraeis semper infesta fuit, (homines dico iniquos & Ecclesiae hostes) acriter praemunire acceleret. Praeterea in dijudicandis rerum caussis, aut rebus gerendis, medium hac virtute, sc. discretione, retinere didicit, memor Sapientis, qui dicit. *Noli nimium esse justus,*

Theologis discutiendum relinquimus. Varia ergo posterioribus temporibus vestimentorum genera, de quibus vid. Durantus de ritib. Eccles. Cathol. lib. I. cap. IX. cuique Clericorum ordini propria, inventa fuerunt, quorum maxima cura habita fuit. Unde laudatur Carolus Magnus, qui in Basilica, quam Aquisgrani exstruxit, tantam vestimentorum sacerdotalium copiam procuravit, ut in sacrificiis celebrandis, ne janitoribus quidem, qui ultimi Ecclesiastici ordinis sunt, privato habitu ministrare necesse fuerit, uti refert Eginhartus in vita Caroli M. cap. XXVI. & Annal. Saxo ad ann. DCCCXI. Cum autem postea ditescente Ecclesia, pretiosissimis vestibus incederent Clerici, variis Conciliorum canonibus luxuria omnis circa vestes clericales prohibita legitur. Sic Ludovicus Pius Imperator Synodum Aquisgranensem anno DCCCXXX. celebrasse dicitur, in qua decretum: *ne Episcopi & Clerici cujuscumque gradus pretiosas & exquisitas vestes, utpote sericas & coccinei coloris, aut bracteatas, neve in digitis gemmas, nisi dum Praesules sacrificant, in cingulis & calceis crepidis aurum & argentum ferrent.* referentibus Platina & Ciacconio in Gregor. IV. ubi porro Platina maxime conqueritur hoc praeceptum piissimi Imperatoris suo tempore amplius non observari, cum in omnem luxum & libidinem se effudisset Ecclesiasticus ordo. Idem decretum legitur in can. XVI. Conc. Nicaeni II. & ne purpureis vestibus induantur can. I. Conc. Narbonensis & can. II. Conc. Rhemensis, celebrati anno MCXXXI. praeceptum: *Quod in statu mentis vel habitu corporis Deo & hominibus placere studeant, & nec in superfluitate, aut colore vestium intuentium, quorum forma & exemplum esse debent, offendant adspectum, sed quod eorum deceat sanctitatem.* Plura vide apud Ziegler. lib. IV. de Episcop. cap. VII. & Bingham Origin. Ecclesiast. lib. VI. cap. IV. §. XVIII. XIX. & XX.

N 2 Comam

Ecclesiast. VII.

*stus*, & Comici consulentis, *ne quid nimis*; *qui* enim *nimis cupit: parum stringit*, ut in proverbio est, & partiendum esse onus, [1] sub quo in via deficias. Nam quicquid boni cum discretione feceris, virtus est; sed quidquid citra eam gesseris, vitium est. Cunctis itaque virtutibus discretio modum imponit & mensuram, ne vel nimia remissio vitia nutriat, vel impia districtio parricida virtutum fiat. Si enim adsit timor, & non discretio, transit in desperationem; si dolor, in amaritudinem; si amor, in adulationem; si spes, in praesumptionem; si laetitia, in dissolutionem; si ira, in furorem commutatur. Discretio igitur, qua hic noster Hadrianus quam maxime saluberrimam animi sui semper tenuit moderationem, condimentum est & sal omnium virtutum, doctrix morum, affectuum gubernatrix. *Tolle hanc*, & continuo virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, quam in salutem. Sed heus! tu perge, Apollo, & recita nobis abhominanda quae vidisti omnia. APOLLO. Paucis tecum agam, Aureli, ne aut nimio sermone, aut nefando horrore eorum quae vidi, te obruam. Quid igitur? Hi fere qui [2] in Domini sortem & haereditatem juxta nomen suum assumpti sunt, sese a Domino morum deformitate nimis elongant, & quem gerunt ordinem turpiter ipsi confundunt. Habitu quippe milites, & quaestu semet ipsos quidem Clericos, sed (proh Deum immortalem) actu neutrum exhibent. Neque enim, (etsi lacernati baltheoque & gladiis praecincti) pugnant ut milites, neque ut Clerici Euangelisant. [3] Comam nutriunt & equos, codices abjiciunt & anulis digitos gravare muliebri lascivia non verentur. [4] Tesseris ludere, talos arripere, herculemque jactare basili-

Cleros graece, sors dicitur latine. Dist. XXI. & causa XII. quaest. I. cap. 7.

1 *Sub quo.*] Forte legendum, *ne sub eo.*

2 *In Domini sortem,*] Vid. Ratramnus lib. IV. contra Graecor. opposit. c. VI. apud Dachier. tom. II. Spicilegi & H. V. R. in not. ad Heussen. tom. II. Antiq. Eccles. p. CCXCIV.

3 *Comam nutriunt.*] De tonsura veterum ab ea, quae in Romanensi Ecclesia hodie observatur, qua capitis verticem ex ritu quodam mystico radunt, omnino diversa, videndus Ecclesiasticarum antiquitatum diligentissimus investigator Binghamus lib. VI. Origin. Ecclesiast. cap. IV. §. XVI. ubi ostendit moris fuisse capita tondere & capillos mediocriter resecare, non propter aliquod hujus rei mysterium, sed decentiae, ac gravitatis caussa, ut nec luxuriosorum hominum mores adfectarent, qui longis capillis superbiebant, nec contemptui ac criminationi propter calvitii indecentiam ipsi se obnoxios redderent; sed venerabilem quamdam modestiam vultu habituque suo exprimerent.

4 *Tesseris ludere.*] Clericis non licebat aleae, aut aliis ludis indulgere. can. XLI. Apostol. can. L. Conc. Quinisexti. can. III. Synodi Augustanae. can. XLVIII. Conc. Albiensis. can. VIII. Conc. Budens. & art. II. cap. VIII. Conc. Senonensis, celebrati anno MCCCLXXXV. *Quia*, ut dicitur can. XVIII. Conc. Avenionensis, habiti anno MDV. apud Martene tom. IV. Anecdot. pag. CCCLXXXIX. *in ludo alearum de levi committuntur scandala, rancores, perjuria, nec non blasphemationes inhonestae contra Deum,*

basilicum, & senionem, item commessari, symposia agere, & in [1] longam noctem compotare, pro summa ducunt gloria. Quin potius eos videas Principum atria magis quam atria Domini frequentare. Imo jam [2] Mercatores, [3] Cauponarii, [4] Syndici & mangones

*Deum, & omnes Sanctos, & alia diversa nefandissima crimina.* Unde aleam *mendaciorum & perjuriorum matrem* vocat Joann. Saresberiensis Polycrat. lib. I. cap. V. *quae ex aliena concupiscentia sua prodigit, & nullam habens patrimonii reverentiam, cum illud effuderit, sensim in furta delabitur & rapinas.* Et alearum ludus ita Clericis prohibitus & interdictus erat, ut non valeret contraria consuetudo, etiamsi luderetur respectu cujusdam voluptatis. C. Clerici Extrav. de vita & honest. cler. Nisi sint infirmi & recreationis gratia ludant. Kormannus de Jure virginit. cap. XV. vid. Ziegler. de Episc. IV. XVI. & de Diacon. cap. IV. §. XV. & XIII. §. LXXXIII.

1 *In longam noctem compotare.*] Cum ebrietas sit omnium vitiorum fomes ac nutrix, &, ut dicitur in can. XV. Conc. Lateranens. IV. sub Innocent. III. & can. LXXXV. Synod. Bajocens. *mentis inducat exilium & libidinis provocet incentivum*, & uti Crodogang. Episc. Metens. in Regul. Canon. c. LXI. *Sicut ignis facile incendit stupas & leviores paleas, ita ebrietas corrumpat animam & dejiciat eam in grande peccatum.* Hinc multis Conciliorum canonibus Clericis ebrietas vetita erat. vid. Ziegler. IV. de Episcop. V. §. IV. Debebant enim sobriam & honestam vitam ducere, & ab ebrietate quae ad multa & pleraque fere vitia viam sternit, sibi cavere, & ut dicitur in can. LVI. Concil. Trevirens. habiti anno MCCCX. apud Martene tom. V. Anecdot. pag. CCLII. *A crupula & ebrietate, a plausibus, risibus, cachinnis insolitis ac inanibus fabulis, jocis & solatiis, ac detractionibus de verbis otiosis, atque superfluis, & a rixis, & a contentionibus omnino studeant evitare.*

2 *Mercatores.*] Quia vero Clerici perpetuo insistere debebant divinis officiis, hinc ipsis prohibitum dationes pecuniarum, aut rerum officinam suscipere. Novell. VI. cap. IV. Emendi enim vilius, vel vendendi carius studio uti non licebat. can. II. Conc. Tarraconens. Neque foenus exercere. c. sicut non suo dist. XLVI. can. XIII. Conc. Carthagen. I. & Leo Epist. I. in lib. III. can. poenitent. cap. XLVII. Neque usuras, quas & Laicis exercere interdixerat Leo lib. I. coll. Antiq. canon. poenit. cap. ult. exigere a debitoribus, can. XLIV. Apost. can. Episcopus & seqq. dist. XLVII. can. XX. Conc. Illiberit. can. XVII. Conc. Nicaeni. can. XII. Conc. Arelatens. I. can. XIII. Conc. Turonici I. can. X. Conc. Quinisexti. can. XXVI. Conc. Aurelian. III. can. LXIX. Conc. Vormat. can. X. Conc. Moguntiaci. *Cum mansionem coelestem non possidebit, qui pecuniam suam dedit ad usuram* juxta lib. IX. canon. Hibernens. apud Martene tom. IV. Anecdot. pag. III. Neque ullam negotiationem exercere ipsis concessum erat. lib. II. Novell. Theodos. XII. Unde Cyprianus in Sermone de lapsis reprehendit Episcopos, qui *divina procuratione contempta, Procuratores rerum secularium fiebant, & derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quaestuosae nundinas aucupabantur.* Et cum nemo implicitus negotiis secularibus in Clerum recipi posset, nisi post deposita universa & reddita ratiocinia, juxta can. VIII. Conc. Carth. I. can. unic. X. de obligatis ad ratiocinia non ordinandis. Hinc non debebant esse conductores, neque Procuratores, vel ullo turpi vel inhonesto negotio victum quaerere. Novell. CXXIII. c. VI. can. XV. Conc. Carthag. III. can. XVI. Conc. Vernens. c. credo c. placuit. XXI. q. III. can. LXVII. Conc. Vormatiens. vid. tit. X. ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant. Unde Hieronymus Epist. II. ad Nepotianum jam dixerat: *Negotiatorem Clericum & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.* vid. Gothofred. ad L. VIII. C. de Episc. Eccl. & Cler. vid. & S. Maximi Episc. Taurin. Homilia XI. apud Mabillon in Mus. Italic. tom. I. part. II. p. XXIX. Ut autem probarent Canonistae mercaturam Clericis illicitam, neque ipsis permissum se immiscere rebus secularibus, abutuntur dicto Pauli II ad Tim. II: IV. *Nemo militans se implicet negotiis secularibus.* & Christi ubi suos monet, *ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis &c.* vid. Ziegler. de Episc. IV. c. XII. quibus accedit altera ratio, quam dedit Gelasius Papa Epist. IX. in lib. III. can. poenitent. cap. XLV. *quia Dominus noster negotiatores a templo verberatos flagellis expulit.* Quae tamen Sacrae scriptura loca male adducuntur, ut probent honestum artificium, mercaturam, & opificium, verbi divini ministris & Clericis

Clericis esse illicitum, cum ipsum Paulum Apostolum manuum suarum opificio victum sibi quaesivisse constet ex Act. Apost. XVIII: III. XX: XXXIV. I ad Cor. IV: XII. I ad Thessal. II: IX. II ad Thessal. III: VIII. & ipse Baronius fatetur non tantum Paulum, sed nec caeteros Apostolos opus manuum praetermisisse, ut & alios ad id faciendum hortatos fuisse, in Annal. Eccles. ad ann. Chr. LII. no. XVIII. & XIX. Neque semper & in omnibus Ecclesiis vetitum fuit Clericis manibus victum quaerere, sed e contrario can. LI. Conc. Carthag. IV. decretum invenitur. *Quod Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quaerat,* quod limitatur ibidem can. seqq. LII. *Clericus victum & vestimentum sibi artificiolo vel agricultura absque officii sui dun taxat detrimento praeparet.* & can. seqq. LIII. *Ut omnes Clerici, qui ad operandum validi sunt, & artificiola & litteras discant.* Idem decretum lib. IX. canon. Hibernens. apud Martene tom. IV. Ancedot. pag. II. Neque negotiandi libertatem Clericis ademerunt, sed paululum restrinxerunt Patres in concilio Illiberitano can. XVIII. *Et mercaturam quandam honestati conscriam* agnovit Imp. Constantinus in Leg. II. C. de Episc. & Cler. per quam si quid Clerici congesserunt, id in usum pauperum atque egentium ministrare oportere jubentur. Haec tamen tantum obtinuisse sub vexationibus Imperatorum Ethnicorum, qui Christianos donationum expertes volebant, contendit Mendoza lib. II. de confirmand. Conc. Illiber. cap. XXXVIII. cum victui necessaria deessent, ne coacta mendicitas foret opprobrio sacrae dignitatis; sed postea crescente religione, & eorum, qui Christo nomen dabant, numero, cum reditus ad Clericorum sustentationem quoque crescerent, omnem negotiationem Clericis interdictam, ibidem adnotat Mendoza. In quo tamen falli virum satis doctum constat ex variis in Codice Theodosiano legibus, latis cum jam vexationes cessarent, & Christiani Principes Imperio praefecti essent, in quibus non tantum negotiatio ipsis licita pronuntiatur, *cum certum sit,* uti dicunt Imperatores Constantius & Constans in Leg. X. C. Theod. de Episc. & Cler. *quaestus, quos ex negotiatione faciunt Clerici, pauperibus profuturos;* sed & immunitas ipsis negotiationem exercentibus conceditur. vid. Leg. VIII. X. XIV. & XXXVI. C. Theod. de Episc. Eccl. & Cler. Cujus immunitatis ratio fuit, quod cum divites ad Clericatum non adsumerentur, non adeo divitiis abundaverint Clerici, uti notat Gothofred. ad L. XI. C. Theod. de lustrali collatione. Quoniam enim ditiores, ut immunitatibus Clericorum gauderent, qui ab omnibus muneribus personalibus, tributis & vectigalibus immunes erant, facile se inter Clericos adscribi paterentur, hinc, ut non nisi fortuna tenues in Clerum reciperentur, constituit Constantinus. vid. L. III. VI. & XVII. C. Theod. de Episc. Eccl. & Cleric. & ibi Gothofr. videndus & Baluzius ad Salvian. lib. III. advers. avaritiam. Jan. a Costa ad lib. I. tit. III. cap. VIII. Decret. & du Pin Biblioth. nov. tom. II. p. XXXV. Notat vero Gothofredus ad L. X. C. Theod. de Episc. Eccl. & Cler. cum postea experientia contrarium docuisset, immunitati huic modum quemdam impositum fuisse. Hodierni autem Canonistae distinguendum putant, & negotiationem licitam pronuntiant, quando necessitatis caussa peragitur, scilicet si non habeant, unde alimenta capere possint. Bellarmin. lib. II. de Cleric. c. XLI. & XLII. Baron. annal. ad ann. LII. no. XV. & XVI. & ad ann. CCCXCVIII. no. LXX. videndus omnino Zieglerus de Diaconis XIII. §. XXIV. & seqq. Hanc autem distinctionem vanam, nullius utilitatis & fructus hodie esse constat ex Duareno, qui lib. VII. de Sacr. Eccl. min. cap. X. in fine dicit, hodie in Ecclesia Papali receptum esse, ut Clericus quamcunque negotiationem exerceat.

3 *Cauponarii.*] Ebrietatis, contentionum quoque & rixarum cum Laicis evitandarum gratia, ut dicitur in can. X. Conc. Londoniensis habiti anno MCC. prohibitum erat Clericis tabernas intrare, & in iis comedere. can. LIV. Apostol. can. XXIV. & LV. Conc. Laodiceni. can. XIX. Conc. Francofordiensis art. II. cap. VII. Conc. Senonensis. vid. c. non oportet & seqq. dist. XLIV. nisi in peregrinatione d. can. LIV. can. VII. Conc. African. can. II. Conc. Londoniensis celebrati ann. MCLXXV. can. XVI. Conc. Lateranens. IV. can. VIII. Conc. Budensis. can. III. Conc. Turonensis. can. II. Conc. Herbypolensis. can. XXXII. Synodi Bajocensis. Quod postea tamen limitatum can. I. Conc. Saltzburgensis II. habiti anno MCCCX. ubi cautum: *Quod Clerico tabernam intrare liceat ad honorandum quempiam amicum, dominum, aut quamcumque honorabilem personam, imo quod poena statuti ipsum non liget, si impraemeditate intret, oblitus constitutionis, seu ex quacunque necessaria vel utili caussa, non voluptuosa, ibique biberit vel comederit.* Rigidior certe fuit disciplina *Abytonis,* vel *Hattonis, Hettonis* vel *Haidonis,* ut ab aliis vocatur, Episcopi Basileensis, qui floruit initio seculi noni, qui illis nec in itinere tabernas intrare permisit. Ita enim ille cap. X. Capitul.

gones effecti, nummis opplere crumenam satagunt, sed conscientiam bonis locupletare virtutibus minime contendunt. AURELIUS. Proh pudor! O miserandam Christi sponsam talibus creditam Paranymphis, qui addicta ejus cultui proprio assignare quaestui non verentur: non jam amici profecto sponsi, sed magis aemuli, sed lapidatores bonorum crucifixi, hostesque acerrimi. APOLLO. O Aureli, quid si dicere velim, quae isti faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubilis sui. Dicit enim *quis me videt? Tenebrae circumdant me, parietes cooperuerunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus, & non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius.* AURELIUS. Hem, Hem! obtundis, sentio, quo pergas; nolim progrediare, ne aërem ipsum sermone tuo inficias. Novi enim opera tenebrarum, quae peragunt turpes mariti, & molles Eunuchi, qui cum mulierculis suis Adonidem plangunt, & cunas infantium in thalamis exagitant, non verentes in templo Veneris Virginis filium consecrare. At tu magis, ô Delphicè, narra nobis, quae, praeter haec & alia, in adytis templi videris evidenter. APOLLO. Vidi inquam, ô Aureli, abhominationes in atrio Sanctuarii his longe majores. AURELIUS. Majores animo! APOLLO. Etiam haud dubie. *Vidi enim in ostio templi Domini inter vestibulum & altare viginti quinque viros, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem*

Ezechiel VIII.

Ezechiel VIII.

tul. *Ut tabernas non ingrediantur, nec sedendo domi nec in itinere occupati. Si vero necesse habent ibidem aliquid emendi, missos suos dirigant, & ablata in aliam domum conferant, & cum gratiarum actione fideliter percipiant.* apud Dachier. tom. VI. Spicileg. & cauponam ingredi vetitum quoque in concilio Tridentino Sess. XIV. vid. H. V. R. adnot. ad tom. I. Batav. Sacr. p. CCXLI. Et quoniam tabernarii & cauponarii vilibus & abjectis personis compararentur in L. I. C. de nat. liber. unde Episcopus oblationes a cauponibus factas non recipiebat lib. IV. Const. Apostol. cap. V. Hinc Clericis omnino vetitum erat cauponam exercere. can. IX. Conc. Quinisexti, & can. V. Conc. Budensis.

4 *Syndici.* ] Clericis quoque prohibitum Advocati, Procuratoris, depositoris vel collectoris pecuniae munere fungi can. IX. Conc. Carthag. I. vid. Ziegler. de Diacon. XIII. §. XLVIII. Et ne actores vel Praepositi Laicorum existant vetitum can. IV. Conc. Remens. habiti ann. MCXLVIII apud Martene tom. IV. Anecdot. p. CXLI. Neque curatelam vel tutelam alicujus gerere ipsis permissum, unde Cyprianus, quia Geminius Victor testamento Geminium Faustinum Presbyterum tutorem nominaverat, vetuit ut pro ejus dormitione oblatio fieret, aut aliqua deprecatio nomine ejus in Ecclesia frequentaretur. Cyprian. lib. I. Ep. IX. edit. Erasm. Quod tamen limitatum, si scilicet legibus ad minorum aetatum tutelas, sive curationes inexcusabiles, adtraherentur, can. III. Conc. Chalcedon. Si enim possent viduis & orphanis succurrere, tunc ipsis secularibus negotiis se immiscere permiserat Concilium Cabilonense can. XI. & Conc. Moguntin. can. XIV. Sic quoque Advocati munere fungi licebat, quando propriam caussam vel Ecclesiae suae aut miserabilium personarum prosequebantur. can. Clerici. & can. cum Sacerdotis X. de postulando.

*entem, & adorabant ad ortum ſolis.* AURELIUS. Ex tripode tuo, mi Apollo, haec nobis allata videntur, & quaſi tenebroſa aqua in nubibus aëris, niſi mihi propalam interpreteris, quae vidiſti omnia. Cereris quippe Eleuſinae miſteria mihi narras, ſi non apertius nobis inſinues, quid ſit ad *ſolis ortum adorare, vaporemque nebulae de thure conſurgere*: quidve ſit *contra Domini templum dorſa habere.* APOLLO. Num tu, Aureli, corpus es ſine pectore, cui donum cytharae delicias tribui, artemque canendi, ut iſta non intelligas, quae minime ex noſtro (ut refers) oraculo, ſed ex tui Prophetae attuli vaticinio. AURELIUS. Ita me Superi bene ament, vix ſum apud me, ita animus exilit meus ſpe, gaudio, laetitia, tripudio, mirandoque hoc tanto tamque repentino bono, quod Salvator noſter omnibus procul dubio facere deſtinavit in hoc noſtrate ſummo Pontifice Hadriano, ad decorem & provectum Eccleſiae Dei ſponſae ſuae. Quidni (ut verum fatear) is ſummopere ſumma quaeque in Eccleſia catholica obiter perficiet, qui ſummo ſemper praeditus & pietatis & eruditionis nitore, modo omnium ſummus evaſit? Quin tu potius, o Delie, nobis ediſſere reliquas abhominationes, quas in atrio Domini perſpexiſti. APOLLO. Viſio quidem, Aureli, adeo digna eſt, ubi omnes facile intendam eloquentiae nervos, & complures in odium mei provocem. At vero quae Dei ſunt, libera fronte, ut intrepidus veritatis antiſtes, eloquar, vel ea demum lege, pacto atque ratione, ut vitia ſervorum Dei paſſim extirpentur, & oberrantes ad poenitentiam peccatorum ultricem & meritorum altricem, tanquam ad urbem refugii, convolent, & ad melioris vitae frugem alacrius compungantur. Nam poſteaquam omnes videram abhominationes, dixit Dominus ad me: certe vidiſti, fili hominis, quid iſti faciunt hic, ut procul recedam a Sanctuario meo. Nunquid leve eſt hoc miniſtris meis, ut faciant abhominationes iſtas peſſimas, replentes terram iniquitate ad irritandum me? Ecce qui irae & offenſionis ſuae cauſam inſinuat, etiam poenitentis culpam remittere non faſtidit. Audi igitur, Aureli, hujusmodi noſtrae viſionis involucra. Quicunque Praelatus in Eccleſia Dei, aut Officialis, & Miniſter, ex nobili ortus proſapia, beneficium aut quamlibet accipit dignitatem, & munus ſuum ſynceriter non obit, neque officium implet, *ad Solis ortum thurificando adorat, faciemque ſuam vertit ad orientem,* dum ſemet ipſum hac omnimodo promotione ex natalitio ſanguine

guine dignum existimat, quamquam nihil impendit honeris, qui solo duntaxat titulo gaudet honoris. Insuper is ramum ad *nares suas* applicat, dum longe obsequiosius praesentes & amicos temporales ex concesso munere, quam ipsum Deum, omnium largitorem bonorum, honorat: sive, dum quemque sua de stirpe progenitum sibi magnifice eodem in statu associat, aut certe (ut suae lasciviae, malis affectibus, & curiositati satisfaciat) exoticos & ramorum & herbarum quaeritat odores. *Dorsa* quoque contra templum Domini habent, & altare, qui de mensa Domini quotidie annonam suae portionis accipiunt, & tamen ad mensam Domini ac propiciatorium nunquam aut rarissime celebrando accedunt. Cui hos merito comparabimus nisi *vitulae Ephraim*, quae, Ozeae X.
juxta Prophetam *docta est diligere trituram, sed nullam triturandi arripit operam?* Ita & hi, salutatis vel econtra e limine cancellis chori, mox ad templi oraculum dorsa vertentes, per inferius atrium cum vulgaribus otiose garriendo deambulant; sed Sanctuarium Domini ad cantandas preces divinas, raro fere ac sola carentiae compulsi necessitate, tardius frequentant. AURELIUS. O rem detestabilem! Quid hoc monstri est videre Canonicum sine regula, Sacerdotem sine reverentia, Praelatum sine disciplina. Si sal infatuatum fuerit, quo populus, obsecro, condietur? Nonne [1] si coecus coecum ducit, ambo in foveam cadunt? Quid igitur? Necesse est tandem impleri Prophetale proverbium, quo dicitur: *Et erit sicut sacerdos sic & populus.* Et
alibi ad Levitas: *Vae vobis, qui recessistis de via Domini, & scandalisastis plurimos. Propter quod & ego dedi vos conceptibiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, dicit Dominus exercituum.* APOLLO. Noli in his, quae audisti, pro zelo tuo contabescere, ô Aureli. Levia quidem sunt haec, quae tu pergravia in animum induxisti tuum. Proh! reliqua sunt & alia Ecclesiasticorum scelera, multo omnium ante memoratorum teterrima. Malach. II. cap.
*Contaminavit* enim *Judas sanctificationem Domini: & habuit filiam Dei alieni. Quapropter disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculo suo, & offerentem munus Domino exercituum* AURELIUS. Horrenda quaedam, ô Delphice, infers auribus meis; verum si non diffidis ea in tempore per nostrum corrigi posse Hadrianum, nihil eorum,

Malach. II.

[1] *Si caecus caecum.*] Vid. c. quae ipsis dist. XXXVIII.

Archidiac.

eorum, obſecro, in abſconditum eſſe velis. APOLLO. Quid pluribus immoramur. Nihil abſcondam ab oculis tuis. Novi equidem nonnullos (ut paucis tecum agam) in [1] Archidiaconos aſſumptos ſine Diaconii ordine, complures in Decanos collegiorum ſine ſacerdotali unctione, quosdam etiam in Abbates ſine habitu monachali promotos, dum Sanctuarium Domini aut haereditatis jure, ac patronatus aucti ſchemate ac titulo, poſſidere conantur. Porro, ut magis magisque animo contabeſcas, vidimus eos in Praeſules provectos, qui nunquam aut rariſſime divina celebrant miſteria. AURELIUS. Animum pene mihi adimis, o Delie, haec dicens; nam obſoleta nimis ſunt haec & inſueta auribus meis. Parum abeſt, ut prae hujus vitae miſerabilis taedio animam efflavero. O perditiſſimorum faſtus & mores hominum! O indigniſſimum ſcelus & nefas inauditum! O miſerrimam militantis Eccleſiae conditionem! At tu pergito, o Delphice, quo cepiſti,

1 *Archidiaconos aſſumptos ſine Diaconii ordine.*] Licet nominis ac officii Archidiaconorum originem plurimi ipſis naſcentis Eccleſiae incunabulis adſcribant, verior tamen nobis videtur eorum ſententia, qui eos non niſi ſub finem ſeculi tertii in Eccleſiam introductos ſtatuunt, cum nulla eorum expreſſa mentio ante haec tempora occurrat. Fuit vero *Archidiaconus* princeps Diaconus, ut *Archipresbyter* princeps Presbyter, & ut *Archipresbyter* ex Presbyteris, ita *Archidiaconus* ex Diaconis eligebatur, quod jam ſuo tempore non amplius obſervari conqueritur hic *Aurelius.* Cum enim poſterioribus temporibus ad altiſſimum dignitatis faſtigium hic honos adſcenderit, & lautiſſimi ipſi reditus adſignati fuerint, ita ut prima poſt Episcopum dignitas haberetur, hinc quisque eam dignitatem ſibi comparare contendebat: Quoniam enim perpetui eſſent Episcoporum miniſtri & adjutores, hinc maxima eorum dignitas & auctoritas evenit, ita ut non tantum Presbyteris, ſed ipſis Archipresbyteris ſuperiores evaſerint. vid. c. I. X. de Offic. Archipresb. Garſias Loayſ. ad can. x. Concil. Emeritenſ. & Joach. Stephan. lib. IV. de Jurisd. cap. v. n. CVII. & CVIII. & plerumque Episcopis ſuis, poſtpoſitis Presbyteris & Archipresbyteris, licet altiori gradu conſtitutis, ſuccederent. Exempla vide in Chr. Sti Petri Vivi ad ann. M. & ad ann. MLXII. apud Dachier. Spicileg. tom. II. & in Chron. Abbatiae Sti Benigni Divionenſ. ad ann. MXVI. & Chron. Andrenſis Monaſterii ad ann. MCIX. ubi plura talia exempla occurrunt. & Vita Domini Lietbergi cap. x. apud Dachier. tom. IX. Spicileg. Et variis exemplis id demonſtari poſſet ex Chronic. Nicolai Trivetti, quod edidit Dachier. tom. VIII. & in Hiſtoria Trevirenſi & Episcoporum Virdunenſium, quam exhibet idem Dachier. tom. XII. Spicileg. edit. prior. & Chron. Auguſtenſi ad ann. MCCXXIV. vid. & Annales H. Steronis Altah. ad ann. MCCXCVII. Et Beka in Goswino Episcopo XXXVII. Et plura talia exempla adducere poſſemus, unde conſtat ſummam hanc dignitatem fuiſſe. Hinc poſtea in plerisque Eccleſiis Praepoſitus erat Archidiaconus, quod & hic Trajecti obtinuit. Plura vero de Archidiaconis, eorumque officiis, qui ſcire deſiderat, adeat Crodogangi Metenſis Episcopi Regul. Canonicor. cap. x. apud Dachier. tom. I. Spicileg. Garſiam Loayſam in not. ad can. IV. Concil. Toletani IV. Ziegler. lib. I. de Epiſc. cap. XIV. §. VII. & lib. III. cap. VIII. §. VI. & XXVI. §. XII. & de Diaconis cap. XVII. Mathaeum de Nobilit. lib. II. cap. XL. Binghamum lib. II. Origin. Eccleſ. cap. XXI. & H. V. R. in not. ad Heusſen. Batav. Sacr. praefat. pag. XXXV. & tom. II. pag. CCCCXXXI. & pag. D. ubi de eorum avaritia & artibus, quibus plebem emungebant, agit.

Apud

cepisti, & exemplum aliquod nostri temporis profer in medium contra eos, qui praesulantes divinis sese misteriis subtrahunt. APOLLO. Quidni se illi a sacrificio Domini subtrahant, qui sese magis saeculi Duces, quam Christi milites & ministros esse gloriantur? Nonne hac nostra aetate atque saeculo [1] apud Leodios tam crudeliter saevitum est, ut neque aetati, neque ordini a sanguine parceretur, vel ea demum pro causa, quod illorum [2] Antistes nullum adhuc divinae Eucharistiae sacramentum sacris altaribus immolasset. O quot hominum strages, o quot virginum incestus. O quot denique templorum spolia, unius hominis pertinacia procuravit. Verum enim vero non ita longo post tempore Praesul ipse, qui ovium suarum pastor esse debuerat non populator, divina ultione tandem [3] gladio occubuit. Disperdidit enim illum Dominus, quia nimio fastu cordis sui & obstinatione contaminavit sanctificationem ejus, posthabito contemptim divini misterii sacrificio, & habuit uxorem filiam Dei alieni, id est, curam & sollicitudinem de gloria & Principatu, & pompa hujus mundi. AURELIUS. O quantum nobis nostro gratulandum est Episcopo Principi illustrissimo [4] *Philippo de Burgundia*, magni

Anno salutis MCCCCLXVIII. 3. Kal. Novembres.

Malach. 2.

Praeclara Philippi de Burgundia Episcopi maximi Trajectensis laus & commendatio.

1 *Apud Leodios.*] Nota est hujus belli contra Leodienses suscepti a Carolo Duce Burgundiae historia, qui, postquam pacem cum eo bis terve violassent, Antistitemque suum aliquamdiu captivum tenuissent, & a Papa sacris interdicti essent, urbem eorum anno MCCCCLXVIII. pridie Calend. Novemb. hostiliter diripuit, & crudeliter in urbem rebellem saeviit, & Episcopum in sedem restituit. Cujus belli historiam plenius prosecuti sunt Philippus Comineus lib. II. Histor. & Pont. Heuterus lib. V. Rer. Burgund. vid. quoque Compil. Chronol. ad ann. MCCCCLXVI. Paul. Langius in Chron. & Rolewink Fascicul. tempor. ad ann. MCCCCLXVIII. & Suffrid. Petr. append. ad Joh. de Beka in Philippo Burgundo. Barland. Chron. Brabant. cap. CLIX. & Gesta Pontific. Leodiens. tom. III. cap. XX. & seqq.

2 *Antistes.*] Fuit hic *Ludovicus Borbonius*, filius Caroli Ducis Borbonii. vid. Stemma Regum Galliae gentis Borboniae apud Rittershus. Pont. Heuter. d. l. & Suffrid. Petr. in append. in Philipp. Burgundo. De discordiis vero & rixis fere perpetuis, quas cum Leodiensibus habuit, vide auctores, quos Buchelius ad Hedam pag. CCCVII. adducit, & Chapeaville acta Pontific. Leodiens. tom. III. c. XX. & seqq. Et Annales Belgic. Aegidii de Roya ad ann. MCCCCLXVIII. apud Sweertium in Annal. Belgic. ubi dicitur: *Fertur autem infaustissimo hoc tempore malum, hoc civitati Leodio evenisse Cleri demeritis, qui proprium Episcopum Ludovicum de Borbonia, nepotem Caroli Ducis, pluries repulerat, nec non vulgus contra Ducem in pugnam excitarat.*

3 *Gladio occubuit.*] Mortem ejus ad annum MCCCCLXXXII. refert Rittershusius d. l. Occisus vero fuit a *Wilhelmo Comite Arenbergio.* Hadr. Barland. Chron. Brabant. cap. CLIX. Suffrid. Petri in Ludovico Borbonio cap. XXXIX.

4 *Philippo de Burgundia.*] Fuit hic filius Philippi Ducis Burgundiae, & frater Davidis Episcopi Trajectensis, qui a juventute armis se exercuerat, & tandem, resignante Frederico Badensi, Episcopus Trajectensis consecratus est. Heda vero in Historia Episc. Traject. in ejus vita, dicit eum parum deditum fuisse religioni, imo per convivia, ludos & pocula Dorestadi vitam duxisse, & ex ebrietate morbo contracto obiisse; quamvis Buchelius in notis moneat Hedam videri privatim offensum Philippo, cum alias a plerisque scri-

gni Philippi Ducis filio, immortalique procul dubio ei asscribendum laudi, quod mox accepta summi Pontificis Leonis decimi benedictione ad praesulandum comam totondit, abjectisque militaribus paludamentis, talares induit vestes, ac [1] intra semestre spatium

ptoribus laudetur, & praecipue a Gerardo Neomago, qui singularem de ejus vita libellum edidit, qui exstat in tom. III. Script. Germ. Freheri, & quem etiam edidit Ant. Mathaeus tom. I. Analect. & notis illustravit. vid. & Suffrid. Petr. in append. Bekae. Fuit vero hic Philippus hic in urbem receptus & inauguratus XIX. mensis Maji MDXVII. ut patet ex actis Magistratuum Trajectinorum, quae exhibet Mathaeus lib. II. de Nobilit. cap. XLVII. v. Heussen. in Batav. Sacr. tom. I. pag. CCCXIX. & seqq.

1 *Intra semestre spatium.*] Vetus erat Ecclesiae praeceptum, ut Clerici per inferiores ordines, legitimis stipendiis expletis, adscendere deberent ad summum honoris fastigium, scilicet Episcopalem sedem. Neque Episcopum, nisi antea Presbyter, neque Presbyterum, nisi antea Diaconus, neque Diaconum, nisi antea Subdiaconus fuisset, ordinare licebat, quoniam *virtus antea in minoribus, levioribusque officiis probata esse deberet.* c. unic. dist. LII. c. si officia. c. ordinatos dist. LIX. c. non negamus dist. LXI. & *reprehensionem meretur, ut qui nondum didicit, docere praesumat.* uti dicitur in can. XXXVIII. Conc. Bracarens. I. Et *prius*, ut decretum can. XIX. Conc. Toletani IV. *Secundum praeceptum Apostolicum probari debet, cum longa debeat vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula Ecclesiae committuntur.* c. in Sacerdotibus dist. LXI. *Et miserum sit, eum magistrum fieri qui numquam discipulus fuit, eum summum fieri sacerdotem, qui numquam in ullo gradu obsecutus fuerit sacerdoti.* c. miserum. ibid. Quod optime exprimitur in can. X. Conc. Sardicensis. *Unicujusque ordinis gradus non minimi temporis longitudinem habere debet, per quod fides & morum probitas, & constantia & moderatio cognosci potest; neque enim convenit, neque scientia & bona conversatione hoc recipit, ut temere & leviter ad id accedatur, ut Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, prompte ac facile constituatur; longissimi enim temporis probatio & conversationem, & unicujusque mores, non improbabiliter exprimere poterit. Merito igitur*, inquit Leo apud Gratian. c. miramur dist. LXI. *Sanctorum Patrum venerabiles sanctiones, cum de sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos sacris administrationibus censuerunt, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia cucurrisset, ut unicuique testimonium prior vita praeberet, nec posset de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis, celsioris loci praemium deberetur. Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est pervenire, & notari ambitus solent, quos probatis documenta non adjuvant, quam diligens & quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum, & coelestium dignitatum?* Et quamvis varia in Historia Ecclesiastica neglecti hujus praecepti occurrant exempla, & non tantum plurimos Diaconos statim Episcopos, sed & Laicos electos inveniamus; ne tamen omnino Ecclesiae praeceptum neglexisse viderentur, Episcopi non inaugurabantur, nisi antea minores ordines percurrissent. Et quam belle ita hoc praeceptum servaverint, patere potest ex Mariano Schoto ad ann. DCCLXVII. ubi legitur *Constantinus Papa electus, cum Laicus esset, primo Clericus factus, alia die secunda feria subdiaconus, & Diaconus illuscente eodem die, & dominica die sequenti Pontifex creatus.* Quem tamen postea, cum per annum sedem Papalem obtinuisset juxta Platin. in vit. Stephani III. ut injuste electum, depositum memorent annales. Aliud exemplum legimus apud Godefridum Monachum in Annalib. ad ann. MCCIX. ubi *Theodoricus* Coloniensis Archiepiscopus electus, Sabbatho post Pentecosten a Theodorico Trajectensium Episcopo prius in Presbyterum ordinatus, & sequenti die a Goardo Leodicensi Antistite in Archiepiscopum consecratus legitur. Sic *Hymbertus*, vel *Hunibertus*, ut Mutius in Chron. Germ. ad a. MCCCXLIX. Princeps Delphinatus, postquam Delphinatum resignasset filio Regis Franciae, a Papa Patriarcha Antiochenus consecratus dicitur, observato tamen qualitercunque ordine, ita ut a Papa prima missa Galli cantus ordinaretur in Subdiaconum, secunda missa ortus diei in Diaconum, in summa missa in Sacerdotem, ita ut eodem die Delphinus missam celebraret, & post octo dies a Papa in Episcopum consecraretur, uti haec historia legitur in annalibus Hainrici Rebdorff ad ann. MCCCLI.

tium sacris initiatus ordinibus, tamen Christi misteria devotissi-
me celebrando peregit. Sed mirari satis nequeo, cur divini ver-
bi concionatores Theologi & Doctores Ecclesiae, adjuratique ve-
ritatis praecones, hujusmodi Praesulum ac Praelatorum exor-
bitantias non objurgent, non corrigant, non eradicent, quum
eis potissimum a Domino praeceptum sit, ut annuncient omnibus
scelera eorum, & monita salutis praebeant. *Vade*, inquit Domi- Heremiae
nus, *& clama sermones istos contra aquilonem*, *& dices: Rever-* cap. III.
*tere aversatrix Israhel*, *& non avertam faciem meam a vobis*,
*quia sanctus ego sum*, *& non irascar in perpetuum.* Tum fide-
lem & strenuum praedicatorem Dominus beatificans dicit: *Bea-* Esaiae
*ti qui seminatis super omnes aquas*, *immittentes pedem bovis &* XXXII.
*asini*, id est, corripiendo fortes & infirmos, nobiles & vulga-
res, caput & caudam, Praelatos & subditos. Atqui e regione
negligentem & incurium concionatorem maledicens ait Dominus:
*Maledictus*, *qui facit opus Domini fraudulenter*, *& maledictus*, Hierem.
*qui prohibet gladium suum a sanguine*, hoc est verbum Dei ab XLVIII.
homine delinquente. Deinde omnes confortans inquit: *Annun-*
*ciate & auditum facite*, *levate signum*, *praedicate*, *& nolite ta-*
*cere. Praeparamini contra Babilonem per circuitum omnes*, *qui* Idem. C.L.
[1] *tenetis arcum*, *debellate eam*, *& non parcatis jaculis*, *quia Do-*
*mino peccavit. Clamate adversus eam*, *quia ubique dedit manum*,
id est, aliis peccandi materiam & occasionem. *Consistite adver-* Sagittarii
*sus eam per gyrum*, *qui tenditis arcum*, *ut nullus evadat*, quem Domini sunt prae-
non reprehendatis, sive dives, sive pauper, sive magnus, sive dicatores,
modicus, praedicantes & verbi divini concionatores.

MCCCLI. ubi adhuc aliud simile exemplum videri potest, scilicet, quod *Bertholdus* Ecclesiae Eistetensis Episcopus electus, de mandato Papae in adscensione Domini ad quatuor minores ordines sit promotus, in vigilia proxima Pentecostes in Subdiaconum, in Sabbato quatuor temporum sequenti in Presbyterum ordinatus, & post octo dies in Episcopum sit consecratus. Et sic *Manuel Arsenicus* Patriarcha Constantinopolitanus creatus unius diei curriculo Diaconus; sacerdos, & Patriarcha factus dicitur a Gregorio Logotheta in Chron. p. m. XLI. Aliud exemplum habet Mathaeus lib. II. de Nobilit. cap. II. Et sic Cardinales Diaconos a Clemente ordinatos qui nondum subdiaconi erant, notat Bernardus Guidonis in vita Clementis V. apud Baluzium tom. I. vit. Papar. Avenion. p. LXXIII. ubi recte observat Baluzius merito hoc mirari Bernardum, verum istud mirum non fuisse, cum postea vulgatissimum fuerit, & Leonem X. *Franciscum Armellinum*, nondum prima tonsura clericali initiatum initio mensis Julii ann. MDXVII. Cardinalem creasse, qui sequenti tantum mense Decembri Clericus fuit ordinatus. Et in Ecclesia Orientali cum seculo decimo tertio plerumque Patriarchae ex Monachorum ordine eligerentur, si Laici crearentur, hi Monachi habitum induebant & a carnibus abstinebant, & ita Episcopi inaugurabantur. Exempla vid. apud Nicephor. Gregor. lib. VI. c. I. & VII. XI. & ibi notae doctissimi du Cange. Et ita quoque *Philippus* noster, militiae antea adscriptus, & homo laicus, ne videretur contra canones Episcopalem sedem adscendisse, intra semestre spatium sacris ordinibus initiatus fuit.

1 *Tenetis.*] Lege *Tenditis.*

modicus, ſive Rex, ſive Regulus, ſive Praeſul, ſive ſub Praeſule. *Cavete ne aliquis evadat, quia ſanguinem ejus in peccatum de manu veſtra requiram.* APOLLO. Bene, optime, haec omnia, Aureli, quae praedicatores Chriſti deceant, ſub epilogo concinnaſti, plurimum te habere ſalis in rebus divinis jam experior, qui tanta tuis ex Prophetis memoriter effutire potuiſti. Ego quoque, ut tuis facile accedam votis, hoc etiam infero, quod in Canticis legitur, ubi Sponſus admirabilem Sponſae ſuae Eccleſiae deſcribens pulchritudinem, ita ait ad eam: ſicut *turris David, o Sponſa, collum tuum, quae aedificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Collum* igitur omnia membra capiti connectens, eos profecto, qui vel praedicatione vel admonitione alios convertunt, & capiti Chriſto jungunt, plane inſinuat. Hi ſunt etenim vere, ſicut *turris David*, fortes in gratia, & ſublimes ante Deum. Nihil ſiquidem ita placet Altiſſimo, quemadmodum zelus & lucrum animarum. *Turris* haec ſpirituale eſt aedificium, bonorumque operum conſtructio, augmentum gratiae, & perfecta Chriſti proximique dilectio. Quae nimirum & *David* eſſe dicitur, qui *manu fortis* interpretatur, Chriſtum exprimens, qui ſuos praecones & devotos concionatores in omnibus confortat & aſſiſtit, ſine quo nihil perficere praevalent, & in quo omnis aedificatio conſtructa creſcit ac proficit. *Non ego*, inquit Paulus praedicator egregius, ſed *gratia Dei mecum.* Habet etiam diverſa haec *turris* propugnacula, divinae ſcilicet ſcripturae documenta. Haec Daemonum inſidias & argumenta detegit, remedia adhibet, panem vitae apponit, unde Job: *in fame eruet te de morte, & in bello de manu gladii*, ut dum verbo Dei populus reficitur, maligni tentationibus non ſuperetur. Praeterea ex hac turri *mille* pendent *clypei*, dum ex divina ſcriptura & ejus propugnaculis, virtutes nobis commendantur, quibus contra vitia & Diaboli tentamenta defendimur: quarum etiam perfectio (ne mentiar) millenario eſt numero deſignata. Quae ſi firmiter in anima fundata fuerit, contra hanc robur non habent inimici fraudes & argumenta. Qui enim perfecte ſe ipſum deſpicit, & vere humilis eſt, minus laeditur, ſi contemptui habeatur; quum etiam ſuperbiae jaculo is minime perforatur, qui in vera humilitate fundatus, abjectionem ſuam, exaltationem, contemptum, honorem, ignominiam denique, gloriam reputat. Caeterum qui inimicos diligit, invidiae aditum

Canticorum IV.

Collum ſponſae ſunt praedicantes.

Turris.

David.

Ejus propugnacula.

Mille clypei.

aditum obſtrinxit, nec ulla commovebitur injuria, qui patientiae ſcuto munitus, etiam opprobriis delectatur. In caeteris quoque virtutibus minime ſe debet miles Chriſti, ut contrariis vitiis ſemper obviare poſſit, ut qua illum parte impugnant, in ea etiam parte virtutibus oppreſſa reſiliant. *Mille* igitur *clypei* pendent ex hac *turri*, quum virtutes quilibet homo tam perfecte aſſecutus fuerit, ut nulla ex parte vitiis aditus patere poſſit. In hac poſtremo *turri omnis* eſt *armatura fortium*, id eſt, ſublimis praedicantium operatio, & eorundem exempla virtutum. Ante enim vita quam doctrina quaerenda eſt, juxta illud Euangelii, *cepit Chriſtus facere & docere;* nam vita bona ſine doctrina gratiam quidem habet, doctrina vero ſine vita integritatem non habet. *Da igitur* (inquit Sapiens) *& accipe*, & *juſtifica animam tuam*, hoc eſt, Verbum doctrinae proximis impende, & bonorum operum exempla relinque, ut recipias praemium aeternae vitae, cum omni quippe imperio illud rite docetur, quod prius agitur, quam dicatur. Nam doctrina haud dubie ſubtrahit perſaepe fiduciam, quando intus conſcientia foris ſonantem impedit & accuſat linguam. Docere ſiquidem, & non facere, non ſolum lucri nihil, ſed & damni confert plurimum. Grandis enim condemnatio eſt componenti quidem ſermonem ſuum, [1] vitam vero ſuam & opera negligenti; doctrina quippe ſpiritus, non curioſitas, acuit, ſed caritas accendit. AURELIUS. Praeclare quidem purae

Ecclesiaſtici XIV.

1 *Vitam vero ſuam.*] Quoniam vero vita & mores nomini & profeſſioni cujuslibet convenire debeant juxta L. XXVI. C. de Episc. & Cler. Hinc certe nihil. magis decet miniſtros Eccleſiae, quam vitam integram, & miniſterio ſuo convenientem degere, & iis virtutibus praeditos eſſe, quas ſequendas populo ſuo proponunt, & ita perſonam, quam ipſis impoſuit Eccleſia, tueri, ut juxta monitum Apoſtoli Pauli I ad Timoth. III: X. *vacent accuſatione & reprehenſione. Si enim hi*, inquit Juſtinianus in Novell. CXXIII. *quorum munus eſt orare pro populo, indigni miniſterio Dei inventi fuerint, quomodo pro populi delictis placare poterunt?* Cum exemplum & documentum caeteris de converſatione & moribus ſuis praebere debeant, juxta Cyprian. lib. I. ep. IX. Ut *ſicut nomine ita & meritis vitam teneant*, uti dicitur in can. XXII. Conc. Toletan. IV. *Oportet enim tanto antiſtare caeteris devotione, quanto antiſtant omnibus dignitate*, juxta Salvian. lib. II. adverſ. avarit. ubi vid. not. Baluzii. Hinc *Sanctior* ipſis *vita* adſcribitur in L. XXXVI. C. Theodoſ. de Episc. & Cler. Et levitas in iis magis puniri debet, propter morum gravitatem, quam habere debent. Extravag. de vit. & hon. Cleric. per tot. Et huc referri poteſt dictum Hieronymi apud Gratianum c. primum itaque diſt. XXV. *Qua libertate corripere peccantem poteſt, cum tacitus ſibi ipſi reſpondeat, eadem admiſiſſe, quae corripit?* Unde Ambroſius de dignit. Sacerdot. cap. III. *Quod ſumus profeſſione, actione potius, quam nomine demonſtremus, ut nomen congruat actioni, & actio reſpondeat nomini, ne ſit nomen inane, & crimen immane.* Miniſtri enim Eccleſiae juxta can. I. Conc. Turonici. I. *ita in omni ſancta converſatione ad Dei timorem actus ſuos dirigere debent, ut & divinae poſſint placere clementiae, & bonum fidelibus praebeant exemplum.*

 Cardinales

purae veritatis organa, Christique praecones & nuncios, o Apollo, celebrasti, quorum maxime refert fidem astruere, errores debellare, opere & sermone consiliare adversos, jacentes erigere, remissos pungere, pusillanimes confortare, & nescientibus quid timere, quid expectare debeant, humiliter intimare. Atque utinam hodie omnes, qui in praedicandi Euangelii vices Apostolis succedunt, Jesum Christum non ad quaestum, non ad ambitionem, non ad favorem potentum, non ad odii simultatem, non denique ad gratiam hominum; sed pure, sed vere, sed syncere praedicarent! At nunc, proh dolor! nonnulli videntur se ipsos praedicare, non Christum, dum scrupulosissime titulos, capita, paragraphos legum, in populo allegant, quarum etiam lectione Theologis interdictum est, ut vel scioli ab omnibus videantur.

Stentor homo vocalissimus.

Proh pudor! praeterea vocales ibi Stentoris instar & fortes reperiuntur, ubi non secura modo, verum etiam quaestuosa est adulatio. Rursum ubi damnosa creditur esse veritas, vel ipsis piscibus magis mutos esse eos invenies. De quibus Vates Euangelicus Esaias prophetavit, dicens: *Universi canes muti, non valentes latrare*, dum aut magnatum favores, aut divitum mensas aucupantur, *videntes vana, amantes somnia*, & *ut canes impudentissimi nescierunt saturitatem*. Proh nefas! Euangelica tuba, quam idem jubet Esaias intendi ad ebuccinandam summam Dei gloriam, jam deliniens aures hominum, in cytharam versa est juxta illud: *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, divinate nobis somnia, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israhel.* Heu me miserum! considero plurimos nostri seculi praedicantes, alioqui doctissimos, linguam revera, quam Esaias gloriatur sibi datam a Domino, non disertam modo, verum etiam exertam, ad revellenda vitiorum plantaria, ad inserenda Christianae relligionis semina, modo ad usus longe diversos misere accommodare, dum pro Christo mundum, pro spiritu carmen, pro puritate Euangelica Aristotelis argutias in populo docent. O bone Jesu! quomodo lingua canum tuorum, qui quotidie edunt de micis, quae de mensa tua cadunt, & qui idcirco pro te, proque domo tua, contra inimicos vigilantius latrare debuerant, jam ita obmutescit, ut ferme praecisa, ac nulla esse videatur. Tacent enim canes tui, & latrare nesciunt, videntes laborem & praedam & injustitiam, quam te respiciunt contemptores, & tacent, conculcante impio justiorem se. *Lacerata est lex*,

Esaiae c. LVI.

Esaiae XXX.

Abacuc.

*lux, & non pervenit usque ad finem judicium, quia impius praevalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.* Imponitur populo tuo insustentabilis fere exactio, milite nihilominus gregario eviſceratur, & moleſtiſſima premitur ſervitute, nec adhuc canes tui latrare norunt, imo longe ſecius, ac volebas, peragunt, diverſam etiam partem ſuis blanditiis & aſſentationibus adjuvantes. Volebas inquam, bone Jeſu, linguam canum tuorum mitium ſed & manſuetorum, ut peccantium vulnera lambendo leniter tractent, non ut innocentium famam, tanquam canes rabidi, nec continuo tui, turpiter lacerent. Praeterea linguam canum tuorum Pſalmiſta commendat, ſed dentes minime. Non enim canum tuorum intereſt eos ſaltem, qui de tua ſunt familia, mordere, conviciari, deturpare, ſed potius lingere, dulcique plauſu occurrere, atque officium & gratiam hilariter exhibere. Neque enim fruſtra, ſed magno quidem factum eſſe credimus ſacramento, Domine Jheſu, ut juſſeris Gedeoni illos tantum in Madianitas ſecum ducere, qui fluminis aquam, ſicuti canes, lamberent, talesque, proh dolor! non niſi trecenti in tanta multitudine ſunt reperti. Igitur, o pie Jheſu, conſule vel tandem Eccleſiae tuae, quia plures modo habes delatores quam doctores, plures Sycophantas, quam Hierophantas, plures Spermologos, quam Theologos, omnibus quidem (ut verum fatear) linguam dediſti, ſed cor non ita. Verum enim vero quum in eos (qui nimis in tua oberrantes manſuetudine, ore mordaci peccantes, potius in deſperationis baratrum detrahunt, quam e mari hoc magno ad ſalutis evehunt portum) tragoediam agere nolumus, noſtri potiſſimum Hadriani munus fuerit (quem in ſummum Pontificem peculiariter elegiſti) ad ſponſae tuae decorem, hujusmodi deformitatibus modum & menſuram ſtudium non ſuum apponere, ſed per ſuos curare Dioceſanos, ne paſſim cuilibet concedatur ad populum concionandi autoramentum, ne quod tu, piiſſime Salvator, omnibus in ſalutem ordinaſti, multis ex blaterarorum inſolentia in perniciem convertatur. At nunc, refrigerato paulisper ſtomacho, ad te ducem meum, Apollo, revertor, petens inſtanter, ut reliqua Eccleſiaſticorum monſtra perſequaris. APOLLO. Faceſſam, quod hortaris, Aureli candidiſſime, montesque tangam citra injuriam fumigantes. Ad altiora quippe Eccleſiaſtici gradus conſcendam cacumina, & collatrales ſummi Pontificis quales ſint ([1] Cardinales appellant) ocyter inſpectabo. Hi

Judicum VII.

Apoſtrophat ad Chriſtum Eccleſiae ſponſum.

Hi sunt (ut rem paucis absolvam) mi Aureli, cardines terrae, super quos nimirum Dominus orbem posuit, veluti super bases solidissimas, ad sustentandum totius Ecclesiae statum, non utique ad inclinandum. Quum etiam a Divo Pontifice Marcello primum numero [2] decem & quinque instituti sunt, ut more Apostolorum Neophitos fide catechizarent, baptisarent, & Christianorum corpora sepulturae traderent cum sanctissimo Thobia, ubicunque ea invenire potuissent. AURELIUS. Haec olim, o summi Jovis proles clarissima Apollo, (ni fallor) Hieronimo & Gregorio magno, caeterisque priscis Cardinalibus cura fuit, qui in usum pauperum Christi Xenodochia construere, Monasteria ad Dei cultum erigere, Christi plebem in lege Domini erudire, vulgus non spernere, divites non palpare, minas potentum non metuere; sed res & vitam pro Ecclesia perlubenter impendere solebant. [3] Quid nunc isti ad haec. Verum, ut eis nonnihil pro tempore & dignitatis gloria concedamus, tolerabile quidem, modo vel aliis hoc suum & praedicandi & tumulandi commiserint officium, modo Christi sponsae (catholicam loquor Ecclesiam) in necessitatibus deesse non inveniantur. Ad hoc cum [4] a piissimis Imperatoribus rubro donati sunt galero, ut ulciscendi sanguinis Christiani, (quem quotidie spurissimus Turca nostrae relligionis hostis immaniter profundit) avidiores redderentur, ad instar Elephantum, quibus ad iram in praelio exacuendis uvae sanguis & mori ostenditur, sive ut Principes terrae exactissima oratione ac habitu in id negotium animarent. APOLLO. Assentior tibi in his,

Quis primum Cardinales instituit. Ad quod instituti? vetus Cardinalium munus & officium.

Conditiones & opera optimorum Cardinalium.

Quare rubeis galeis Cardinales sunt insigniti.

1 *Cardinales.*] De voce Cardinalium, eorumque institutione vid. Hildebrand. de Hierarchia veter. Eccles. §. LXXX. & Celeb. Otto in dissert. I. cap. I. §. X. & auctores, quos ibi adducit.

2 *Numero decem & quinque.*] Platina in ejus vita dicit eum XXV. *titulos* in urbe Roma constituisse. *Tituli* vero erant domus divino cultui mancipatae, in quibus Christiani Synaxes agere consueverant. Baron. Annal. ad ann. CXII. n. IV, V, & VI. Binius in not. ad vit. Euaristi Papae. Alteserra ad Anastas. in Euarist. Hildebrand. de Hierarch. veter. Eccles. §. CXLIV. vid. & Upton de milit. officio cap. XVII. sive Basilicae, quibus certi sacerdotes ac ministri adscripti & addicti habentur, uti vult Mabillon. in commentario in ordinem Romanum tom. II. Mus. Italic. pag. XIII. vide & pag. XVI. Et sic jam ante Marcellum Euaristus dicitur titulos in urbe Roma Presbyteris divisisse, & septem Diaconos in ordinem redegisse. vid. Damasus Platina in Euaristo.

3 *Quid nunc isti ad haec.*] Legi omnino hic meretur Nicolaus de Clemangis in libro de corrupto Ecclesiae statu cap. X. & seqq. & ibid. Lydius in notis.

4 *A piissimis Imperatoribus.*] Non ab Imperatoribus, sed ab Innocentio IV. Frederici II. Imperatoris infensissimo hoste, Cardinalibus ruber pileus datus, ut ostenderet eos ad sanguinem usque debere fideles esse. vid. Chron. Guilielm. de Nangis ad ann. MCCLII. Ciacconius in vit. Innocent. IV. & ibi addit. & Platin. in Innoc. IV. qui dicit eum hoc fecisse *honestandi ordinis caussa.*

Canibus

his, optime Aureli, atque in tuam promptis pedibus transeo sententiam. At vero jam morbo temporis, & ambitione stolida, omnia in contrarium reciderunt; nam Monasteria olim a prioribus sanctis erecta, modo in [1] commendis (verius dixero *commedendis*) rite accepta Cardinales omnino destituunt, imo & turpiter prostituunt, eorumque bona suis applicant usibus, & familiis, vix septem fratribus ad onera chori sub parcissimo rerum proventu in singulis domibus derelictis. Praeterea sunt etiam hujus gradus celeberrimi viri, qui [2] *canibus* venaticis tria aureorum millia quotannis impendunt, & *canonibus* abrogatis pauperibus Christi januas praecludunt. Regibus aequata jam gloria blandiuntur, populum communem fastidiunt, inopes non fovent, sed opprimunt, marsupia adventantium indultis exhauriunt, sed corda non reficiunt, crimina non castigant, neque malos corrigunt, majorem habentes curam aeris corradendi, quam meris poenitentibus bene consulendi. Cum turba regali plurimoque strepitu in publicum prodeunt, & imperiosis vultibus circumspectantes, suam magis, quam Dei gloriam, a vulgo aucupantur. Sunt quoque nonnulli Cardinalicio sublimes honore, qui de nobilium matronarum dotibus & patrimonio Crucifixi, sese suosque ditare properant, nec gratis dare volunt, quod gratis acceperunt; sed & omnia Ecclesiae bona, sive ea beneficia appelles, sive sacramenta, venumdare (si cupias) non erubescunt. AURELIUS. O detestabilem Ecclesiae militantis statum & miseriam! Quid multis immoror? Plus mihi flere collubet, quam aliquid profari ac dicere. O ini-

Cardinales canibus . . : canonibus

1 *Commendis.*] Vid. ad c. I. Itinerar. Hadr. & H. V. R. in not. ad Heussen. tom. IV. Histor. Eccl. p. DCCCLXIX.

2 *Canibus venaticis.*] Et hoc contra Ecclesiae praeceptum. Venationi enim, quae eos a divinis officiis avocaret, operam dare Clericis prohibitum, juxta decretum Nicolai II. Papae. vid. Compil. Chronol. ad ann. MLIX. vid. & can. II. Concil. Germanici primi. & ratio redditur in can. VII. Conc. Aptensis apud Marten. tom. IV. Anecdotor. p. CCCXXXIII. *Ne tempus, quod deberet in commisso grege dominico erudiendo expendi, usibus consumeretur talibus, & panem, qui deberet erogari pauperibus, canes hujusmodi ederent, & pecuniam Ecclesiarum, pauperibus convertendam, quodammodo exhaurirent.* Unde illis non licebat canes, accipitres, aut hujusmodi res ad venandum habere, quod si facerent, ab omni officio & communione suspendendi erant, juxta can. LII. Conc. Agathens. & can. III. Conc. Epaunensis, quibus concordat decretum Leonis Papae apud Sifridum Presbyt. Epitom. ad ann. MXLIX. & can. II. Synod. Augustan. can. L. Conc. Albiensis. can. III. Conc. Nannetensis. vid. c. Episcop. & seqq. X. de Cler. venat. & c. Episcopum dist. XXXIII. Mitigata tamen haec poena can. XVII. Conc. Vormatiensis, ubi decretum, ut uno tantum mense ab officio & communione abstineant. Et ut duos annos Diaconus poeniteat, qui venationem exercuit, decretum invenitur in Collect. antiq. canon. poenit. apud Marten. tom. IV. Anecdot. pag. XLIII. Vid. Ziegler. de Episcop. lib. cap. XIX. & Mathaeus de Nobilitat. lib. I. cap. II.

O iniquiſſima noſtrae fecis tempora! O egregia ſervorum Dei facinora! proh nefas! mutatus eſt revera color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capita omnium platearum, obſcuratum eſt aurum, & verſum eſt in ſcoriam. Vae nobis miſeris! in quos profecto & fines & feces ſeculorum pervenerunt. Quid, precor, de gregibus aeſtimandum eſt, ubi tam inſolenter arietes, ovium duces, laſciviunt. Si caupones, inquam, exiſtunt, qui patres eſſe debuere, quis, obſecro, ſynceritati usquam erit locus? *Vae paſtoribus, qui diſpergunt & lacerant greges paſcuae meae, qui demoliti ſunt vineam, & conculcaverunt partem meam, dicit Dominus. Nemo eſt omnium, qui doleat vicem meam, nemo qui compatitur ſuper contritione Joſeph. Omnes munera diligunt, & ſequuntur retributiones.* Sed quum, Dive Apollo, hora jam tranſiit, & ad ſolitam (filio vero primum immolato) quotidiani quaeſtus revocor ſcribiliginem, tu reliqua in craſtinum, obſecro, dicenda repone. APOLLO. Faxo lubens, quod hortaris. Vale igitur, mi Aureli, & ad injunctum tibi officium ocyus revertere. Prope enim eſt, ut Dominus tibi Maecenatem ſuſcitet, cujus ope & opera ab hac dura [1] ſcribendi provincia liberatus, literarum ſtudio magis magisque ad Eccleſiae ſpecimen incumbere poſſis.

Hieremiae 23. Amos 6. Jeſai. 1. Poſt Miſſae celebrationem.

1 *Scribendi provincia.*] Injunctum Aurelio videtur fuiſſe munus libros exſcribendi, quod antequam ars typographica inventa fuerit, commune Monachorum officium fuit, de quo plura adnotavit vir diligentiſſimus H. V. R. in not. ad Heuſſen. Antiquitat. Eccleſiaſtic. tom. II. pag. CCCXCIII. quem vide. Vide & Mabillon. in Tractatu de ſtudiis Monaſticis part. I. cap. VI.

INCIPIT

# INCIPIT LIBER QARTUS, APOCALYPSIS

## SUPER MISERABILI STATU ECCLESIAE, ET PRAECIPUE DE INCREDIBILI CARDINALIUM, PATRIARCHARUM, ET LEGATORUM SEDIS APOSTOLICAE LUXU, AMBITIONE AC POMPA: POSTREMO DE INSTRUCTIONE OPTIMI PONTIFICIS ET OFFICIALIUM EJUS, VIRTUTE CONCILII ET CAESAREAE MAJESTATIS.

Jam nox quarta in ſuo curſu medium iter exegerat, & ecce, finitis divinarum precum matutinis, aderat confeſtim Apollo, & mea dormitabundi latera pulſitans, aiebat: Expergiſcere paulisper, mi Aureli, donec, quae reſtant de Eccleſiaſticorum abominationibus, tibi plenius exponam, ut petiſti. Auſculta igitur, & audi patienter; nam referre tibi propero Cardinalium, ac Primatum noſtrae aetatis luxum, ambitionem, & pompam. AURELIUS. Narra, obſecro, ne quid omnium facile deſit, quod per noſtratem ſummum Pontificem Hadrianum, ac univerſale Concilium, corrigi poſſit. APOLLO. Sunt igitur (ne mentiar) plerique galero inſigniti, aliive Primates, Patriarchae, ac Legati, (ut breviter curram), qui una in coena mille ſeſtertia conſumunt, qui in ſuo veſtitu villas conſuunt, qui denique calceos auro gemmisque perlitos deferunt, trecentis nummorum libris conſtantes. AURELIUS. O ſponſa Chriſti, pauper & ſobria, ad quid veniſti? O quantam indigne pateris injuriam, dum hi tam prodiga manu bona tua obliguriunt, qui tibi a ſponſo tuo in tutores ſunt deputati! O quam grande illis manet extremi furoris judicium, niſi in tempore miſerationum reſipiſcant! O quam miſere tum vivunt oves, quum paſtor factus eſt lupus! O quam Luxus.

 moeſte

moeſte abſtenius affligitur populus, ubi ex capite factus eſt ganco & gaſtri margus! O quam ſpecioſi (verius dixero precioſi) ſunt pedes illi tantae aeſtimationis induti ſoleis ad praedicandum Euangelium pacis & paupertatis! Atque utinam hujusmodi Praelati meminerint, Dominum Jeſum, Eccleſiae ſponſum, non gemmatis quidem, ſed cruentatis pedibus, pro ipſa Eccleſia ad ſupplicii locum prodiiſſe. Quid, ſi ipſi Apoſtoli nunc adeſſent, fateor, procul dubio una omnes voce Stentorem vincerent, quin eti-

Mathei 26

am exclamando coelos rumperent; dicentes: *ut quid perditio haec?* ſi moleſte & iniquo tulere diſcipuli animo, vel breve alabaſtrum unquenti ſuper caput Domini eſſe Magdalenae impendio effuſum, quanta, putas, furerent indignatione, ſi opiparas horum coenas, ſi veſtes Janthinas, ſi denique prodigales nimium aſpicerent delicias? Nemeſis, fateor, o magne Apollo, me totum arripit, dum res Eccleſiae & bona Crucifixi video in ſybariticas conſumi epulas, in gladiatorum expendi munera, & in venationum turpiter profundi apparatum. Divitiis equidem eorum haud invideo, ſed neque pretioſis ipſorum (ut honorentur a vulgo) laedor indumentis, modo etiam ſuis facultatibus [1] captos a barbaris

Nemeſis eſt Dea indignationis, facinoroſos & delinquentes puniens.

1 *Captos a barbaris.* ] Ut pateret juſtiſſimam eſſe Aurelii guerelam, hinc paucis oſtendemus, in quibus olim conſtiterint facultates Eccleſiaſticae, & quibus uſibus inſervierint. Bona Eccleſiaſtica primis naſcentis Eccleſiae temporibus ex pretiis agrorum, domuum & fundorum venditorum conſtitiſſe, quae ante Apoſtolorum pedes poſita fuerunt, notum eſt ex Act. Apoſt. II. comm. XLV. Et pecunia inde redacta dividebatur ſingulis prout quisque egeret, unde omnia ipſis communia fuiſſe dicuntur. comm. XLIV. vid. & c. dilectis XII. q. I. Poſtea autem creſcente multitudine, quae Chriſtiana ſacra amplectebatur, auctae quoque fuerunt facultates Eccleſiaſticae, unde poſtea poſſeſſiones, quas antea vendere conſueti erant, matricibus Eccleſiis tradiderunt, ut ex proventibus earum viverent Clerici, & ita non tantum praeſentibus, ſed & futuris Eccleſiae membris provideretur, ex Urbani decreto apud Gratian. c. videntes XII. q. I. v. & Platin. in vita Urbani. Urbani enim tempore primum Eccleſiam coepiſſe praedia poſſidere tradit Rolewink Faſcicul. tempor. ad ann. CCXXIV. vid. & H. V. R. ad Heuſſ. Bat. Sacr. tom. I. p. XXXV. His bonis acceſſerunt quotidianae Chriſti nomen profitentium oblationes; Antiquiſſimis enim temporibus in Eccleſia receptum erat, ut omnes Chriſtiani ad menſam Domini dona cujuslibet generis, praecipue autem panem & vinum offerrent, de quibus menſa inſtruebatur. vid. Cave lib. I. de prim. Chriſtian. XI. quod quoque poſtea decretum can. IV. Conc. Matiſconenſ. I. vid. Math. de Nobilit. II. cap. XX. Reliqua autem quae ſupererant, manebant in poteſtate Presbyterii, & a Praeſide ſive Epiſcopo diſtribuebantur tum ſibi, & reliquis Presbyteris & Diaconis, tum pauperibus, uti docet Celeb. Vitringa lib. III. de Synog. veter. part. I. cap. XVIII. Poſt communionem ditiores obtuliſſe munera ad pauperum ſuſtentationem vult Mendoza lib. II. de Confirm. Conc. Illiberit. c. LV. qui quoque ibidem docet, poſtquam frequens communio in uſu eſſe deſiiſſet, panis & farinae loco denarios oblatos. Hae oblationes fiebant in Eccleſia ſingulis diebus, cum quotidie communio celebraretur, poſtea ſingulis diebus Dominicis, & Tertuliani aevo ſingulis menſibus, vid. Tertullian. in Apologet. cap. XXXIX. §. II. ubi & docet quibus haec dona conferebantur. vid. ibid. notae Heraldi & La Cerdae. Has autem oblationes

baris redimere, aere oppreſſos alieno, pauperesque Chriſti ſublevare, diruta templorum ſubrigere, & virgines dote caſſas atque illocabiles decenter nuptui tradere, non dedignarentur. Sed obſecro te, mi Apollo, per viſcera miſericordiae Domini noſtri, quibus viſitavit nos oriens ex alto, quum jam omnia ad cumulum excrevere mala, ut tu ipſe noſtrum noſtratemque Hadrianum

nes & proventus in ſua retinebat poteſtate Episcopus, & diſpenſatio fiebat per Presbyteros & Diaconos c. praecipimus XII. q. I. c. pervenit XVI. q. VII. Et primis temporibus cum vitae ſanctitate & morum probitate Episcopi eminerent, optime hoc munus exercuerunt; verum cum poſtea res Eccleſiaſticas in proprium commodum vertere inciperent, decretum, ut Episcopi *cum conſcientia Presbyterorum & Diaconorum* (id eſt, Presbyteris & Diaconis conſciis, vid. La Cerda ad Tertullian. de Orat. cap. XI. §. IV. & de Veland. Virgin. cap. V.) res Eccleſiae gubernarent. can. ult. Conc. Antioch. Bona enim Eccleſiae non erant Episcoporum vel Clericorum, qui tantum adminiſtratores erant c. quoniam cauſſ. XVI. q. I. c. quod autem cauſ. XXIII. q. VII. c. convenior cauſ. XXIII. q. VIII. c. ſi privatim cauſ. XII. q. I. ſed pauperum bona, unde ea conjungit Iſidorus Peluſiota lib. I. Ep. CCLXIX. ubi v. Rittershuſ. v. & Duaren. lib. II. de Sacr. Eccl. miniſt. c. I. & Tiraquell. praefat. de priv. piae cauſſae. Hinc in can. VI. Concil. Cabilonenſis II. *res Eccleſiae, quibus Episcopi non ut propriis, ſed ut commendatitiis uti debent, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, ſtipendia fratrum in commune viventium* dicuntur. Poſtea vero conſtitutum invenimus, ut omnes Eccleſiae reditus in quatuor partes dividerentur, quarum una adſignata erat pauperibus, cum pauperes ſubveniendi ſint ex bonis & proventibus Eccleſiae L. II. C. de Episc. & Cler. c. decimae tributa cauſſ. XVI. q. I. c. conceſſo c. quatuor XII. q. I. Altera pars cedebat Clericis, quia, qui altari ſervit, de altari vivere debet. c. cum ſecundum & c. exſtirpandae X. de Praebend. & Dignit. Quam partem inter Presbyteros, Diaconos, & caeteros Clericos Episcopus, prout ipſi videbatur, dividebat. vid. Gregorii I. Papae lib. VII. Epiſtol. VIII. Tertia pars in aedificationem templi impendebatur. c. quatuor & c. ſeqq. XII. q. II. c. I. & c. de his X. de Eccleſ. aedific. Primas enim Chriſtianorum opes in comparandis Eccleſiis, iisque ornandis collocatas fuiſſe, multis oſtendit Le Maiſtre de bon. & poſſeſſion. Eccleſ. I. cap. XIV. Imo ea, quae pauperibus debebantur, ab Episcopis & Presbyteris Eccleſiae per amplisſimorum aedificiorum ſtructuras, & inanem ſacrorum pompam abſumpta fuiſſe docet Vitringa lib. III. de Synag. veter. part. I. cap. XIII. Quartam vero partem ſibi retinebat Episcopus, juxta can. VII. & XLVII. Conc. Vormatienſ. can. XXV. Conc. Bracarenſ. I. can. X. Conc. Namnetenſis. can. III. Conc. Dalmatici. vid. Epiſtola tertia Simplicii Papae, & Epiſtola IX. Gelaſii I. cap. XXVII. in lib. II. collect. antiq. canon. poenitent. cap LXXVIII. & ſeqq. apud. Dachier. tom. XI. Spicileg. & Ciaccon. de vit. Pontif. in Simplicio & Gelaſio I. & Garſias Loayſas ad can. V. Conc. Toletan. XVI. non, ut inde lautiorem, uti hodie, vitam agere poſſet; ſed ut inde pauperes peregrinos recipiat atque alat, captivis ſubveniat, &, ut auctor noſter hic dicit, virgines dote caſſas atque illocabiles decenter nuptui tradat, aliaque opera pia faciat. c. vobis c. vulteranae. c. conceſſo c. quatuor & ſeqq. XII. q. II. c. praeſulum XVI. q. III. & praeſertim, ut inde captivos redimeret. vid. can. V. Conc. Aurelian. I. Poſtea vero in omnibus Eccleſiis haec bonorum diviſio abrogata eſt, & nullo pauperibus, quorum tamen propria erant bona, loco relicto, ſingulis miniſteriis certi reditus adjuncti & adſignati, quibus miniſtri tanquam re propria fruuntur, quos reditus miniſteriis adtributos hodie *Beneficia* vocant Canoniſtae. vid. Duaren. lib. II. de Sacr. Eccleſ. Min. I. Polan. Hiſt. Conc. Trid. II. p. m. CCLXXXVI. & Stephan. de Jurisdictione lib. IV. cap. XV. n. XIX. & ſeqq. Haec paulo latius ex origine repetenda duximus, ut inde pateret juſtiſſimam Aurelii noſtri querelam eſſe, cum ſuo tempore, uti & hodie, Cardinalibus Eccleſiae & Episcopatus conferantur, non ut populum eorum curae traditum de religionis articulis inſtruerent, non ut bona Eccleſiarum in uſus pios impenderent, ſed ea in proprium commodum veterent, & ita vitam lautam ac regiam agere poſſent.

num legitime & civiliter instruere non pigriteris, quem & qualem idem ipse omnibus sese exhibere, quales etiam Ecclesiae ministros & officiales sibi adsciscere, atque Imperatoriam cum sacra Synodo, si opus est, interpellare debeat Majestatem, sine qua Ecclesiae pacem & disciplinam dari non posse perspicimus universi. Ego interim dum tu abes, Dominum Deum his quotidie precibus invocabo, dicens:

## ORATIO PRO ECCLESIA CATHOLICA, ET PRO ELECTO, UT CUM SALUTE RHOMAM EXPETAT.

*O Domine Jesu Christe! qui es unicus & fidelis Ecclesiae tuae sponsus, ascendant, quaeso, ad te preces nostrae, & ab ea, quae sponsa tua est, cunctam repelle nequitiam, atque ad ejus commodam innovationem, electum tuum Hadrianum cum omni pace in beatissimi Petri sedem collocare festina. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate essentiae per omnia seculorum. Amen.*

APOLLO. Officium, quod a me precaris, Aureli, obibo perquam libenter. Quid enim suscipere optatius debeo, quam id, quod tu praesertim exigis, quocum ego potissimum omnia cordis mei secreta quam familiarissime communico. Qui enim fieri possit, ut tibi non obsequar, qui votis meis semper obsequeris. Verum hoc mihi summe curandum esse arbitror, qui omnium summo locuturus sum, ut ei saltem viam, qua praecipue ad Dei gloriam, & Ecclesiae profectum praesidere possit, admonendo praestruam. Nam praecipere qualis debeat esse summus Pontifex, pulchrum quidem, sed onerosum & prope superbum; laudare vero, aut laudabilem suis virtutibus optimum quemquam, & qui mundo praesidet universo, cunctis ostendere, & eum qua sit eundum instruere, ac per hoc etiam posteris veluti e specula quod sequatur lumen praemonstrare, idem utilitatis habet plurimum, arrogantiae nihil; sed quum non aliter tecum quam ipse mecum loqui soleo, oro te, Aureli, qui *vir precum es & desideriorum*, Deoque assidue sacrificas, compreceris Altissimum, linguam mihi placabilem conferat & disertam, quae summi Pontificis praecordia penetret, atque in eum, quem Ecclesiae video profu-

profuturum, facile permoveat favorem. Summam quippe mihi hujus rei ſpem ſubminiſtrat probitas & relligio viri, quem tecum prae omnibus unum veneror & obſervo; ſed praeſentia, fateor, tempora me haud modice reddunt ſollicitum, in quibus tot hominum ubique emergunt vitia, ut longe plura mihi culpanda appareant quam laudanda. Tum ſi forſitan laudavero, parcior, ſi culpavero, nimius fuiſſe dicar, quamquam illud pleniſſime, hoc reſtrictiſſime fecero; ita ut graves mihi offenſas ultro-citroque comparem, gratiam vero ſubinde levem, aut certe nullam; haec me tamen non usque adeo territant, ut non mihi pro fide catholica ſatis conſtet animi, quo minus auſim vera dicere, cui incomparabiliter pulchrior, imo & charior eſt veritas tempore Chriſtianorum, quam Helena Graecorum. Scio equidem, & vere ſcio, amicos obſequio, veritate odium comparari, eumque nullam apud homines obtinere gratiam, qui libere, ac ſine omni adulatione veritatem praedicans, enormis vitae geſta coarguit. Haec eſt enim veritatis ſacrae conditio, ut eam ſemper inimicitiae perſequantur, quemadmodum viciſſim per adulationem pernicioſae conflantur amicitiae. Libenter quippe omnes, quod delectat, audiunt, & facile offendit omne, quod nolunt. Quid igitur inter haec faciam, qui veritatis praeco ſum & interpres ſecretorum Dei, qui non niſi vera & ſeria proferre didici? Lego Jonam Amathi, id eſt, veritatis filium, ubi prae interclusi habitus aeſtu obierat, ab Helia reſuſcitatum, in mari a nautis demerſum cetus grandis excipit, & in aridam de ventre ſuo eum revomuit, aeſtuanti prae caumate extra portas Ninive Dominus Deus ederam praeparat, ut eſſet umbra ſuper caput ejus, & protegeret eum; laboraverat enim intenſiſſimo ſolis ardore: et laetatus eſt Jonas ſuper edera laetitia magna. Viden, Aureli, toties veritatem periclitari, minime tamen eam deperire? Ut cum omnis error ac falſitas eam ſibi obtinet conditionem, ut, nullo ſibi obſiſtente, confeſtim conſeneſcat & defluat, ita etiam e regione talis eſt ſacrae veritatis ſtatus, ut, multis quoque repugnantibus, quamprimum reſuſcitetur & increſcat. Vale tu interim, mi Aureli, &, dum vita tibi ſuppetit, enitere bonis libris & ſtudio, ut apud poſteros magna tui pars poſt fata ſuperſtes remaneat ad gloriam Dei, & ad totius Eccleſiae aedificationem. Moleſte quidem fero, (ut verum fatear) te hoc aſſiduo durae ſcribiliginis negotio ita diſtineri, ut incumbere ſtudiis ad votum non valeas. Tuam tamen probamus imprimis

1 Regum cap. XVII. Jonae Propethae c. 1. & 2. Ibidem cap. 3.

imprimis sollicitudinem ac diligentiam, qua dum interdiu propter opus manuale non licet, subsecivas nocturnae quietis horas peractis jam matutinis, vel ad modicum tempus tibi librisque accommodas. Unde & totus ille noster [1] *Reynesius Snoyus*, Medicus & Orator celeberrimus, tuusque Mecenas haud vulgaris, omnes tuas lucubrationes *noctium latinarum*, uti suas Gellius *Atticarum*, inscribere assolet. Deinde illam tui pectoris constantiam miramur sedulo, qua omnes aemulorum injuriolas, sales, technas, literarum studio facile despicis, & virtute tua, scriptisque ita evincis, ut ne pili quidem facias. Age igitur quod agis, laudem post cineres ab omnibus candidis literarum cultoribus obtinebis, modo hic interim enitaris, ut mors quam paucissima, quae abolere possit, apud te inveniat. Interim valeto. Invitus a tua divellor confabulatione, ita me Superi ament. Sed abeundum est, morasque nostras hora castigat.

Reynerius Snoyus.

## AURELIUS ORATIONIS ET DIALOGI MATERIAM CONTINUANS, DICIT:

Tum e vestigio me deserens Apollo, & aurea Mercurii, quum caduceo pridem ipsi donarat, talaria mutuatus, ad electum Rhomanae sedis Pontificem properat, eumque obsequentissime, & cum summa utriusque hominis reverentia salutans, instruit eum ejusque collaterales, quid quemque eorum in suo deceat officio, ac adhuc vacillantem, (quae sua humilitas est) hortatur ad consensum multis de causis & rationibus.

## APOLLINIS ACCURATISSIMA SALUTATIO AD ELECTUM DOMINUM HADRIANUM.

Salutatio.

Salve Virorum doctissime, qui jam tibi pietate super terras habes [2] neminem; utpote successor Petri, Vicarius Christi, Ecclesiae paranymphus, Christus Domini, & Deus Pharaonis. Salve, Doctor

1 *Reynesius Snoyus.*] Fuit hic quoque Gaudanus Batavus, & celebris eo tempore Medicus & Historicus, qui libros tredecim *de rebus Batavicis* conscripsit, qui exstant in Annalibus Belgicis Sweertii, ubi & praefixa legitur ejus vita, conscripta a Jacobo Brassica & Auberto Myraeo, & alia ejus elogia. vid. Miraei Elogia Belgica p. XLVI. & de Scriptor. seculi XVI. cap. I. §. XLV. Valer. Andr. Bibliothec. Belgic. & Heussen. Histor. Ecclesiast. tom. II. pag. CCCCXCII.

2 *Neminem.*] Videtur deesse vox *superiorem.*

*Imperatore*

Doctor veritatis, qui modo assumptus es a Domino in formam omnis justiciae, in sanctimoniae speculum, in pietatis exemplum, in fidei nostrae protectorem, in Christianorum ducem, in Regum patrem, & in legum moderatorem. Salve, Hadriane, virorum aequissime, ultor scelerum, orbis lumen, virga potentium, malleus Tyrannorum, gloria bonorum, nocentium metus, pauperum Advocatus, refugium oppressorum, viduarum judex, pupillorum tutor, oculus caecorum, lingua mutorum, baculus senum, sal terrae, & sacerdos Altissimi. En tibi adsum, o san- Narratio.
ctissime, pro faustis avibus per somnium in visione nocturna, Job. 33.
quum aperiuntur aures virorum a Domino, ut erudiat eos disciplina, & liberet hominem de omni superbia, & vitam illius, ne transeat in gladium poenae. En, inquam, adsum tibi imperio Regis Regum omnium, cui omnia obediunt condita, atque humili praecario Aurelii nostri huc ad te veni, qui te unum unice diligit, veneratur, & observat, ut commonefaciam te super his omnibus reverentissime, quae tui modo sunt muneris atque officii, deinde quos tibi ad decorem domus Dei, & Ecclesiae nitorem, adsciscere debeas assessores, quibus te tuaque secreta intrepidus committere & communicare consilia possis. Imprimis igi- Instructio.
tur, o sanctissime, opus est tibi, ut Christianae reipublicae summopere invigiles, qui nunc omnium habes curam, omnibusque a Domino legitime es praefectus. Accingere itaque gladio tuo super femur tuum, gladio utique spiritus; quod est verbum Dei. Glorifica, inquam, manum & brachium dextrum. Rogas ubi? Audi Prophetam. In faciendo vindictam in nationibus pravis Turcorum, increpationes in populis perversis Christianorum, in alligando Reges rebellium factiosorum in compedibus excommunicationis, & nobiles eorum in manibus ferreis severae maledictionis. Si haec pro tua dignitate, Pater sanctissime, juxta canonum scita peragis, honorificas procul dubio monitu beatissimi Pauli ministerium tuum, nec minus te ministrum: ministrum, inquam, Ecclesiae te esse considera, non Dominum. *Qui major est vestrum* Lucae 22.
(ait Dominus omnium) *fiat sicut junior, & qui praecessor est, sicut qui ministrat. Omnis enim, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Haec est, o electe Domini, forma Apostolica, qua tibi omnis dominatio interdicitur, indicitur omnimoda ministratio, ejus nimirum exemplo, qui in Euangelio dicit: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat; non* Ibidem.

 *enim*

Math. 9. *enim veni ministrari, sed ministrare.* Sis igitur ex corde servus servorum Domini tui sub veste aurea. Caeterum, tui praecipue muneris fiat, o sanctissime Pater, malas extirpare bestias de finibus tuis, ut greges tui securius in pascua deducantur. *Super aspi-*
Psalm. xc. *dem*, inquit ad te Propheta, *& basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Serpentis astutias, Leonis saeviciam, Draconis insidias noli timere. Non te frangat Leo, qui aperte saevit, dum matres occidit: non te decipiat Draco, quum tibi haeretici insidiantur. Leonem patientia, Draconem & Basiliscum vincito sapientia. Praeterea domabis lupos, sed ovibus non dominabere, quas profecto pascendas, non premendas a Do-
Lucae x. mino suscepisti. Stabularius Christi factus es, curam illius habe, qui incidit in latrones, & gravissime vulneratus jacet. Sic te exi-
I ad Corinthios 4. stimet omnis homo ut Dei ministrum & dispensatorem ministeriorum Christi, ut altus sedens non alta sapias, nec ambules in magnis neque in mirabilibus super te. Ea demum lege summum te factum esse a Domino ex humili cognoscito, ut summum virtutibus etiam te mundo exhibeas. At ne plus justo longior sim, neve sus Minervam docere, aut solem facibus velim accendere, obsecro te per mansuetudinem Christi, ut secundum traditam tibi a Domino sapientiam, omnia perficias, ut, vel te praeside, Ecclesia in cunctis proficiat, & obstruatur os loquentium iniqua.
I Reg. x. Num salvare nos poterit iste, qui ultimo terrarum est clymate genitus? Tu interim haec (quae tua modestia est) audire te dissimula, & in omnibus & pro omnibus, sive Rhomani, sive Germani fuerint, tene modum, si non cum nomine tuo, (qui testis mensurae diceris) vis perdere modum. Si quando tibi, (ut plerumque fit.) cathedra blanditur, confestim memento eam esse speculam, verum tu longe prospiciens, omnibus cura pastorali vigilantissime superintendas. Nam Episcopi nomen (ut verum fatear) non dominum, sed officium sonat. Speculatorem te fecit Dominus omnium super domum suam, ovesque suas, quarum si vel extrema perierit, aut a bestiis capta fuerit, sanguinem ejus de manu tua requiret. Neque enim videre poteris in regno claritatis faciem Domini, nisi adduxeris tecum fratrem tuum minimum. Sic igitur, o sanctissime Praeses, praesis ovibus Domini Dei tui, ut provideas, ut procures, ut consulas, ut consoleris, ut conserves. Praesis, inquam, ut prosis, praesideas, ut fidelis servus
Math. 24. & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut des

*Hadrianus interpretatur testis mensurae.*

*Episcopus dicitur superintendens.*

*Ezechielis 33.*

*Genes. 43.*

*Epilogus omnium praedictorum.*

des illis cibum in tempore, & tritici menſuram ſecundum nomen Lucae 12.
tuum, hoc eſt, ut ſis diſpenſator, non imperator, ut diſpenſes, non diſſipes, ut miniſtres, non imperes. Petrus Apoſtolorum facile princeps & primus Chriſti in Eccleſia Vicarius, quamquam minime prodibat in publicum vel gemmis ornatus, vel ſericis aut auro tectus, aut candenti vectus equo, aut circum ſtrepentibus undique ſeptus miniſtris, ſatis tamen credidit ſine his ſe Domini ſui impleſſe mandatum, quo ei dixerat; *Petre, ſi amas me, paſce oves meas.* Porro quum tu, o Sanctiſſime, nunc pro temporis merito, & pro majeſtate quam geris, deauratus incedas, & purpuratus, non quidem hoc (ne mentiar) a beatiſſimo Petro, ſed a liberaliſſimo [1] Imperatore Conſtantino accepiſti; neque tamen propterea curam omnino abjicere debes paſtoralem ſummi paſtoris haeres ac Vicarius. Quaeris quid hoc? Noli, inquam, inter has ſeculi pompas erubeſcere Euangelium. Summa tibi gloria fuerit Apoſtolos, quorum nunc vicem geris, in hoc imitari, quibus dicitur. *Ite in orbem univerſum, & praedicate* (inquit), non Philoſophum, non Platonem, non Scotum, ſed prorſus *Euangelium omni creaturae*, Graecis & barbaris, ſapientibus & inſipientibus, debitor factus es, omnium ſitire & procurare ſalutem tibi modo incumbit. Opus igitur fac Euangeliſtae cum omnibus tuis, & optimi, accuratiſſimique paſtoris officium & munus adimpleſti. Euangeliſare quippe Chriſtum eſt ejus oves deliciosiſſime paſcere. Cura igitur, optime Praeſul, Domine Hadriane, & noli deficere, vigila, praedica verbum, inſta opportune, & erraticas oves ad fidei caulas reducere, tuorumque ſemper inaugere numerum fideliter elabora. Voca eos, qui foris ſunt, ut intrent, eruditionis verbo, non internecionis ferro. Et quid tibi denuo (ut cum venia loquar) gladium occiſionis uſurpare tentas, quem ſemel juſſus es in vaginam reponere? Tuus tamen eſt (quisquis eſt) & non niſi tuo nutu, ſed non tua manu evaginandus. Apoſtolis quippe dicentibus, *ecce duo gladii hic*, Dominus reſpondet, *ſufficit*. Uterque igitur, & ſpiritualis, & materialis Eccle-

[Marginal notes: Ad Romanos 1. — 2 ad Timoth. 4. — 2 ad Timoth. 4.]

1 *Imperatore Conſtantino.*] Reſpicit auctor donationem Conſtantini, quam tamen fictam jam diu monuerunt eruditiores, & generoſiores Rhomanenſes agnoverunt. vid. Bank de tyrannid. Papae c. XII. Limnaei jus Publ. I. cap. IX. n. XXXVIII. & ſeqq. Camerar. Hor. Subſeciv. c. LXI. Cothmann. ad Lib. I. Cod. tit. I. quaeſt. ult. n. LXXXIX. & ſeqq. Wolfii Lection. Memorab. tom. I. p. CII. & DCCXLVI. Matth. tom. III. Anal. vet. aevi pag. CCXLIX. & tom. IX. Analect. in dedicat. & Du Pin Biblioth. Eccleſ. tom. II. pag. XVI. & ſeqq.

Ecclesiae est: Iste pro Ecclesia, ille ab Ecclesia exerendus est. Porro te non ad otia, sed ad maxima quaeque negotia, ad labores, curas, & sollicitudines omnium Ecclesiarum, in beati Petri sedem conscendisse intellige. Non igitur stet pes tuus, non cesset manus tua, neque lingua haereat, o homo Dei, quem docuit Deus, planta, irriga, & Dominus incrementum dabit, lassis fer opem ovibus, circumito omnem cum Samuele & Domino Ga-
Actor. xx. lilaeam, & docendo errantes reducito. Attende tibi & universo gregi, in quo Spiritus sanctus te pastorem posuit, regere, & erigere Ecclesiam Dei, quam suo acquisivit sanguine, & tui officii partes ingenue explicueris. Tua etiam singulariter refert, Pater sanctissime, omnem, quam poteris, navare operam, ut increduli ad fidem convertantur, conversi non avertantur, aversi ut ocyus revertantur, & reconcilientur, non oblato pecuniae pretio, sed
2 ad Timoth. 2. allato poenitentiae praemio; ut Deus det illis gratiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a laqueo Diaboli, a quo captivi tenentur. Tuum quoque fuerit, beatissime Praesul, ut perversos ad rectitudinem, subversos revoces ad veritatem, subversores autem Euangelica ratione superatos aut emendes, si corrigi non possunt, aut certe alios subvertendi eis adimas facultatem, qui parvulos Ecclesiae passim & publice properant deglutire. Quod si irrefragibili autoritate tua feceris, expectatissima profecto spon-
Cant. 2. sae tuae vota mox impleveris, quae tibi dicit: *Capito nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas.* Et qua, obsecro, conscientia, aut temeritate illis Christus non offertur, qui eum nondum habent? An veritas Dei modo in justicia est detinenda? Qua
Ad Rhomanos 1. putabimus ratione, sermonem Domini, qui olim ab Jerusalem usque ad Illyricum, & per orbem fere discurrebat, vix in sola modo Europa subsistere? Et quis rogo hunc salutarem cursum verbi & fidei (nam fides ex auditu) primus inhibuit? Quis obsecro? Ambitio, inquam, & fastus Praelatorum, & torpor at-
Charitas. que socordia, livor & dissidium, charitatisque inopia praedicantium. Qui, proh dolor! hodie minus sincere quid rectum est docent, nec cum Apostolis Christi negocium fideliter peragunt, sed proprio quaestui, quisque potius inserviunt compendiis, dum magis semet ipsos haud citra assentationem praedicant, quam eum, qui nos suo redemit sanguine, & qui pro nobis mundum vicit, non armato milite, sed irrisa cruce; facti sunt enim (ut ita loquar) hodie ministri Ecclesiae Sardanapali, id est, vacan-

tes, & deliciosi, qui debuerant esse Tharsanapauli, augendae semper relligionis studiosi. O ambitio, agnata & individua ambientium crux, quomodo universos torques, & omnibus places! Nihil siquidem acerbius cruciat, nihil molestius hominem inquinat, nihil tamen apud mortales ejus negotiis atque versutiis habetur modo celebrius. O Ambitio absconditum, & subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, charitatis simia, tinea sanctitatis, livoris parens, vitiorum origo, excecatrix cordium, quae Angelum e coelo dejecisti, quae hominem immortalitate spoliasti, quae ex remediis morbos, ex medicina languorem generas! Ambitiosus quippe statim, ubi in honoris gradum conscendit, jactantia effraenatur, superbia extollitur, jam prodesse non curat, sed omnibus praeesse gloriatur: hoc solo praesumit se aliis meliorem, quod se multis cernit superiorem: Priores dedignatur amicos, ignorat hesternos, comites contemnit antiquos, vultum avertit, erigit cervicem, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia semper meditatur, subesse non patitur, praeesse molitur, subditis onerosus, gravis omnibus, arrogans, praeceps ac molestus. An non Apostolorum limina, plus jam ambitio (vultum magis bonum habens, quam ingenium) proterit & visitat, quam ipsa pectoris devotio? An non vocibus pariter & votis ejus (quam execrantur) ambitionis, tota die sacrum resultat consistorium? An non quaestibus ejus & lucris universa legum & canonum insudat disciplina? O quanta emunguntur in Urbe miserorum marsupia, appellationibus, concessis, exemptionibus, indultis, dispensationibus, diplomatis, habilitationibus, gratiis, & turpibus conjugum divortiis; haec sunt quippe novem gentes alienigenae, quae semper Ecclesiae Dei reperiuntur infestae, eamque spoliant & diripiunt. Hi etiam sunt veluti novem menses, quibus Rhoma impraegnatur, parturit & impinguatur, circumorta filiis, ut Domina gentium, & Princeps Provinciarum. At vero in his omnibus horumque similibus (ut sedi Apostolicae ad gloriam plurima concedamus) tuum nihilominus fuerit perspicaciter providere, ut justicia semper & ubique praevaleat, & non dominetur iniquitas, quae devoret pauperem in abscondito, & ne ipsa ambitio, subjectionis impatiens, magis quam pia devotio tuum super quacunque re imploret auxilium. Dicito aedituis & custodibus Curiae tuae, quod in Esaia legimus: *Aperite portas, & ingrediatur gens justa, gens custodiens veritatem.*

Ambitio.

Allegoriae.

Esaiae 26.

*Vetus error abeat, servabis pacem, pacem his qui in Deo forti sperabunt.* Ita ut oppressi dicant tibi quod sequitur. *In semita judiciorum tuorum, Pater sanctissime, sustinuimus te, nomen tuum, & memoriale tuum in desyderio animae. Cum feceris judicia tua pro pauperibus & egenis terrae, justiciam discent habitatores orbis.* Tui praeterea muneris fuerit super universum Ecclesiae statum circumspectissima sollicitudine invigilare, ut aedificetur, ut proficiat, ut non destruatur, & deficiat, accurataque perpendere contemplatione, si populi Clericis, si Clerici Sacerdotibus, si denique Sacerdotes Deo, qua oportet humilitate, ac benevolentia sint subjecti. Sanctitatis quoque tuae refert quam maxime, ut perquiras diligenter, si in Monasteriis, & relligiosorum locis servetur ordo, & vigilet disciplina, si super opera prava, & dogmata perversa & obsoleta, sacrorum canonum vigeat censura, si floreant, inquam, vineae sanctimonia & honestate sacerdotum, si flores fructus parturiant obedientia & charitate fidelium populorum: si Apostolica demum instituta, qua decet sollicitudine, ab omnibus observentur. Hae tibi sint artes, studium hoc, cura omnis honorque, *parcere subjectis ac debellare superbos*, Ecclesiamque novis, Pater, instaurare statutis. Hic tuus esto labor fidei, qui sceptra gubernas, & qui te Christi Vicarium geris. Agnoscito, Hadriane, Episcoporum Princeps, & haeres Apostolorum, haereditatem tuam nunc in cruce Christi, & in arduis plurimisque laboribus & angustiis collocatam, si labor terret, praemium invitet. Et quid dicam: plena est ambitiosis & praedonibus Ecclesia. Quid facies? Periculosa jam non modo instant, sed & astant tempora, & a minimo usque ad maximum omnes avaritiae student. Quid facies? Fraus, circumventio, adulteria, furtum, mendacia, rapinae, fastus, & violentia invaluere super terram. Quid facies? Quid? Num his forsitan exterritus, continuo electioni de te legitimo ritu celebratae renunciabis? Minime, noli, obsecro, noli hanc injuriam Spiritui sancto irrogare, qui te elegit in aedificationem corporis Christi. Omnis enim pietas a Domino Deo est, & qui ei resistit, divinae profecto ordinationi resistere prohibetur. Verum enim vero, etsi hoc praesidentiae munus (quae tua summa humilitas est) verecunde excuses, minime tamen decet, ut illud obstinatius recuses. Sufficit conscientiae non ambire, proderit plurimis te pie annuere. Jam enim laetatur oppressus te judice, hilarescit miser te parente,

Brevis formula reparandae Ecclesiae ad statum Apostolicum.

Canticorum VI.

rente, exultat litteratus te Mecenate, gaudet nobile Trajectum te patrono & concive, tota denique plaudit Germania te summo Pontifice; sed & Imperator ipse tripudiat te praeceptore. Non igitur (obsecro) te exterreant lupi, & bestiae saltus, quas interim patitur Ecclesia. Vicarius Dei es, Sacerdos magnus, gubernatu Noe, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, judicatu Samuel, unctione Christus, & noster in orbe Deus. Christum igitur imitare, inardescat zelus tuus pro decore domus Dei, & pro contritione Joseph, qui assidue tunica spoliatur polimita, distrahitur, & exossatur. Exurgat potentiae tuae auctoritas, cui a Domino claves regni coelorum sunt traditae, cui oves Christi peculiariter creditae. Exurgat, obsecro, adversus omnem impudentiam, ambitionem, insolentiam, & quorumlibet omnium perniciosam pestem atque tyrannidem. Accipe tibi flagellum Domini, & ejice de Ecclesia omnes ambitiosos, versipelles, nummularios, raptores, adulteros, & teterrimam Simonis magi prolem. Ejice, inquam, istos, qui docuerunt linguas suas loqui mendacia, diserti in Rota tua adversus justiciam, & eruditi plane, ut falsitatem erigant & concinnent, ut veritatem supprimant, & evacuent. Ejice praeterea universos in primis & de Curia tua, deinde etiam de Ecclesia, qui sapientes sunt, ut faciant mala, bona autem facere nesciunt, callidi, pestilentes, impii in Deum, temerarii in proximum, seditiosi in invicem, aemuli in summa & in omnes. Hi sunt, qui subesse despiciunt, & praeesse non norunt, superioribus infideles, inferioribus importabiles, omnibusque contumaces & rebelles. Quid pluribus moramur? Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae, gens proterva, plebs insolens, & subjici nescia, nisi quum resistere nequeat, paci insueta, & tumultibus arroganter assueta, imo & venenis armata, si gladiis vincere nequit. Amoto igitur, o Beatissime, universo hujusmodi hominum genere pestilenti, curae tibi sit tales reassumere, qui tibi ut fideles ministri assidue & reverenter assistant, in quibus requiescere possis *dulciter ac secure, & quidem sine omni metu, & absque nefanda suspitione veneni spiritus tuus*. Qui non sint attrita fronte, qui adventantium manus non attendant, sed necessitates & causas, qui stent viriliter pro afflictis, & judicent in aequitate pro mansuetis terrae, qui sint omnes consilio providi, actione strenui, jussione discreti, moribus compositi, patientia probati, sanctimonia splendidi, censura pro tempore & merito causae rigidi,

gidi, fide ferventes, unitatis & concordiae amatores, spe futurorum, non praesentium, gaudentes, Domino soli, non suo ventri ac ambitioni, servientes. Si quos autem cupias pro Ecclesiastica utilitate, & Christiana republica, legationis tuae fungi officio, tales emittere curabis, qui post aurum non abeant, sed Christum sequantur, qui legationem suam quaestum non aestiment, nec requirant datum, sed fructum animarum, memores *Martini* & *Gaufridi*, de quibus fideles hoc, quod subjicimus, narrant historiae. Primus itaque (*Martinum* loquor) tum Cardinalis Presbyter, functus in Dacia legatione, tam pauper ac tenuis inde remeavit, ut pene deficientibus equis, vix Florentiam pervenerit, ubi e vestigio Episcopus loci equum ei donavit, quo *Pisas* usque pervectus est. Post triduum autem secutus Praesul Florentinus amicorum suffragia requirere cepit. Erat enim ei causa cum adversariis, & jam tum agendi aderat dies: cumque per singulos sollicitaretur, tandem ventum est ad hunc, (de quo loquimur) *Martinum*; fiducia quippe ei major prae caeteris erat in illo, qui recentis beneficii immemor esse non possit. At tum *Martinus* decepisti me, inquit, o Pontifex Florentinorum, decepisti, quia nesciebam tibi quippiam negotii imminere. Tolle igitur equum tuum quem dedisti, en habetur in stabulo, atque eadem hora indilate eum Praesuli resignavit. O admirandam & laudabilem nimis hujus Legati modestiam, cumque de terra auri sine auro rediisse, transisse nihilominus terram argenti, & argentum nescisse, donum insuper, quod paulo ante poterat esse suspectum, illico rejecisse! Alter quoque (*Gaufridum* dico) qui [1] Carnotensis Episcopus cum in Aquitania legationem administraret, & a quodam sacerdote ei piscis praesentaretur, (quem vulgo sturgionem vocant) percunctatus quanti venierat, non accipio, inquit, nisi tu pretium receperis. Ecce quomodo hi duo excusserunt manus suas ab omni munere, exemplo Abrahae, qui nolebat a Rege Sodomorum de omni substantia ejus quippiam accipere, ne dicas, inquiens, *ego ditavi Abraham*. Sed & uterque horum libere illud Samuelis ad omnes dicere poterat, ubi ait: *Loquimini de me coram Domino & Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum, si oppressi aliquem, si de manu cujuspiam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis*. O Dive & augu-

De legatis Apostolicae sedis. — Martinus. — Gaufridus — Gaufridus — Gen. XIV. — I Regum XII.

[1] *Carnotensis Episcopus.*] Hic Ivoni, qui illud volumen quod *Decreta Ivonis* vocant, composuit, successisse dicitur a Roberto de Monte append. ad Sigobert. Gemblac. ad ann. MCXIV.

augustissime Hadriane, Pontifexque maxime, si talium tibi copia daretur virorum, quid te uno felicius, quid nostro jucundius seculo? O si videre posses in vita tua Ecclesiam Dei talibus innexam columnis! O si Domini tui sponsam cerneres tantae commissam fidei, tantae creditam puritati? quid tum (obsecro) te uno esset beatius, quidve securius, quum ejusmodi viros vitae tuae & custodes inspiceres simul & testes? Qui gratis, tuoque ex nomine facerent judicium injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui legatione defuncti redirent ad te, o Sanctissime, fatigati quidem, sed minime argento suffarcinati; sed & insuper gloriantes in Domino Deo tuo, non quum preciosissima quaeque terrarum attulerint, sed magis quum pacem regnis, legem Barbaris, Provinciis pacta morum, quietem Monasteriis reliquerint, & ipsi tandem Deo suis exhortationibus populum acceptabilem, bonorumque operum reddiderint sectatorem: Postremo, ut breviter omnia finiam, & complectar, hoc unum tibi interea consultum esse velim, sanctissime Pater, ut pro Ecclesiastico statu in melius jam jamque reformando universali indicta synodo, Imperatoriam non differas implorare Majestatem. Quae duplici quidem conditione ac titulo nonnihil juris obtinet in abolendis ex tuo consensu, teque praeside, Clericorum erratis. Rationi enim consentaneum est, ut qui criminis insoliti occasionem tribuit, hic ejus rursum abolendi praestruat cautionem. *Constantinus* etenim ille (quem *magnum* vocitant) dum Ecclesiam pietate quadam pellectus locupletare studuit, multis materiam praestitit delinquendi, & dum clero gratificari voluit, haud minime videtur obfuisse. Quomodo enim (ut verum fatear) sacerdotum innocentia inter tot opes, magistratus, dignitates, & rerum temporalium administrationes, incolumis esse poterit, & syncera? contradicente Domino qui minime fallit. *Nolite*, inquit, *thesaurisare vobis super terram, nolite possidere aurum neque argentum, nolite portare sacculum, neque peram, neque duas tunicas habeatis.* Ecce paupertatis magister & exemplum Christus Jesus pauperes sibi elegit ministros, & qui omnia reliquerunt, ut eum expeditius sequerentur. Rogas quare? Audi. *Qui volunt* (inquit Paulus) *divites fieri incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & in desyderia multa, inutilia, atque nociva, quae homines in interitum mergunt, & perditionem; Nam radix omnium malorum est cupiditas, quam plerumque appetentes*

Redit ad Legatos.

Revertitur ad summum Pontificem.

Imperatoris partes in Conciliis.

Constantinus magnus donator.

1 Ad Timoth. VI.

*tentes erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem homo Dei* (inquit Apostolus) *haec non fuge modo, sed & securim ad radicem hanc ponito, ut vel tandem densissima arbor Regis Nabuchodonosor, quam in Ecclesia plantavit, cum omnibus ramis suis corruat & eradicetur.* Ecce nunc apertissime vides quomodo piissimi *Constantini Caesaris* donum plurimis factum est perniciosissimum perditionis venenum. Apostoli invicem querebantur, *non esse aequum relinquere se verbum Dei & ministrare mensis*, quanto magis iniquum est summo Sacerdoti exigere vectigalia, curare aerarium, militibus stipendia numerare, & mille hujusmodi curis implicari. Numquid Aaron primus & summus apud Hebraeos Pontifex, cum caeteris Laevitici generis ordinibus aliud quam Domini tabernaculum curabat? Cujus nimirum filii, qui ignem alienum thuribulis suis imposuissent, igne coelesti conflagrarunt. Et tu inquam, o Caesar, vides nos ignem prophanum secularium divitiarum in sacerdotalia opera, veluti in sacrata Deo thuribula (quod nobis prohibitum est) assumere? Num Heleafernum Phinees, num caeteri ministri domus Dei quicquam, nisi quod ad rem pertineret divinam, administrabant? Te igitur, o Caesar, per tuas aras, tuaque sacratissima oro templa, quae innumeris decorasti muneribus, ut propitio ac faventi omnipotentis Dei numine, tuis tibi reassumptis, permittas nos cum Levitis de decimis & oblatis in pace vivere, aut certe mecum omnem Clericorum insolentiam, temeritatem & arrogantiam, ad frugalioris vitae moderationem reducere non pigriteris; dignus est enim privilegium amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Postremo, quum Imperator *Constantinus* non ita omnem abs se Ecclesiae curam cum donatione sua abjecerit, ut etiam patronatus sibi jus in hujusmodi largitionibus non reservarit, dignum arbitror, pientissimum Imperatorem Constantini successorem, *Charolum* nostrum, imo tuum, cujus itidem tu praeceptor fuisti, & qui suapte natura in id satis propendet, cleri errata, vulgique exorbitantias, coacto per orbem Concilio, properes ocyus castigare. Vale, Pancratice, Basiliceque, haec tibi quae cecini nitido sub pectore serva, Aureliique tui charitatem & curam (quae me ista tibi per quietem jussit reverenter suggerere) non ut ingratam habeto.

[Margin notes: De Donatione Constantini Imp. — Aaron. — Levitici x. — Apostrophat ad Caesarem, qui Ecclesiam locupletavit. — Jus patronale.]

DOMINUS

## DOMINUS NOSTER JESUS CHRISTUS, SUMMORUM CAPUT PONTIFICUM, LOQUITUR AD MAGISTRUM NOSTRUM HADRIANUM TRAJECTINUM, HISPANIARUM ARCHIEPISCOPUM, ET NUNC RHOMANAE SEDIS ELECTUM P. M.

Unica Trajecti lux, gloria, fama, triumphus,
Ecclesiaeque meae sponsus, & omne decus.
Maxime Pontificum, nostro hanc qui numine sedem
Accipis, Ausonidum nunc amor unus ades.
Lex sophiae, tutor fidei, defensio plebis,
Vox Regum, ac inopum lingua manusque pia.
Doctrinae fulgur, jus causae, terminus irae,
Eloquii flumen, sal populi, arca cibi.
Ex te Rex artes, moresque adsuxit avitos,
Consiliisque tuis res, Hadriane, gerit.
Expediam paucis, quae te curare volebam,
Quo duce vel tantus jam tibi crevit honos.
Induperatorem primum, Regesque per orbem
Conciliare stude. nil sine pace valet.
Per te pax redeat, per te caditura simultas,
Nullius arma valent, quod tua lingua facit.
Attrahis ac stimulas monitu, & virtute magistra,
Canicieque gravi pectora sana moves.
Jam sat saevitum est, proh sat jam sanguinis haustum est,
Sit meus ille cruor Regibus aequus amor.
Mars furit, evadunt proceres, pia turba necatur,
Insanit pastor, de grege cura brevis.
Hunc rapina, fames, grandisque exactio vexat,
Sed qui compatitur nemo repertus ei;
Si quando ovibus lupus insidiatur, & urget,
Sedulus assistas, sisque medela potens.
* Insidiatores removens odium omne rescinde,
Nequitiamque omnem, quae mea membra premat.
Si facis, ipse tibi merces ero, sin minus, ecce
Supplicio aeterno teque tuosque dabo.

Duo committit summus pastor suo vicario Adriano: primum, ut inter Reges ante omnia pacem reconciliet, ut ovibus suis studiose invigilet.

* Haereticos.

En ego ſum Dominus, noſterque Vicarius ipſe es.
Si bene ovile regis, praemia magna capis.
Coge pecus, vigila, ſerpens latet ater in herba:
En tibi do curam, redde, redibo cito.

## EPITAPHIUM HADRIANI SEXTI SUMMI PONTIFICIS, NATIONE GERMANI, PATRIA TRAJECTINI. QUAESTIO VIATORIS.

Dic Hadriane mihi, cur tam breve tempus in aula
Praefueris Petri, vix data bruma duplex.

## RESPONSIO DOMINI ADRIANI.

Ne mirere precor, qui mores fataque noſti
Rhomulidum, exodiunt hi bona, prava colunt.
Invidia & livor ſemper dominantur in iſtis,
Imperiumque negant ferre, jubere volunt.

## ORATIO EJUSDEM AD DEUM ET APOSTOLOS PETRUM AC PAULUM.

O Deus, o ſummi duo lumina magna Senatus,
Hanc ego quam patior, ſuſcipite (oro) necem.
Sitque animae requies, ſibi quam Rheteus abegit.
Dum tibi ſacrifico, Chriſte, valete mei.

## CHRONOGRAPHIA ANNORUM IN LITERIS NUMERABILIBUS.

De nihilo ad celſos conſcendi pauper honores,
In cineres redeo, bis ubi bruma redit.

## ALIUD EJUSDEM EPITAPHIUM, IN QUO OMNIS VITAE EJUS STATUS, DIGNITAS, ET CURSUS PASSIM COMMEMORATUR. ADRIANUS PAPA AD VIATOREM.

Nemo ſibi in rebus ſpem ponere, quaeſo, caducis
Occipiat, votis fallitur ille ſuis.

Pauper

Pauper eram, ac tenui vivebam (credite) victu; Sc: mihi.
Inservire aliis gloria summa fuit.
Expertus referam, qui cum fortuna frequenter
Lusit, & assiduis me extulit ipsa jocis.
Praepositus templi (tibi quod Salvator adoptas Praepositus ad sacrum Salvatorem Trajecti.
Arxque tibi extruxit Anthoniana) fui.
Inde Decanus eram Petri, Doctorque vocabar
Et Rector, studii Lovanium ipse tui. Lovanii.
Induperatoris praeceptor, Episcopus idem Caesaris praeceptor. Episcopus.
Celtiberum, & fratrum cardinis unus ego. Cardinalis.
Ast ubi decessit decimus Leo, sorte benigna
Eligor in Papam, quid mihi restat adhuc? Papa.
Quid? nisi summa lues, dolor intolerandus, & horror,
Dum Rhodus excutitur, nilque juvare queo.
Charolus oppugnat Gallos, heus Ecclesiae res!
Nemo est qui reputet, cuncta furore jacent.
Bis denos sedeo menses, dum cruxque levatur,
Morte mala rapior. Quaeso valete mei.

ALIUD EPITAPHIUM IN EUNDEM.

Hirus eram, Croesusque fui, sic fata volebant,
Infimus & summus, tam varia heus mea sors.

ALIUD AD STUDENTEM.

Doctrinae merito conscendi pauper in altum,
Discito quaeso lubens, par mihi forsan eris.

FINIS.

Pauper eram, ac tenui vivebam (credite) victu,
Inferiore aliis gloria summa fuit.
Expertus referam, qui cum fortuna frequenter
Lusit; & assiduis me exuit ipsa jocis.
Praepositus templi (ubi quod Salvator adoptas
Atque tibi extruxit Antoniana) fui. Praepositus ad sanctum Salvatorem Trajecti.
Inde Decanus eram Petri, Doctorque vocabar
Et Rector, studii Lovaniensis ipse tui. Lovanii.
Induperatoris praeceptor, Episcopus idem Caesaris praeceptor. Episcopus.
Celtiberum, & fratrum cardinis unus ego. Cardinalis.
Ast ubi decessit decimus Leo, sorte benigna
Eligor in Papam, quid mihi restat adhuc? Papa.
Quid? nisi summa lues, dolor intolerandus, & horror,
Dum Rhodus exciditur, nilque juvare queo.
Charolus oppugnat Gallos, heus Ecclesiae res!
Nemo est qui reputet, cuncta furore jacent.
Bis denos sedeo menses, dum cruxque levatur,
Morte mala rapior. Quaeso valete mei.

ALIUD EPITAPHIUM IN EUNDEM.

Irus eram, Croesusque fui, sic fata volebant;
Infimus & summus, tam varia heus mea sors.

ALIUD AD STUDENTEM.

Doctrinae merito conscendi pauper in altum,
Disce quaeso lubens, par mihi forsan eris.

F I N I S.

# ILLUSTRIORA
# HADRIANI SEXTI,
# ELOGIA
ET
## BREVES VITAE EJUS
## DESCRIPTIONES.

# ILLUSTRIORA ELOGIA HADRIANI SEXTI.

# CAELII CALCAGNINI PRO ORATORIBUS FAVENTINIS ORATIO AD HADRIANUM SEXTUM.

Extat in oper. ejus pag. DXXVII.

Licet nobis persuasum sit, Pater beatissime, nos publicam agere caussam laetitiae, quod unus omnium integerrimi nominis, & magnae celebritatis Princeps, ad augustum illud fastigium pervenerit, non hominum magis judicio, quam Dei nutu provectus, & quod nunc demum incolumis, superatis tot maris ac terrarum periculis, ceu sidus salutare Italiae affulxeris; privata tamen & particularis haec populo & Reipublicae Florentinae caussa laetitiae, tum quod nos omnium maxime perpetua & singulari fide sacrosanctam sedem Pontificiam sumus prosecuti, in cujus gratiam ad internecionem usque saepe depugnavimus: tum quod ex conscientia rerum gestarum certior nobis spes arrideat optima quaeque optandi ac sperandi a magnitudine tua, vel quod nuperrime post excessum Leonis sanctissimi Pontificis,

Respublica noſtra in magnis rerum & periculorum fluctibus conſtantiam ſervarit, atque inconcuſſa permanſerit. Nam pleraeque civitates finitimae, vel externis vel inteſtinis motibus perculſae, non poſſunt ſolidam & abſolutam ad Te, Pater beatiſſime, perferre. Nobis domi ac foris certa pax manſit, Tibique, quamvis abſenti, quamvis tot terrarum & regionum ſpatio disjuncto, quamvis varia & incerta de ſalute tua nuntiarentur, Tibi tamen uni ſemper excubavimus, Tibi civitatem & Tibi animos noſtros, Tibi omnium ordinum obſervantiam & concordiam ſervavimus. Atque hoc profecto laetitiae noſtrae accedit, quod qui prius, Te abſente, multum extimeſcebamus, ne qua nobis calamitas ſolidum hoc gaudium & partam hanc felicitatem praecerperet, nunc demum, Te Dei Opt. Max. benignitate ſervato, & ad nos, ut alii putant, ex Hiſpania, ſed ut nos putamus, e coelo demiſſo, liberius jam licet & ſecurius animo conquieſcere. Te enim paſtore ac duce praeſente, non eſt, quod oves Tibi creditae ſub ſapientiae patrocinio ullos ferarum incurſus expavescant. Et profecto ejus Pontificis, qui tanta hominum in ſe ſtudia excitarat, partes exiſtimamus, quos pacatos tranquilloſque acceperit, eos ipſos ſibi omni felicitate auctiores reſtituere. Nullum enim majus bonitatis & magnitudinis eſt argumentum, quam late in omnes, benemeritos praeſertim, felicitatem propagare, ſummumque illud bonum, quod nullum neque locum neque tempus clementiae & beneficentiae ſuae reliquit immune, quantum mortalitati noſtrae liquet, imitari. Haec ſpes atque opinio toto prorſus animo excepta, magna eſt hujuſce gaudii, quod ad Te afferimus, acceſſio. Haec effecit, ut municipes noſtri tria nobis potiſſimum in mandatis darent: imprimis ut ſanctum hoc faſtigium, ad quod divina bonitas, & Tua Te virtus provexit, recentemque & ſalutarem adventum Tuum, Tibi gratularemur: tum ut urbem, Populumque Faventinum, in manum ac poteſtatem Tuam obſequenter traderemus: poſtremum, ut civitatem Tuae majeſtatis ſtudioſiſſimam, Tibique ſingulari fide obſtrictam, enixe atque omni animi captu commendaremus. Primo illo gratulandi munere neque Decuriones neque populus Faventinus ſperavit vel nos, vel quemquam majore illuſtrem facundia, pro rei dignitate ac magnitudine ſatis poſſe defungi. Neque nos ſane exiſtimavimus commodius votum Reipublicae noſtrae implere poſſe, quam ſi hoc omne quidquid eſt laetitiae & gratulationis Tibi ſignificaremus, a concepta ſpe ſalutis & utilitatis noſtrae proficiſci. Nam quum caeteras omnes virtutes miremur, beneficentiam tamen & juſtitiam praecipue colimus & charitate proſequimur, quod hae virtutes ad ſocietatis magis humanae, quam eorum, qui eas poſſidet, utilitatem paratae ſint.

Et

Et enim ita natura comparatum, ut id maxime homines ament, eoque vehementer alliciantur, quod ſibi commodo futurum ſperant. Nos itaque eo majorem laetitiam concipimus, quod omnem iſtam celebratam bonitatem, prudentiam, juſtitiam, rerum maximarum experientiam, iſtam animi magnitudinem, ad rei Chriſtianae decus reparandum natam atque inſtitutam, excelſam iſtam aciem mentis ad res arduas & excellentes, ipſamque divinitatem contemplandam exornatam, tot denique illuſtres animi dotes, tot eximia ingenii ornamenta, ad noſtras commoditates, & honorum fortunarumque accrementa referimus, & ex his nobis bona omnia pollicemur. Sic enim nobiscum interpretamur ei, qui tot litterarum praeſidia ad Pontificatum attulerit, non fore neceſſarium, ut alieno magis quam ſuo conſilio acquiescat, ei, qui tam acri polleat ſapientia, ut mores conditionesque hominum perſpectas habeat, non facile verba datum iri, ut ad urbes Apoſtolicae ditioni creditas pro Praefectis Tyrannos, pro miniſtris depopulatores, pro conſervatoribus praedones mittat, qui diſſidiis & factionibus civium, non concordiae & tranquillitati ſtudeant, ſperantes eo rem ſibi fore in majore quaeſtu, quo fuerit turbulentior, ceu ſolent piſcatores fluctuoſo & undabundo mari ampliorem capturam, majoremque thynnorum vim retibus polliceri. Quae res ſuperiore tempore amplitudini Pontificiae plurimum odii atque infamiae apud populos concitarat, nam plerique Pontificum, dum res alias agunt, dum miniſtris fidem habent (nolo gemitus & lacrymas miſerorum in tam feſta laetitia intermiſcere) ſed quod dixiſſe liceat, in urbibus Eccleſiae magnam inſignemque vaſtitatem fecere. Haec, Te Pontifice, tantum abeſt ut fieri vereamur, ut multo magis ſpes omnes habeat, res in antiquam illam & optatam diu, non tamen hactenus cognitam felicitatem redituras, qua primaevi Patres, coaleſcente adhuc piorum coetu, quaſi aureo ſuo ſeculo fruebantur; neque enim periculum eſt, ne mali & flagitioſi homines juſtitia & ſeveritate Tua minus deterreantur, quam boni frugique bonitate & clementia alliciantur. Hoc eſt ſcilicet, quod nos tuus adventus tanta perfudit laetitia, quantam magis animo concipere, oculisque & vultu prae nobis ferre, quam oratione & eloquentia poſſumus exprimere. Hoc eſt quod tam propenſe tam eximia animi inductione ſanctiſſimis precibus advoluti, Tibi nos Populumque Faventinum, urbem, aquam, agros, terminos, delubra, utenſilia, divina humanaque omnia, in Tuum & Apoſtolicae majeſtatis ditionem, volentes geſtientesque dedimus atque addicimus. Nam ſic commode exiſtimamus nos noſtra non ſolum recipere, & conſervare, verum etiam meliora auguſtioraque reddere; quae enim Tibi dicata ſunt, qui

Dei Opt. Max. vices in terris obis, & Deum nobis repraesentas, conse-crari putamus, & religione muniri, ut non sine piaculo attrectari violarique possint. Atque obiter haec Tibi chariora fore speramus, quo per Te majoris aestimationis, & Te prorsus digna evaserint. Quae cogitatio, Pater beatissime, tertium illum laborem, quem Respublica nobis demandarat, magna parte adimit, commendandi scilicet Tibi Urbem, Populumque Faventinum; quis enim tam alienus a cognitione rerum humanarum, qui putet oportere sua cuiquam commendari? Quotiens itaque tecum ipse, Pater Sanctissime, cogitabis civitatem nostram jam non esse sui mancipii, sed in Tuo plane aere, Tuaque fide positam, toties non nostra, sed Tua interesse judicabis, eam quam optimam & fortunatissimam facere. Pacem concordiamque ales, utpote qui *perspectum* habeas bello & discordia nihil esse civitate perniciosius. Ubertatem, copiamque frugum induces, quod inter bona popularia nullum sit communius aut optatius. Malos & facinorosos coërcebis, quod eorum audacia bonorum securitas non possit esse diuturna. Praeclara studia excitabis, ut egregia juventus in Tuos titulos adolescens, Te publicum parentem agnoscat. Prudentes castosque moderatores ad nos delegabis, qui rem Tuam ita procurent, ut eorum studia omnia in commune excubent, nihil ad se pertinere arbitrentur, praeter conscientiam & famam bene gesti magistratus, seque tum demum abunde lucrifecisse arbitrentur, si gratiam & benevolentiam Tuam promereantur. Alioqui, Te Principe, bonis & de sancta sede bene meritis, neque dignitates, neque fortunarum accessiones deesse possunt: sicuti rursus neque cuiquam flagitioso scelus suum impune stare potest. Quare, quod proximis annis execrabile ac pene prodigiosum videri potuit, id jam publice hominum interest, omnes scilicet bonos esse; quum persuasum omnibus sit, signum abs Te erectum esse probitati, & hoc unum propositum ad honores & sacerdotia curriculum, non jam foenerari, non quaestum facere, non per malas artes grassari, sed mereri. Quare Te, Maxime Pontifex, jure felicem appello, a quo vir malus nihil petere, bonus nihil non audeat expectare. Hoc est itaque quod gaudia & gratulationes nostras exagitat, quod urbanas acclamationes, publicosque illos tinnitus & bombos suffrenare non potest. Hoc est, quod spes, vota, praesidia omnia in Te locavimus, quod Tibi pectora & animas consecravimus, quod pro salute & dignitate T. M. nullum discrimen vel capitis vel fortunarum subire recusamus. Hoc est, quod tum denique a Deo immortali summam votorum impetrasse existimabimus, si diu nobis *Hadrianum* Pontificem incolumem florentemque servaverit.

ONU-

# ONUPHRIUS PANVINIUS DE ROMANIS PONTIFICIBUS ET CARDINALIBUS

Pag. CCCLXI.

*Hadrianus* Papa VI., natione Gallus, Provincia Batavia, ſive, ut nunc dicitur, Flandria, in Belgis ex urbe Trajecto ortus, infimae ſortis homo fuit; quippe cujus pater Florentius [1] textrinam pannorum ſericeorum exercuit. Hic ab ineunte aetate Lovanium ad bonas litteras ediſcendas proficiſcens, brevi adeo profecit, ut ſcientiarum multiplici cognitione facile inter omnes condiſcipulos primas partes obtineret. Cujus fama quum ad Imperatoris Maximiliani aures perveniſſet, Carolo nepoti ſuo, qui nunc Imperio potitur, eum praeceptorem dedit: cujus opera primo Episcopus Dertuſenſis in Hispania, poſt [2] Presbyter Cardinalis



1 *Textrinam pannorum ſericeorum.*] In vita Hadriani VI. Onuphrius dicit: *Vir fuit ex ingenua plebe, &, ut alii addunt, aulaeorum textor, (quanquam plerisque placeat coctoris cereviſiae miniſtrum eum fuiſſe) probus tamen & frugi.*

2 *Presbyter Cardinalis.*] Vide quae ad Moring. cap. XVI. adnotavimus. Hadrianum vero commendatione Caroli Cardinalem creatum nos docet Epiſtola Leonis Papae ad Carolum, quae exſtat in Epiſtolis Bembi lib. XVI. Ep. XII. quam, quia memorabilis eſt, hic totam exhibere placuit.

CAROLO HISPANIAE REGI

LEO X. PAPA. S.

*ADRIANUM Episcopum Dertuſenſem in Cardinalium collegium libenter cooptavimus, cum propter ipſius ſingularem ſacrarum literarum doctrinam, probatiſſimosque mores, & virtutum plurimarum praeſtantiam, tum ut tibi morem gereremus, remque omnium gratiſſimam faceremus, cum probatum virum, & doctum ac prudentem hominem, magiſtrum etiam & praeceptorem tuum, in ampliſſimum hujus Reipublicae dignitatis gradum adſciſceremus. Qua quidem de re magis magisque in dies laetor. Spero enim fore, ut ea hominis dignitas & tibi, & mihi, & Reipublicae, uſui & voluptati ſit futura. Sed cum ego jam, quae meae erant partes in ornando illo, eas amantiſſime impleverim, tuum erit deinceps dare operam, ut homo optime de te meritus magnus nunc vir, & in Magiſtratu eminenti poſitus, fortunarum ſuarum tenuitati, vel potius, ut jam id quod eſt dicatur, paupertati, quae tot annos ejus vitae ſocia, nec bella nec placabilis fuit, poſſit nuncium remittere, atque aliquando tandem, perinde ut illa dignitas poſtulat, quam tueri debet, laxe ac liberaliter vivere. Qua in re ſic tibi illum commendo, quaſi res mea, non ipſius agatur. Nam quas tu in eum commoditates liberalitatesque contuleris, de iis ego tibi me ſpondeo libentiſſime debiturum. Sed velim id, quemadmodum te quidem facere tantum Regem, tamque fortunatum decet, & celeriter & liberaliſſime facias. Octavo Cal. Febr. Anno quinto Romae.*

dinalis tt. SS. Joannis & Pauli a Papa Leone absens creatus est. Quo mortuo, post aliquot Cardinalium disceptationes, praeter omnium expectationem v. Idus Januarii anno MDXXII. absens Pontifex Maximus renuntiatus est; in Hispaniis enim pro Imperatore Carolo quinto cum imperio erat. Qui audita sua electione ex Hispania discedens ad Urbem venit, ingressusque est Romam IV. Cal. Septembris ejusdem anni, ubi III. Cal. Septembris suae coronationis insignia suscepit. Sedit autem a die electionis Imp. Caesare Carolo quinto Augusto annum unum, menses octo & dies sex.

## Boissardus in tom. III.

Iconum virorum illustrium pag. XIX.

*Effigiem ejus ibi exhibet cum hoc disticho:*

*Orbis Pontificem summum me maximus orbis*
*Caesar, pro meritis gratior ipse facit.*

## HADRIANUS TRAJECTENSIS PONTIFEX MAXIMUS.

In nomine Dei (inquit Onuphrius Panvinius) & Salvatoris nostri Jesu Christi Benedicti, Amen. Sanctissimus D.N. *Hadrianus* Florentii filius, infimo genere ortus, cujus pater Florentius textrinam pannorum sericeorum fertur exercuisse, natione Batavus, seu, ut nunc dicitur, Hollandus, in Belgis ortus, patria Trajectensis, quae ulterioris Germaniae civitas est. Ab ineunte aetate Lovanium ad liberales artes ediscendas proficiscens, in quodam collegio receptus est, ubi brevi adeo profecit, ut & vitae integritate, & scientiarum multiplici cognitione, facile inter omnes primas obtineret. Cujus virtutum fama postquam ad Imperatoris Maximiliani aures pervenisset, eum Carolo nepoti postea Augusto praeceptorem dedit. Cujus opera postmodum primo Episcopus Dertusensis in Hispaniis, post Presbyter Cardinalis S. Joannis & Pauli a Leone PP. X. in quinta sua Cardinalium ordinatione cum aliis triginta creatus est. Quo postea mortuo, post diutinam Cardinalium disceptationem, inter se concordare de Leonis decimi successore non valentium, praeter omnium expectationem v. Idus Januarii, XXXIX. vacantis

cantis sedis die, XXXIX. Cardinalium suffragiis absens (in Hispaniis enim cum imperio agebat pro Imp. Carolo V. Augusto) Pontifex Maximus electus est. Sedit autem in Pontificali sede annum unum, menses octo & dies sex. Eodem anno Pontificatus Papae *Hadriani* VI. anno primo die III. Calend. Septembr. altero post ingressum Urbis die PP. *Hadrianus Sextus* in gradibus Basilicae S. Petri suae coronationis insignia suscepit per Marcum Cornelium Venetum S. R. E. Archidiaconum, infinita multitudine, clero, populoque Romano adstantibus. Pontificatus anno secundo die Lunae XVIII. Cal. Octobr. PP. *Hadrianus Sextus* Romae mortuus est in palatio Apostolico S. Petri. Cadaver ejus in Basilica principis Apostolorum sepultum, mox ad Ecclesiam Teutonicorum translatum est, & eodem anno X. Cal. Novembris fuerunt coeptae celebrari exequiae sive novemdialia PP. *Hadriani* VI. Romae in Basilica S. Petri a Cardinalibus novem diebus. Antequam Pontificatum gereret, essetque TT. S. [1] Chrysogoni Presbyter Cardinalis Batoniens. multos praeclaros libros composuit, siquidem vir erat magnae scientiae, de quibus subscripti circumferuntur; *De sermone latino & modis latine loquendi: Venatio ad Ascanium Cardinalem: Iter Julii* II. *Pontificis versibus Heroicis decantatum: de vera Philosophia lib.* IV. ex quatuor Ecclesiae Doctoribus conscripti & varia eruditione multaque pietate referti. *Expositio in sententias P. Lombardi.* Claruit sub Julio II. Pontifice & Maximiliano Imperatore. Eum Benedictus Arias Montanus hoc Tetrasticho ornavit, de se ipso loquentem faciens.

*Regnat ubi in terris prudens vir, constat & almae*
*Virtuti in terris, quod meret ipsa, decus.*
*Dat mihi & haec teneros formanti Caesaris annos,*
*Orbis Pontificem me facit haec eadem.*

1 *Chrysogoni.*] Confundit hic Boissardus Hadrianum Cornetanum cum nostro Hadriano, quem errorem plurimi commiserunt, vide ad Moringum cap. V.

JACOBUS

# JACOBUS ARMINIUS
IN
## EPISTOLA SCRIPTA
*ANNO MDCVIII.*
## SEBASTIANO EGBERTI
CONSULI AMSTELAEDAMENSIUM,

In Epist. Eccles. & Theol. cxviii. pag. ccxii.

Aperte profiteor me Pontificem Romanum pro membro corporis Christi non habere; sed pro hoste, pro perduelle, pro sacrilego, pro blasphemo, pro tyranno, & violentissimo injustissimae in Ecclesiam dominationis usurpatore, pro homine peccati, pro filio perditionis, pro exlege illo celeberrimo, &c. Intelligo autem Pontificem Pontificatu more solito fungentem. At si quis *Adrianus* Ultrajectinus ad Pontificatum citra ambitum evectus, reformationem moliatur Ecclesiae, & ab ipso Pontifice, & Pontificatu, Curiaque Romana exordium faciat, sibique nihil aliud quam Episcopi nomen & authoritatem usurpet, quamquam inter reliquos principem locum obtinentis ex statutis antiquis Ecclesiae, illum ego istis nominibus adpellare non audeam: quia quem satellites Antichristianismi & Curia Romana invisum habeat adeo, ut & vitam ipsi eripiat, hunc ego pessimum esse mihi persuadere non possum. Creditur autem veneno sublatus esse ab iis, qui reformationem Ecclesiae, & praesertim Curiae Romanae, ab illo futuram metuebant. Arbitror tamen, & ex Scripturis magna verisimilitudine probari posse existimo, ab eo, qui ad Pontificatum Romanum evehitur, reformationem non esse exspectandam; & si quis ea spe se eo promoveri patitur, certum mortis aut exilii periculum incurrere, vel Deo ipso sic rem administrante: abolebitur enim adventu illustri Christi: & Reformatio praedicta est futura per populorum a Babylone segregationem, quae Babylon capite suo non destituetur. &c.

# AUBERTI MIRAEI

## ELOGIA BELGICA

Claſſ. 1. pag. 1.

## HADRIANUS SEXTUS

### PONT. MAX.

Unde potius ordiar, quam ab Urbis & Orbis capite *Hadriano Sexto*? qui eo magis ſuſpiciendus, quod nullo majorum ſplendore commendatus, ſuis duntaxat meritis ad ſummum illud ac divinum in terris ſolium conſcenderit. Is natus Ultrajecti ad Rhenum fl. ante Pontificatum *Hadrianus Florentius*, parentis nomine, gentis Batavae more, cognominatus, cum majoris Theologorum apud Lovanienſes Collegii alumnus ſacris ſe ſtudiis totum conſecraſſet, eos in doctrina & virtute progreſſus fecit, ut Baſilicae D. Petri Decanus, & Academiae Cancellarius (qui primus ac perpetuus eſt magiſtratus) omnium ſuffragiis renuntiaretur. Scripſitque id temporis, ut ejus aevi genius erat, *Quaeſtiones quodlibeticas* XII. & *in librum* IV. *Petri Lombardi*, *Magiſtri Sententiarum*, commentarios, variis in locis identidem excuſos; quorum & hodie magna apud Theologos auctoritas. Non id fugit Maximilianum I. Caeſarem, (ſolet enim per ſe virtus exſiſtere) qui Caroli Quinti ſeptennis adhuc ſtudiis eum praefecit. Quibus decurſis, *Hadrianus* in Hiſpaniam ad Ferdinandum Regem vere Catholicum ampliſſimo legationis munere mittitur. A quo, virtutis ergo, Dertuſanus Epiſcopus, deinde a Leone X. Cardinalis creatus, eadem ſemper animi moderatione ſibi conſtitit. Ferdinando vita functo, Carolus haeres Franciſco Ximenio, Cardinali & Archiepiſcopo Toletano, regni adminiſtrandi jus demandat, addito in ſocietatem conſiliorum *Hadriano*. Poſt eodem Carolo in avi Maximiliani locum ſuffecto, atque ex Hiſpania (quo paulo ante e Belgis venerat, ut Regulos ac populos in ſua verba jurisjurandi ſacramento adigeret) in Germaniam ad diadema cogitante, *Hadrianus* cum imperio toti Hiſpaniae praeficitur, Caeſare, ne provinciam detrectaret, urgente. Leone jam demortuo, nec opinato & abſens, raro & inuſitato ſane

exemplo, Pontifex Maximus unde quadraginta Patrum purpuratorum suffragiis creatur. In Urbem ut venit, *Diploma* mox *Apostolicum* ad Fredericum Saxoniae Ducem (cujus in ditione funesti incendii fax Lutherus Apostata grassabatur) promulgavit, monuitque ut religionis veterum Saxonum memor, eam a gente sua notam pestemque depelleret. Dedit & *Epistolas* ad Germanos Proceres, ut pristinam majorum virtutem, fidemque imitati, junctis Turcam imminentem armis a finibus arcerent. Lovanii quoque augustissimum Theologorum Collegium, *Pontificium* hinc dictum, quod hodieque floret ingeniis & alumnis, aere suo exstruendum curavit. Sic magna Catholicae Ecclesiae commoda agitantem, ut depravatorum morum correctionem, sectarum eversionem, & Principum concordiam, Deus Opt. Max. quod eo indignus orbis esset, altero Pontificatus anno, humanis rebus exemit; feliciore sane seculo dignum, quod MAGNI REFERAT IN QUAE TEMPORA VEL OPTIMI CUJUSQUE VIRTUS INCIDAT. Ejusmodi & illa vox est memoranda: *Nihil sibi imperio infelicius in vita accidisse.* Plura cognoscere qui volet (velle autem omnes debent) legat is Paulum Jovium, Onufrium Panvinium, & Gerardum Moringum, Theologum Lovaniensem. Jacuit primum duos inter Pios II. & III. in Vaticano, post ad *S. Mariam animae Germanorum*, Augusto Mausoleo a Guil. Enkefortio Brabanto, quem unicum crearat Cardinalem, conditus est hoc elogio:

HADRIANUS VI. PONT. MAX.

TRAJECTO ETC.[1]

[1] Vide ad Moring. cap. XXV. Eadem fere habet Miraeus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis §. DXXXVI. quod exhibet celeberrimus Fabricius in Bibliotheca Ecclesiastica.

# AUBERT. MIRAEUS
## DE
## SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS
### Seculi XVI. cap. I. §. XXX.
### Apud Fabricium in Bibliotheca Ecclesiastica.

ADRIANUS SEXTUS Papa, Ultrajectinus, ante Pontificatum dictus *Adrianus Florentii*, Decanus S. Petri, & Cancellarius Academiae Lovaniensis, a Carolo quinto, cui praeceptor & Cancellarius fuit, in Hispaniam missus, ibi creatus est Episcopus Dertusanus, postea S. R. E. Cardinalis, ac demum Papa absens IX. Januarii [1] MDXXI. electus. Edidit privatus anno MDXV *Quodlibeta duodecim*, & anno sequenti *Quaestiones in librum quartum Sententiarum*, quae saepe recusa sunt Lovanii, Romae, Parisiis & Lugduni. Cardinalis scripsit *Computum agonizantis*, & *Sermonem de sacculo pertuso, sive de superbia.* Excusa sunt ea Antverpiae MDXX. ex exemplari Alardi Amstelodami. Papa vero dedit *Breve Apostolicum* ad Fredericum Saxoniae Ducem, quod extat in tomis Conciliorum. *Regulas Cancellariae* ejusdem Hillenius anno MDXXIII Antverpiae excudit. Aedes suas Lovanii convertit in celeberrimum collegium Theologorum, & anno MDXXIII. die [2] XIII. Decembris obiit. Ejus vitam Gerardus Moringus, Paulus Jovius & Onuphrius Panvinius descripserunt. Sic fere Molanus in sua MS. Bibliotheca. *Adriani* porro *Iter* ab Hispania Romam usque, item *res in Pontificatu ab eo gestas*, peculiari libello descripsit *Blasius Ortizius*, Canonicus & Vicarius generalis Toletanus, qui eidem *Adriano* a sacris fuit, & in ejus familia usque ad obitum vixit. Libellum istum, Toleti anno MDXLVII. excusum, operae pretium fuit iterato typis publicari; eo quod hactenus in Germania & Gallia ignotus fuerit. Ejusdem *Adriani Epistolae variae* ad Carolum V. Caesarem, ad Franciscum I. Galliae Regem, ad S. R. E. Cardinales, & alios tum sacri tum politici ordinis proceres datae, extant MSS. apud Ludovicum Torrium, Consiliarium Regium & Magistrum rationum Insulis in Gallo-Flandria, ab eodem aliquando, ut speramus, publicandae. *Adriani* denique Laudationem funebrem *Conradus Vecerius*, Caroli V. Imp. Secretarius, anno MDXXIII. Coloniae typis edendam curavit.

1 MDXXI.] Male, cum ann. MDXXII. fit Pontifex creatus. 2 XIII. *Decemb.*] Male, vid. ad Moring. c. XXV.

# LUDOVICUS TUBERO

## DALMATA ABBAS

De Rebus sui temporis lib. XI. pag. CCCLIII.

Leoni *Hadrianus* absens suffectus est, tanta Italorum Cardinalium concertatione, ut vix manibus in comitio clausi temperarent, cum sibi quisque Pontificatum ambit. Itaque magna pars eorum maluit suffragio suo externo deesse, quam suae gentis competitorem in fastigio sibi negato conspicere: tanta plane vis invidiae est, qua naturae vitio animus humanus multo vehementius in civem, quam in externum accenditur. Quanquam in hoc Pontifice designando quidam Cardinalium Carolo Augusto gratificari voluerunt. Quippe satis creditur Romanum Imperatorem intentiore cura operam dedisse, ut *Hadrianus* Romanus Pontifex crearetur; erat enim ei carissimus amicorum.

Porro hic vir in Morinis humili genere, utpote patre opifice, natus est. Qui cum & moribus optimis esset praeditus, & sacris literis satis docte eruditus, admotus est pueritiae Caroli regendae, simulque literis erudiendae, atque ut educator ac praeceptor in Hispaniam ductus, Carolo mox Imperatore Romano designato, atque in Germaniam profecto, regendis Hispaniis praepositus, provinciam sibi commissam integerrime administravit, ob quod non secus quam pater ab Augusto diligebatur.

# LOCRIUS

IN

## CHRONICO BELGICO

Ad annum MDXXIII.

## ANNAGRAMMATISMUS.

Nullus ambigat, est hic *Adrianus*,
(Inquit Flandria, mater *Adriani*)

Qui

Qui meo gremio editus, volando
Pennis aliger eruditionis
Et virtutis, habet suos Athlantes
Caesares, habet ille Purpuratos
Patres; atque Patrum fit ipse tandem, et
Caesarum Pater atque Athlas, meumque
Nomen consecrat aeternitati.

# CASTANEUS

IN

NOMENCLATORE CARDINALIUM

Pag. CXV.

*Hadrianus* Florentii filius, Trajectensis Belga, ex Episcopo Dertusensi Cardinalis, qui postea *Hadrianus* Papa *Sextus*. Carolo quinto Imperatori praeceptor ascitus est, scripsitque, cum Lovanii cathedraticus Professor Theologiae adyta reseraret,

*In* IV. *librum sententiarum.*
*Quodlibeticas quaestiones* XII.
*Computum hominis agonizantis.*
*De superbia sermonem.*

Et a Pontificatu:

*Epistolas ad Marcum Marulum, & singulos Principes Germaniae.*

*Paulus Jovius*, & *Gerardus Moringus* ejus vitam accurate descripserunt, ne tanti Pontificis laus aliquatenus obsolesceret. Romaeque jacet in aede S. Mariae de Anima cum hoc Epitaphio:

HADRIANUS VI. [1] ETC.

1 *Etc.*] Vid. ad Moring. cap. XXV.

# SANDERI

## ELOGIA CARDINALIUM

Pag. CXIII.

HADRIANUS Ultrajecti, quod est inferioris Germaniae oppidum, natus est, anno a nativitate Dei & hominis millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, parentibus virtute ac probitate magis, quam opulentia aut stemmatum luce, claris. Is post transcursum feliciter humaniorum litterarum ac Philosophiae stadium, tanta contentione in sacris disciplinis desudavit, adeoque promovit, ut brevi tempore omnium praeceptorum suffragiis lauream divinae scripturae adeptus, aequalium facile princeps evaserit. Neque multo post a Canonicorum collegio (quod ibidem in templo religiosissimo Apostolorum Principi fundatum est) in Decanum eligitur. Tum primum majorem opportunitatem melius sanctiusque vivendi nactus, nihil aliud fere egit, quam ut & summa cum cura Theologicam professionem obiret, & templum quotidie viseret, vel psalmis modulandis, vel offerendo sacrificio, vel item sacris ad plebem concionibus habendis, intentus. Sed &, ne creditum ei superne talentum sub modio condidisse putaretur, utque non modo sui temporis hominibus, sed & posteris, salutifera doctrina prodesse posset, inter alios libellos volumina duo conscripsit: altero Commentarios in *librum sententiarum quartum* complexus: altero *Quaestionibus* miscellaneis (quos *Quotlibeticas* vocant) tractatis atque absolutis. Quorum operum ob eximiam eorum tum doctrinam, tum simplicem, atque a vulgari disputantium ambitione semotam tradendi rationem, ejusmodi apud eruditos est pretium atque judicium, ut jam pridem passim habeantur in manibus. Quae licet proelo postmodum ab amicis tradita fuerint, ille tamen & ignoravit, & cum rescivisset, plurimum fuit indignatus. Denique ut examussim ostenderet quanto amore studia sacrarum litterarum prosequeretur, aedes in eodem oppido nec parvo sumptu, nec elegantia contemnenda condidit, quas postea in habitationem aliquot juvenum vacantium Theologiae converteret. Quod vitae genus (utpote Christianissimo homini quam maxime consentaneum) cum per complures annos exegisset, nominisque ejus fama longe ac late pervolaret, gloriosissimae memoriae Imperatori Maximiliano, de Caroli nepotis, tunc ex ephebis exceden-

excedentis, postea Caesaris, disciplina atque institutione sollicito, visum est, neminem sese rectius, quam egregium suae aetatis Doctorem, summo futuro Principi posse adjungere. Mittit itaque qui cum homine agant de subeunda nova provincia. Quam cum saepius a se repudiatam aegre tandem suscepisset, protinus Regio adolescentulo eam imprimis curam adhibuit, uti Deum divinaque omnia religiosissime simul ac modestissime colere, vererique & disceret & assuesceret: tum deinde justitiae, pietatis, clementiae, caeterarumque Regiarum virtutum amorem ac studium amplecti inciperet. Hisque atque hujusmodi aliis sanctis documentis tradendis brevi dierum intervallo tenerum animum eousque perduxit, ut & amplissimae successioni, cui tum destinabatur, quam maxime haberetur idoneus, & ab eo deinde tempore non pauca praeclarae institutionis exempla, testimoniaque ediderit. Forte accidit, ut idem Princeps avum maternum Ferdinandum, in Hispania longe tum lateque regnantem, & jam aetate confectum, per legationem invisere cuperet. Cumque de homine ad eam provinciam conducente circumspiceret, de consilii ejus sententia nemo oblatus est, quem rectius eo, quam *Hadrianum*, destinaret. Neque enim alius quisquam seni Regi futuri haeredis indolem plenius demonstrare posse videbatur, quam a quo private fuerat institutus. Ita *Hadrianus* terrestre iter ingressus, mox ut Lutetiam Parisiorum venit, non ilico progrediendum, sed potius diebus aliquot consistendum putavit, quoad nobilem Academiam coram introspiceret. Quare Sorbonam praecipuam Philosophantium ibidem stationem ingressus, & differentes studiosissime audivit, & ipse quoque accurate ac familiariter una disputavit. Inde coeptum iter repetens, ut ad Ferdinandum pervenit, singulari ab eo honore & benignitate acceptus est; non tam ideo, quod a nepote, & majore natu, & haud dum etiam viso, moxque successuro, mitteretur, quam quod nulla ad illum ante eam diem legatio ab juvene Principe advenisset. Dum aliquot autem annis ibidem egisset, evenit, ut Dertusensis Ecclesia Pastorem amitteret. Cum providentissimi Proceres, defuncto tum Rege, gubernacula Reipublicae possidentes, de idoneo Praesule consulere cuperent, ad Carolum in Belgis agentem pro Hadriano ad sacrum munus evehendo, tametsi invitissimo, certatim diligenterque scripserunt; isque, longiore consultatione sublata, eundem supradictae Ecclesiae a Romano Pontifice praeficiendum curavit. Cui protinus & Inquisitoris generalis haereticae pravitatis, amplissimum in Regnis illis officium, pari fiducia demandavit. Quae utraque ille ea solertia atque integritate administravit, ut paulo post a Leone Pontifice, ob has aliasque insignes ejus virtutes, in eminentissimum

Sanctae

Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium coetum legeretur. Paucis post mensibus accidit, ut Carolus Rex ad capessendam Romani regni coronam Germaniam repetens, necesse haberet gubernationem regnorum Hispaniae fido atque prudenti cuipiam delegare. Sed nec hic quoque diu deliberatio tracta est; adeo ut confestim tantum tamque amplum gubernandi negotium *Hadriano* committeret. Cumque tam splendida atque exquisita munera in eum (ne cogitantem quidem, ne dum ut tale quicquam appeteret, quin potius invitum) plena, ut ajunt, manu [1] fortuna congessisset; ille tamen accessione continuae felicitatis eam maxime dedit operam, ne cui insolescere, neve ad affluentes opes cor apponere videretur. Adeo ut, quo magis fortuna ridebat, hoc attentiorem rationem humilitatis atque modestiae illum habere constaret. Porro dum tantarum virtutum experimentis animum exornare pergit, placuit Deo Opt. Max. fidelem servum salubris tentationis probare aculeo. Namque statim post profectionem Regiam, plebs Hispana in cruentissimam seditionem prolapsa, coedibus, incendiisque, ac direptionibus, cuncta permiscuit. Quam dum prudentissimus Pater, sicut gravem & integrum Gubernatorem decuit, castigare, tollereque nititur, exprimere non possum, quantum laboris sollicitudinumque & vigiliarum susceperit, quoties vitae, quoties rerum periculum, discrimenque manifestum adierit. Quae tamen omnia singulari Dei praesidio (in quo uno spem suam reponebat) publici boni gratia & intrepide subiit, & innoxie superavit. Norat enim scriptum esse, idque assidue habebat in ore: *Cum placuerint Domino viae hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* Illud quoque in quantumvis flagranti & pernicioso tumultu justitia ac moderatione sua consecutus est, ut inquieta plebs, si quando quid severius in se statutum a Senatu audiret, in Collegas illius, quos duos habebat, culpam conjiceret; sin lenius secum agi cerneret, id beneficium non nisi *Hadriano* ferret acceptum. Interea defervescentibus popularibus odiis, ac plerisque facinorosorum, ut oportuit, emendatis, mors Leonis Pontificis intervenit, variantibusque aliquamdiu sacratissimi coetus hujus suffragiis, tandem *Hadrianus* summum Pontificem renuntiari contigit, [2] Kalend. Julii anno MDXVII. Nec mora, tabellarii magnis itineribus in Hispaniam properant, optatissimum nuncium delaturi. Victoriae Cantabriae oppido tum agebat senex sanctissimus. Cui cum is, qui missus fuerat, reddita Epistola gestiens, sacrum pedem inter faustas acclamationes deoscu-

1 *Fortuna.*] Hinc Gomecius VII. de vita Franc. Ximenii *Hadrianum fortuna ad summam dignitatem vocabat, aut potius urgebat.*

2 *Kalend. Julii.*] Male, vide quae ad Moring. cap. XIX. ex Onuphrio Panvinio adnotavimus.

osculari cuperet, diu repugnavit, ac non nisi perlectis tandem literis, aegerrimeque inopinatissima re credita, veneranti morem gessit. In caetera tamen vivendi ratione nihil variare sustinuit, quoad certiora omnia de exitu Comitiorum afferrentur. Tum demum gratiis immortali Deo, Sacroque Collegio actis, more Romanorum Pontificum agere atque ingredi coepit, seque venerari passus est. Nomen item (quod per multas ante aetates contra observatum fuerat) mutandum non censuit; videlicet, quo per adjectionem summae dignitatis pristinae animi moderationi nihil additum denotaret. Caeterum cum Reipublicae Christianae plurimum interesse cerneret, ut quam primum in Italiam sese conferret, eam ante omnia cogitationem suscepit, uti transitum hujusmodi quam posset citissime absolveret. Itaque navigationem amplexus, Tarraconem statim petiit, ubi paucos moratus dies, nautis etiam tum maris habitum intempestivum ad navigandum causantibus, utque manere vellet obtestantibus, navim securus conscendit, intraque paucos dies Genuam tetigit; indeque secundum inferi maris oram in Civitatem Veterem, & paulo post Romam ingressus est, XXIX. Augusti anno MDXXII. debita prius atque amplissima Sacri Collegii veneratione exceptus. In Urbe autem sanctae Coronationis caeremoniis absolutis, ad restituenda, quae passim per Christianam Rempublicam medelis indigere cognoverat, animum coepit intendere. Quod cum maxime moliretur, pestilentia magna vi terroreque civitatem invasit. Ille tamen, quantumvis crebris atque etiam domesticis funeribus, adduci non potuit, ut ad loca salubriora quoque secederet: quin quamdiu tristissimi mali saevitia perdurabat, pedem palatio non extulit, videlicet, ne deserere rursusque in praecipiti relinquere Urbem, & diuturno interregno & gravitate coeli afflictam, videretur. Omnium itaque primum Apostolicum Nuncium in Germaniam ob plectendam Lutheranorum insaniam ad Principum illorum conventum Norimbergam dimisit. Mox diversas in partes alias Nuncios itidem destinavit, qui dissidentes vel bellis implicitos Reges in concordiam restituerent. Ii cum (sic Deo volente) parum proficerent, usque adeo perculsus animo conflictatusque est, ut non minima causa laetiferi morbi, ex quo postmodum obiit, ex eo mentis dolore nata credatur. Cumque Reges in belligerando usque perstare, neque solidae pacis ullam rationem admittere velle conspiceret, illis quidem triennes inducias (gravium etiam poenarum interminatione adjecta) indixit: ipse autem cum nec induciarum aequam rationem haberi, nec aliud fessis rebus auxilium suppetere cerneret, cum Principibus, & populis Italis, de Urbe, eademque Italia contra infideles defendenda, foedus percussit. Ad hoc grandem

pecuniam per S. R. E. Cardinalem Legatum a latere misit ad Hungaros, ut regnum illud incursioni Turcarum obnoxium in fide contineret. Aliis quoque Christianis per Dalmatiam atque Illyricum degentibus, eorundem hostium immanitatem nimiopere formidantibus, itidem pecunia commeatuque (tametsi magna rei nummariae inopia premeretur) opitulatus est. Omni ergo cura, studio, sollicitudine & vigilantia eo conversis, ut nimium, proh dolor! laboranti Petri naviculae subsidium divinae dextrae impetraret, in morbum incidit; qui cum admirabili quadam, nec satis intellecta alternandi ratione, nunc auctu, nunc decremento variaret, tandem sanctus senex, die, quo aegrotare coepisset, quadragesimo primo, spiritum Deo omnipotenti reddidit, XVIII. Kal. Octobris, anno MDXXIII. Sedit Pontifex annum I. menses VII. dies IX. Conditus in Basilica Apostolorum, post in templo Germanicae nationis B. Mariae Animarum. Elogium illi Guilielmus Enkefort [1] Trajectensis, quem unicum Cardinalem quatriduo ante creaverat, ponendum, vitamque a Paulo Jovio [2] scribendam curavit:

HADRIANUS VI. PONT. MAX.

ULTRAJECTO INSIGNI ETC.

1 *Trajectensis.*] Eum Trajecto Brabantiae oppido oriundum dicit Decad. IV. pag. CCLXII, sed male, uti ad Moring. cap. XVI. vidimus.

2 *Scribendam.*] Idem dicit in Encheforti elogio pag. CCLXIII.

CASPARI

# CASPARI URSINI

## VELII CARMEN

## AD

# ADRIANUM SEXTUM

## PONT. MAX.

Quae monſtra terris horrida, quae tulit
Portenta nuper, triſtia funera,
Summamque tempeſtas ruinam
Atra hominum generi parabat.
Non Hydra quondam pernicioſior
Foecunda Lernae, non ita terruit
Victum poteſtas occidentem
Tergemini violenta Regis,
Non ille centum qui manibus Jovem
Armatus olim perculerat Gyges,
Non ſanguinem humanosque paſti
Thracis equi Diomedis artus,
Immane terris exeruit caput,
Majusque monſtrum viribus Herculis,
Quo Diique mortalesque turbae
Ocyus intremuere viſo.
Simplex Deorum hoc non feriet manus,
Non ille, non qui terrificum ſuis
Pythona confecit ſagittis,
Sterneret arcitenens Apollo.
Huic lene primum virus ad intima
Manavit atris faucibus, occupans
Fibras bonorum, attemperato
Dulcibus illecebris veneno.

At, o Deorum maxime Juppiter!
Quam mox coactis viribus asperas
Collegit iras, jamque rictu
Tabifico violenter instat.
Sed nec propinquis jam furit in locis,
Extrema terrarum attigit omina,
Pervasit, afflatuque tetro
Omne solum (scelus) inquinavit.
Ceu flamma vento debilis abdito
Mox irruentis vi Boreae excita,
Incendio bacchata diro
Per segetes, per & arva saevit.
Quot heu! quot alto pectore combibunt
Letale virus, immedicabili
Plagaque mortales profunda
Depereunt male sauciati.
Quin & nephandis artibus impotens
Multos nocendi condocuit vias,
Ipsosque jam telis paratis
Armat in assimilem furorem.
Quorum dolosis vocibus obsequens,
Casusque semper mobilis ad novos
Jam turba delinita vulgi
Mortiferas bibit aure pestes.
Hinc & videre est surgere civicas
Dissentiones, & genitoribus
Natos reluctari, hunc iniquos
Fratribus increpitare fratres.
Urbes & ipsis urbibus inclytae,
Et regna regnis proxima diffident.
Discordiarum plena tellus,
Plena mali furiosa belli.
Nunquid ruinae proximus arduae
Labetur orbis? num pietas cadet?
Legesque majorum sacratae, et
Norma patrum vetus interibit?
Tantum ne nunc conatibus impiis
Et virulenta intemperie valet

Fatalis incestusque doctor,
Misceat ut simul ima summis?
At at tuorum strenua gloriae
Memor parentum, desine, desine
Germana pubes hoc tueri
Dedecus, exitiumque gentis.
Quid foedius quam turpiter omnia
Tumultuosis seditionibus
Miscere, divinasque bello, et
Vertere res hominum nephando.
Horrescit alto vertice Juppiter
Coeli Gigantum robore fortius
Robur, reformidatque dudum
Colluviem violentiorem.
Non usitata parte videns poli
Consurgere atros in nova proelia
Fratres, nec Ossae admolientes
Pelion, & nemoroso Olympo.
Jam jamque torvam concutit Aegida,
Et fulminantes exeruit manus,
Delere certus, sive flamma,
Sive mari, genus omne nostrum;
Ni concitati consiliis Dei
Jurata tum cum poenituit Jovem
Iratum, & ultricis ruinae
Inviolanda palus resistat:
Et grata cordi ni pietas Deo
Sit innocentum, qui prece supplici
Placatus, insanos tumultus
In melius meliusque vertet.
Juventa monstris armipotens manus
Internecandis occidet, occidet
Infame portentum lacertis
Herculeis potiore dextra.
Proles Deorum proxima sanguini
Victorque terris imperitans, jubar
Qua condit auratis quadrigis
Quaque Hyperionides reducit.

 Quos

Quos non labores auspiciis tuis
Obibit ultro Maxime Pontifex ?
Parere cui recte monenti
A tenero properavit ungue.
Per te labanti Juppiter optimus
Succurret orbi, te penes integrum
Servare gentes; & caducum
In melius reparare mundum.
Huc & decoro te pietas vocat
Spectanda vultu, & pura fides, & huc
Jam fertur instinctu Deorum
Austriades, properatque Caesar.
O Christiani nominis arbiter!
Et summe custos! te duce Carolus
Excindat infestos tyrannos
Legibus imperioque Romae.
Cujus verendum nomen in ultimas
Telluris oras ibit, ab Herculis
Evantis ad metas laborum
Caesar ovans penetrabit armis.

Ibid. *Velius in monostichis summorum Pontificum de Hadriano.*

Praebet opes doctis decimus Leo, praebet honores,
Pontificem probitas te tua, Sexte, facit.

# SWEERTIUS

IN

## ATHENIS BELGICIS

Pag. XCIV.

*Adrianus Florentius*, parentis nomine, gentis Batavae more, cognominatus, Ultrajecti nascitur anno Christiano CIↃCCCCLIX. Cum Theologorum apud Lovanienses Collegii alumnus sacris se totum consecrasset, eos in virtute & doctrina progressus fecit, ut Basilicae D. Petri

Petri Decanus, & Academiae Cancellarius omnium ſuffragiis renuntiaretur. Maximilianus Imperator Caroli quinti ſeptennis adhuc ſtudiis eum praefecit. In Hiſpaniam ad Ferdinandum Regem ampliſſimo legationis munere mittitur, a quo virtutis ergo Dertuſanus in Catalaunia Epiſcopus, exinde a Leone x. Cardinalis creatus, deinde cum imperio toti Hiſpaniae praeficitur. Caeſare urgente, Leone demortuo, (raro & inuſitato ſane exemplo) Pontifex maximus undequadraginta Patrum purpuratorum ſuffragiis creatus. Sed heu! altero Pontificatus anno humanis rebus exuitur. Aedes ſuas Lovanii in celeberrimum Theologorum collegium, PONTIFICUM inde dictum (quod tamen prius ex bonis ante Pontificatum acquiſitis dotaverat) convertit. Vitam deſcripſerunt *Paulus Jovius*, *Onuphrius Panvinius* Veronenſis Ord. D. Auguſtini, & Lovanii *Gerardus Moringus*. Iter vero ex Hiſpania Romam [1] *Didacus Stunica* Hiſpanus. Jacuit primum in Vaticano, duos inter PIOS II & III. poſt ad S. MARIAM DE ANIMA auguſto mauſolaeo a Guilielmo Enkefortio Brabanto, quem unicum crearat Cardinalem, conditus eſt hoc elogio:

HADRIANUS VI. [2] ETC.

*Maxaemylianus Vrientius* S. P. Q. Gandavenſi a ſecretis, in ejus effigiem elegantiſſimos hos luſit verſiculos:

*Quae facies tam dira viri? Sextine ADRIANI?*
*Hoc ita. quo functus munere? pene DEI.*
*Quis dedit hunc? humili Trajectum ſtirpe; ſupremus*
*Sed cui mox dominae traditus urbis apex.*
*Qui docuere virum? Grudii, Belgi orbis Athenae,*
*Hic ubi Gymnaſium condidit ille novum.*
*O bene! ſed tenui quis opes ſuffecit & aurum?*
*Diſcipulus Caeſar CAROLUS Auſtriades:*
*Qui pius & gratus Pellei more Monarchae,*
*Rectorem hunc voluit noſſet ut omnis Iber.*
*Novit, & inde ſacrae radiantem luce Tiarae*
*Pontificem Latii percoluere Patres.*

*Omnia*

1 *Didacus Stunica.*] Erat hic quam maxime Sweertius, qui hic cum *Blaſio Ortizio* confundit *Didacum Lopez de Stuniga*, qui edidit *Itinerarium ab oppido Complutenſi usque ad urbem Romam*, de quo vide, quae ad Blaſii Ortizii Itinerarium Hadriani cap. XVI. adnotavimus.

2 *Etc.*] Epitaphium illud produximus ad Moring. cap. XXV. & alia refert Epitaphia ibidem Sweertius, quae dicto loco conſpici poſſunt.

*Omnia sic unum decorarunt maxima Belgam,*
*Trajectum, Grudii, Caesar, Iber, Latii.*

Scripsit *Adrianus* cum Lovanii Professor Theologiae adita reseraret,
*In* IV. *Sententiarum quaestiones & expositiones*, Parisiis MDXII. & MDXVI.
*Quodlibeticas Quaestiones* XII. varii argumenti, Lovanii MDXV.
Cardinalis vero & Episcopus Dertusensis in Hispania scripsit *Computum hominis agonizantis.*
*De sacculo pertuso*, sive *de superbia sermonem*, Antverpiae MDXX.
Pontifex denique Maximus scripsit, misitque *Epistolam ad Germaniae Principes*, qua eos ad concordiam servandam hortatur.
Item *ad Fredericum Saxoniae Ducem*, & *Senatum urbis Bambergensis* Coloniae anno MDXXXV.
*Ad Desiderium Erasmum Roterodamum alteras*, quibus illum Romam vocat, hortaturque ut assurgat in adjutorium caussae Dei, stilumque stringat in Lutherum.
*Instructionem ad Franciscum Cheregatum*, Episcopum Interamnensem.

## Barlaeus tom. II. Poemat. p. CCCCXXIV.

IN EFFIGIEM

# ADRIANI PONTIFICIS

ULTRAJECTINI

AD

*NOBILISSIMUM VIRUM*

# ADRIANUM PLOOSIUM

ULTRAJECTINUM Eq. DOMINUM IN THIENHOVEN, OUDEGEYN ETC.

Culmen adorandum, triplicis insignia mitrae,
Sceptraque Apostolicis turgida nominibus,

Et

Et Sacrosanctos (sed Roma judice) fasces
Gessisti timida, Papa Adriane, manu.
Scilicet hos Carolo titulos, haec munera debes,
Praemiaque a grato Principe tanto refers.
At tua tam grandi turgescens patria cive,
Jactat Pontificem se genuisse suum.
Quemque dedit Rhenus, Tiberini ad fluminis urbem
Christigenum late dicere jura gregi.
Ecce tuos vultus donat meliore metallo
Ploosius, & tanti Praesulis ora notat.
Quin gaudet donasse aliis & munere in uno
Nos geminos voluit demeruisse sibi.
At dum Pontificem totus te suscipit orbis,
Non hic Pontificem te volet esse suum.

### IN EANDEM.

Praesulis aspexi triplex diadema Batavi,
Et Trajectensis nomina sculpta tui.
Patria communis vobis, communia deinde
Nomina, communis creditur ordo sacer.
Attamen imperio gemini differtis, & ille
Dum coeli librat pondera, tu patriae.

# MALLINCKROT

## IN

## LIBRO, CUI TITULUS

*De Archicancellariis S. Romani Imperii & Cancellariis aulae, quibus accesserunt summi Pontifices & S. R. E. Cardinales Germanici* pag. DIII. Extat in *Collectis Archivi & Cancellariae juribus* editis a Jacobo Wenkero Argentorati MDCCXV.

HADRIANUS SEXTUS, absens, & omnia alia cogitans, Papa lectus est. Hunc enim, ut saepe alias, discordia Cardinalium, sed non sine divino nutu, Pontificem fecerat, tunc temporis in Hispania

consistentem; quam per Caroli Imp. ad coronam Caesaream suscipiendam, & Imperii habenas capessendas in Germaniam profecti, absentiam regebat. Natus fuerat in civitate Ultrajectina, inter nobilissimas Belgii censita, parentibus modicis, ideoque post Deum, sibi & excellenti ingenio suo, studiosae industriae, & eximiae probitati debuit, quod per varios honorum gradus ascendens, gloriaeque iter emetiens, ad ultimum ipsam supremae inter homines dignitatis arcem tenuit. Lovanium studiorum suorum matrem & nutricem habuerat, ubi etiam nunc pietatis & munificentiae ejus magnifica vestigia supersunt; & ex Decano S. Pet. Doctoreque S. Theologiae publico, ac Academiae Cancellario, studiis Caroli Imperatoris, tunc admodum adolescentis, praefectus est; cujus favore ac commendatione cum a Ferdinando Catholico Hispaniarum Rege Dertusensem Episcopatum, & pileum Cardinalitium a Leone x. Pont. Max. consecutus esset, statim adjecta est, quae una supererat, Papalis dignitas. Exortum erat sub Leone decessore ejus brevi antea Lutheranum incendium, cui extinguendo totus imminebat, misso in eam rem Nuntio in Germaniam Francisco Cheregato, & consultis passim doctissimis viris; inter quos etiam *Erasmus* Roterodamus fuit, quem Lovanii familiariter cognitum plurimi faciebat ob ingenium, doctrinam, & virtutem. Verum perficiendae rei usque adeo salutari & necessariae, reliquisque praeclaris cogitatibus ejus, brevitas Pontificatus, & mors praepropera obstitit. Obiit enim necdum expleto integro post electionem biennio, saepe conquestus, quod promptissimae voluntati suae, ad succurrendum labenti passim, & periclitanti ab haereticis, a Turca & aliis hostibus Christianitati, reliqua non responderent. Hinc sive ipsius, sive Cardinalis Enckevordii jussu, in Epitaphio ejus operoso & splendido etiam nunc legitur: *Nihil infelicius ipsi in omni vita accidisse, quam quod imperaverit*, & alterum hoc aeque emphaticum, quod, dum viveret, crebro in ore habuerat: *Multum referre, in quae tempora vel optimi cujusque virtus incidat.* Obiit xv. Kal. Octob. ann. MDXXIII, non sine veneni, ut aliqui voluere, suspicione, tumulatus post annos aliquot in templo B. Mariae Virginis Germanorum. Sui temporis Curialistis correctionem non admodum amantibus parum gratus fuit, eo quod, cum insigni modestia & morum gravitate venerandus esset, non obscure prae se ferret, Ecclesiae reformationem ab ipsa Pontificia aula incipi oportere, si fructuose deberet institui. Et fecit sane majorem, quam dici aut credi possit, Ecclesia Catholica morte ejus jacturam; non dubitantibus temporum, personarum, & rerum peritis, potuisse per illum, aspirante superni favoris diviniori aura, si diutius supervixisset, restingui

necdum

necdum adultam illam hujus tempore flammam, qua postea immensum praevalente & excrescente, pridem tot florentissimae Europae Provinciae miserabiliter deflagrarunt. Cessante igitur per mortem invidia, aucta est in omnium animis viri admiratio; ac alias non minus in vita quam post fata ejus, optimus ac doctissimus quisque invidendis illum honestarunt elogiis. Bellarminus de Script. Eccl. *Virum* vocat *aeque doctum ac pium, qui merito doctrinae & pietatis, ex humili loco & pauperrima domo, ad magnas opes & majores honores pervenit.* Laurentio Surio est, *vir tum insigni doctrina, tum morum integritate, & singulari prudentia.* Valerius Andreas illi tribuit *incredibilem vitae integritatem, & doctrinae praestantiam.* Card. Enckevordius in Epitaphio, *incomparabilem sacrarum disciplinarum scientiam, ac prope divinam castissimi animi moderationem.* Erasmus Roterodamus in *Dedicatoria Arnobiana* se vocat integritatis ejus admiratorem, & boni Pontificis verissimis laudibus cumulate *Ibid. in fine* insignit. lib. XXIII. ep. II. *Mundum unum Adrianum spectare* scripsit, *qui rebus humanis serenitatem reducat.* In gratulatoria de Pontificatu ait *rerum humanarum tempestatem talem requisivisse nauclerum.* Apud Franciscum Sweertium in Belgicis Athenis extat haec sepulchralis inscriptio, quae in Vaticano legebatur, priusquam corpus transferretur:

Qui Romanorum SEXTUS Pater atque Sacerdos,
Hoc etiam PIETAS conditur in tumulo.

Ad illud re ipsa etiam videntur alludere voluisse, qui, ut inter duos PIOS II & III. piissimus Pontifex temporaria tumulatione deponeretur, auctores fuere.

# [1] VALERIUS ANDR. DESSELIUS

## IN

## BIBLIOTHECA BELGICA

ADRIANUS VI. PONT. MAX. antea ADRIANUS FLORENTIUS parentis nomine dictus, patria Ultrajectinus, natus anno CIↃCCCCLIX.



1 *Valerius Andreas Desselius.*] Hic *Valerius Andernach* vocatur ab Halma in Theatro Foederat. Civit. in *Adriano* VI. insigni errore, forte quia putavit ab Andernaco oriundum, cum *Desselium* se a loco natali vocaverit.

CIↃCCCCLIX. Puer apud ſuos, ac Daventriae literarum ſtudiis operam pro aevi genio dedit. Lovanii dein in Porci Paedagogio brevi temporis intervallo Dialecticos, Philoſophos, ac Mathematicos inter principem locum obtinuit. In Theologia etiam facile palmam caeteris praeripuit. Nec multo poſt, propter incredibilem vitae integritatem & doctrinae praeſtantiam, Canonicorum ſuffragio D. Petri Lovanii pronuntiatus eſt Decanus, & Academiae eo nomine Vice-Cancellarius. Fuit quoque Ultrajecti in patria ad S. Salvatorem Praepoſitus, Antverpiae ad D. Virginem Decanus, & primis annis Goerae in Zelandia paroecus. Hic CAROLO V. ſeptenni a ſtudiis primo fuit, & ab arcanis dein conſiliis: Cardinalis vero & Episcopus Dertuſenſis in Hispania regni ejusdem Prorex: eundemque poſtea anno CIↃIↃXXII. ſummum electum Pontificem, uti parentem, optimumque & ſupremum in Eccleſia Paſtorem, CAROLUS ſemper eſt veneratus. Quanta enim inter duos hoſce Principes viros animorum fideique fuerit conſenſio, vel maxime illae *Hadriani* Pontificis ad Fredericum Saxoniae Ducem teſtantur literae anno MDXXII ſcriptae, quibus in haec verba Ducem alloquitur: *Vivunt una Pontifex ADRIANUS, & religioſiſſimus Imp. CAROLUS, meus cariſſimus in Chriſto filius & alumnus, cujus tu edictum vere Chriſtianum adverſus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, non ſine gravi offenſa & vili-penſione Caeſareae Majeſtatis violare non erubuiſti. Non committemus, ut quos MAGNUS CAROLUS & ADRIANUS Pontifex in Chriſto genuerunt, nunc ADRIANUS Pontifex & CAROLUS Imper. ſub ſchismatico & haeretico tyranno haereſum ac ſchismatum ſinamus interire contagione &c.* Scripſit *Adrianus* Theologus etiamnum Lovanienſis *Quodlibeticas Quaeſtiones* XII. varii argumenti Lovanii MDXV. VIII. Pariſ. MDXVI. fol. & alibi.

*Quaeſtiones & Expoſitiones in* IV. *Sententiarum*, quibus Eccleſiae Sacramenta explicantur, & dubia circa ea diſcutiuntur. Pariſ. MDXXII. & MDXVI. fol. & alibi.

Cardinalis vero & Episcopus Dertuſenſis ſcripſit *Computum hominis agonizantis* & *De ſacculo pertuſo*, ſive de ſuperbia ſermonem. Antverp. MDXX.

Pontifex denique Maximus miſit Breve luculentum, ſive *Epiſtolam ad Germaniae Principes*, qua eos ad concordiam hortatur, Coloniae MDXXXV. cum Concilio Baſileenſi Aeneae Sylvii editam.

*Epiſtolas* item alias, ſive Brevia Apoſtolica, *ad Fridericum Saxoniae Ducem: ad Germaniae Principes: ad Senatum Bambergenſem.*

*Inſtructionem* praeterea *ad Franciscum Cheregatum*, Episcopum Interamnen-

ramnenſem: qua ea continentur, quae cunctis Romani Imperii Principibus tum proponenda videbantur.

Obiit Romae anno DCIↃIↃXXII. XV. Kal. Octob. annos natus LXIV. ſeditque menſes XX. dies VI. Aedes ſuas Lovanii in celeberrimum Theolog. Collegium, *Pontificium* hinc dictum, convertit. Porro vitam illius fuſius deſcripſere *Paulus Jovius*, *Onuphrius Panvinius*, & *Gerardus Moringus*, Theologus Lovanienſis. Elogia ab hoc ſua auſpicatus eſt Aub. Miraeus, Canonicus Antverpienſis. Maximilianus quoque Vrientius, S. P. Q. Gandenſi a ſecretis in effigiem, vitam atque obitum ejusdem elegantiſſimis luſit verſibus:

*Quae facies tam dira viri? Sextine ADRIANI?*
*Hoc ita. Quo functus munere? pene Dei.* [1] Etc.

Denique *Guil. Enckefortius*, *Adriani* benignitate & auſpiciis tit. SS. Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis, & Dertuſenſis in Hiſpania Episcopus, corpus in Vaticano depoſitum ad S. MARIAM animae Germanorum tranſtulit, & in auguſtiſſimum Mauſoleum intulit.

# IDEM

## IN

## FASTIS ACADEMICIS STUDII GENERALIS LOVANIENSIS

Pag. XCV.

ADRIANUS FLORENTII, Ultrajectinus, inter artium Magiſtros in Porcenſi Gymnaſio primum locum conſecutus, Philoſophiam in Falconenſi profeſſus fuit, ad Conc. Univerſ. ex Facultate Artium CIↃCCCCLXXXVIII. Kal. Octob. admiſſus, Doctorque Theologiae renuntiatus anno CIↃCCCCXCI. impenſas ſuppeditante Margareta, Anglorum Regis filia, Caroli Audacis vidua, per omnes dignitatum gradus ad ſupremum in terris apicem conſcendit. Nam Profeſſor S. Theologiae, & Canonicus in D. Petri Lovanii, mox ſufficitur Joanni de Thimo, Decret.



1 *Etc.*] Vide ſupra pag. CCCXLIII.

cret. Doctori, Decano ejusdem Ecclesiae, qui senio gravis dignitatem hanc cessit *Adriano.* Lovanio accitus in aulam Maximiliani I. Caesaris, moribus studiisque Caroli, pueri adhuc septennis, praeficitur: ad Ferdinandum Regem Catholicum a Carolo nepote Legatus mittitur: Rege defuncto, Carolus, in Belgio adhuc agens, eundem Dertusensis Ecclesiae nominat Antistitem: Leo X. Pont. Max. nominat Cardinalem: mortuo Leone, supremi ordinis Antistites absentem, raro exemplo & inusitato hactenus, reclamante uno dumtaxat, eligunt Pontificem. Vir fuit vitae sanctimonia, probitate, castitate, modestia singulari, pacis justitiaeque cultor eximius, literarum omnis generis apprime eruditus: nihilque in vita sibi infelicius duxit, quam quod imperaret. Visitur Romae monumentum sepulcrale in templo B. Mariae Animarum, Germanicae nationis.

## HADRIANUS VI. [1] ETC.

Plura in Bibliotheca Belgica, ubi & Scripta ejus recenseo, e quibus eminent & probantur omnibus *Quaestiones & Expositiones in quartum Sententiarum*, qui de Ecclesiae Sacramentis tractat: Item *Quaestiones Quodlibeticae* XII. miscellanei & varii argumenti. Scribit Antonius Possevinus lib. de Cultura ingeniorum cap. L. sese audivisse Lovanii *Hadrianum Florentium*, dum adhuc Decanus esset Lovaniensis, in publicis saepe disputationibus, quaecumque auctorum dicta a disputantibus citarentur, interpretantem pro se, etiamsi ex iis essent, qui adhuc viverent. Videri item possunt de Vita ejusdem *Paulus Jovius* & *Gerardus Moringus:* item *Blasius Ortizius*, *Adriano* a sacris, & Canonicus Toletanus, in *Itinerario* ejusdem *Adriani* electi Pont. ex Hispania Romam versus, edito Toleti anno MDXLVI. Quibus lubet adjicere, alibi fortassis non lecta, quae habet Marius Salomonius J. C. Romanus, scribens ad *L. Princeps D. de Legibus*, disputansque quatenus Princeps legibus solutus sit: *Hoc istud redolebant*, inquit, *Hadriani* VI. *Pont. Max. verba, quae suaviter locutus est nobis, qui pro populo Romano pedes ejus, ut moris est, osculatum ivimus, congratulatumque de ejus electione, prospera navigatione, felicique in Urbem ingressu, summa omnium laetitia; & post alia multa exposita tum Sanctitas sua, nostris dictis memoriter ac hilari fronte collaudatis, gratissimam responsionem clausit his verbis:* Bono animo sitis. Princeps, qui aliud quaerit supra Principatus honorem, quique haud solam populorum utilitatem quaerit, non Princeps est

[1] *Etc.*] Vid. ad Moring. cap. XXV.

est, sed Tyrannus. *Tum perlepide addit*: Os meum paucis pascitur, & corpus tegitur: quicquid supererit ex Pontificiis reditibus in Christianorum commoda effundetur.

# JACOBUS A S. CAROLO

IN

## BIBLIOTHECA PONTIFICIA

Pag. CVII.

HADRIANUS VI. antea *Hadrianus Florentius*, Ultrajectinus, Papa CCXIX. anno MDXXII. die VII. vel IX. Januarii creatus est, Romae in Vaticano XXIX. vel XXX. Augusti coronatus. Scripsit

*Quaestiones & disputationes in quartum sententiarum*, quibus Ecclesiae sacramenta explicantur, & dubia circa ea discutiuntur, Parisiis apud Nicolaum Saultrier MDXII. MDXVI. & MDXXVIII. fol. Romae MDXXII. apud Marcellum fol. Lugduni MDXLVI. apud Jacobum Juntam in VIII.

*Quaestiones Quodlibeticas duodecim* Lovanii MDXV. in VIII. Parisiis MDXVI. in fol. MDXXXI.

*Sermonem Peneriticum in computum hominis agonizantis* Romae MDXXII. apud Marcellum fol.

*Sermonem alterum de sacculo pertuso, sive de superbia.* Ibid. & Antverpiae anno MDXX.

[1] *Itinerarium ab Hispania.*

*Instructionem ad Franciscum Cheregatum Episcopum Interamnensem*, qua ea continentur, quae cunctis Romani Imperii Principibus tum proponenda videbantur, Coloniae MDXXXV.

*Professionem fidei & pollicitationes Adriani* VI. MSS. in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Brisciae.

*Legationem ad Conventum Nurenbergensem*, Witebergae MDXXXVIII. in VIII. una cum responsione.

*Epistolas insignes ad varios*, praesertim ad Germaniae Principes, pro concordia

1 *Itinerarium.*] Male hoc *Itinerarium* inter scripta Hadriani refert, cum compositum sit a *Blasio Ortizio.*

cordia MDXXXV. quarum una prolixa & docta ad Saxoniae Ducem adversus Lutherum tom. IX. Concil. sub hoc titulo:

*Diploma Apostolicum Hadriani* VI. *ad Fredericum Saxoniae Ducem* Witenbergae cum tom II. operum impii Mart. Lutheri. Altera *ad Inquisitorem Comensem* ibid. Aliae ad *Senatum civitatis Bambergensis*, atque *ad singulos quosque Principes Ecclesiasticos & Laicos* Coloniae MDXXV. cum Concilio Basiliensi Aeneae Sylvii editae. Altera *ad Marcum Marulum* plena honoris & erga illum benevolentiae prodiit Romae. Aliae Epistolae *ad Carolum* V. *Imperatorem* extant MSS. in Bibliotheca Barberina.

*De Bullis & Constitutionibus Ecclesiasticis* consule Collectores.

Obiit anno MDXXIII. die XIV. Septembris, sepultus in aede S. Mariae de Anima cum sequenti Epitaphio.

HADRIANUS VI. PONT. MAX.

EX TRAJECTO ETC.

Vacat sedes menses II. & dies IV.

De Vita & rebus gestis *Hadriani* Gerardus Moringus, Paulus Jovius, Johannes Jacobus Boissardus, Aubertus Miraeus, Cajus Barius, Hilarion Costaeus, Guielmus Rovilius, Ludovicus Dominicus, Andreas Jacobatius, Antonius Sanderus, Conradus Vegerius, Cyprianus Benetus, Felix Contelorius, Joannes Antonius Flaminius, Hieronymus Niger, Hieronymus Baldus, Maximilianus Vrintius.

De scriptis *Bibliotheca Belgica* Valeri Andreae Desselii, *Athenae Belgicae* Francisci Sweertii, *Bibliotheca Theologica* Molani, Rupipozaeus, Bellarminus, Possevinus, Angelus a Roca, Fabianus Justinianus, Ferdinandus Ponzetus Cardinalis *lib. de Sacramentis*, Gregorius Cortesius Cardinalis *lib. quod S. Petrus Romae fuerit*. Aloysius Novarinus Veronensis *in omnium scientiarum anima*. Antonius Verderus in *Bibliotheca Gallicana & supplemento Gesneriano*. Claudius Sanctaeus *de Rebus Eucharistiae* pag. CCCLXXVII. Joannes Azorius S. J. *lib.* I. *Institut. Moral.* cap. XIV. Laurentius Beyerlinck lib. *Apothegm. Christ.* pag. LXXXVI. CCCLXXXIII. CCCXCIII. CCCCLIV. & CCCCXCVI. Coccius in *Thesauro*. Spondanus, Genebrardus, Gesneri *Bibliotheca*. Paulus Boldicanus in *Bibliotheca Philosophica* pag. CLIX. Ludovicus Carbo Perusinus in *Catalogo Scholasticorum Theologorum, qui in tertiam partem D. Tho-*

*D. Thomae scripserunt cap.* XXXIV. & alibi. Ciacconius in *Hadriano.* Onuphrius *ibid.* Mathias Bellintanus Capucinus in *Historia Salodiensi* anno MDLXXXVI. edita. Andreas Victorellus *addit. ad vitam Hadriani.* Ferdinandus Ughellus Abbas *ibid.*

# BELLARMINUS
## DE
## SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS
Ad ann. MD.

*Adrianus Sextus* Pontifex, natione Trajectensis in Belgio, vivebat anno Domini millesimo quingentesimo, & obiit anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio. Vir fuit optimus, & merito doctrinae & pietatis ex humili loco & pauperrima domo ascendit ad magnas opes & majores honores. Scripsit disputationes in quartum sententiarum, & Epistolas insignes, quarum una valde prolixa & docta ad Saxoniae Ducem extat in tomis Conciliorum.

# SAUSSAEUS
## IN
## CONTINUATIONE
## BELLARMINI
## DE
## SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS
Pag. VIII.

HADRIANUS SEXTUS Pontifex Maximus, Trajecti ad veterem Rheni alveum apud Batavos natus est, cujusdam obscurae sortis Florentii

Florentii filius. Qui cum a puero ſe totum ſacris literis Lovanii conſecraſſet, eos in doctrina & virtute progreſſus fecit, ut Baſilicae electus ſit Sancti Petri Decanus. Mox Academiae Cancellarius renuntiatus *Quaeſtiones Quodlibeticas duodecim*, & *in quatuor libros ſententiarum* commentarios valde luculentos ſcripſit, cum plauſu ubique ſuſceptos, & variis locis excuſos. Factus ſic celebris Maximiliano I. Imperatori innotuit, qui Caroli V. adhuc ſeptennis ſtudiis eum praefecit. Hinc in Hiſpaniam ad Ferdinandum Regem miſſus eſt, a quo Dertuſanus Antiſtes, deinde a Leone decimo Cardinalis creatus, eadem animi moderatione ſemper & ubique ſibi conſtitit. Ferdinando ſubinde ab humanis exempto, Carolus haeres Francisco Ximenio Cardinali regni adminiſtrandi munus mandavit, *Hadriano* in ſocietatem conſiliorum adjuncto. Carolus poſtmodum Maximiliani defuncti imperium ſuſcepit: quo in Germaniam ad ſumendum diadema abeunte, *Hadrianus* cum regia poteſtate Hiſpaniae ab eo praefectus fuit. Interim dum haec regna feliciter adminiſtrat, Leone X. demortuo, inopinate, & abſens Pontifex Maximus electus eſt, raro & hactenus inuſitato exemplo, undequadraginta Cardinales eum ſuis ſuffragiis ad Apoſtolicum apicem provexerunt. Ubi in Urbem venit, mox paraeneticam Epiſtolam ad Fredericum Ducem Saxoniae, qui Lutherum fovebat, dedit: qua paterne hortabatur, ut avitae pietatis memor, illam a ſe peſtem expelleret. Sic ſcripſit ad caeteros Germaniae Principes, commonefaciendo eosdem, ut junctis armis Turcas imminentes ſuis finibus arcerent. Lovanii ſubmoto veteri collegio, quod nimis anguſtum erat, novum extruxit, longe amplius & illuſtrius, ſuoque ſenſu locupletavit, *Pontificium* hinc dictum. At optimus Pontifex, dum depravatorum morum correctionem, ſectarum extirpationem, Principum concordiam, ſerio ſollicitat, humanis rebus eximitur, meliore ſeculo dignus. Ejusdem vox memoranda celebratur: *Nihil ſibi imperio infelicius in vita accidiſſe.* Sedit tantum annum unum, menſes VIII. dies VI. Ejus vitam *Paulus Jovius*, & *Gerardus Moringus*, aeternis lineis conſignarunt. Obiit Romae MDXXIII. jacetque in aede Beatae Mariae de anima cum hoc Epitaphio:

HADRIANO VI. etc.

VITA

# VITA
# HADRIANI SEXTI
## Ex tomo XIV.
## CONCILIORUM GENERALIUM
# LABBAEI.

*Hadrianus* tenuis ſed honeſtae fortunae parentibus Ultrajecti natus, Lovanii ſtudendo tantum profecerat, ut inter Theologos facile primus haberetur. Qua de cauſſa in Caroli V. praeceptorem aſſumptus, atque in Hispaniam profectus, ibique Episcopus & Cardinalis creatus, poſt vices ibidem Caroli praeclare geſtas, tempore ejusdem Caroli V. Imperatoris, anno Domini MDXXII. quinto Idus Januarii, opera Cardinalis Medices, atque omnium Cardinalium conſenſu, Pontifex electus fuit. Quod cum illi, apud Victoriam urbem Cantabriae moranti, nuntiatum eſſet, Genuam maritimo itinere delatus, a Principibus Galliae ſummo honore viſitatus eſt. Romam ingreſſus octavo Kalendas Octob. in Vaticano coronatus eſt pompa admodum tenui propter peſtis calamitatem, quae tum Urbem pervaſerat. Nomen cum quibusdam aliis Pontificibus non immutavit. Amplo & robuſto erat corpore, ſed vivaci ingenio. Nam cum Cardinalis nepoti ſuo ſacerdotium LXX. aureorum annui reditus contuliſſet, vacaſſetque aliud, cujus proventus paulo pinquiores eſſent, vix adduci potuit daret illud, ſolitus dicere: *Cupere ſe homines beneficiis dare, non beneficia hominibus.* Ad Rempublicam accedens, ob minimos rerum uſus omnia fere aliorum arbitrio moderabatur. Bellum intulit *Sigismundo Malateſtae*, quem, Ducis Ferrarienſis atque Urbini auxilio fretus, Arimino expulit, omniaque adverſus eos Duces a Julio & Leone decreta abrogavit. Cardinalem *Soderinum* ob datas adverſus Pontificem & Carolum literas, in vincula conjecit. Rhodum tertium jam menſem graviſſima obſidione periclitantem cum reſciviſſet, omnes curas & cogitationes in hoc convertit, ut illi ſuccurreretur. Verum turbato tum rerum ſtatu, aerario profuſo, infelici exitu obſidio terminata eſt. Multa quidem, uti erat ardenti zelo accenſus, in Eccleſiae utilitatem praeſtiturus erat, ſi Godefridos, Tancredos, Balduinos, Robertos ea

aetas nacta fuisset. Ad Clerum reformandum, corruptosque Urbis mores, ingenii vires convertit. Sanctum *Antonium Florentinorum* Antistitem, & Sanctum *Bennonem* Germanum, in Sanctorum coetum aggregavit. Cum intellexisset Franciae Regem Franciscum in Italiam cum potenti exercitu adventantem, Pontifex Caesaris partes fulsit, Anglis, Hungaris, Venetis, aliisque liberis Italiae civitatibus in foederis societatem adductis. Hujus temporibus, inquit Surius, quoddam mire ridiculum accidit Wittembergae: *Corolostadius* enim & *Melanchton*, praecipui Lutheri discipuli & symmastae, hausta occasione ex scriptis Lutheri, studiosis adolescentibus persuasere, non esse dandam operam [1] Philosophiae: Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & id genus alios, non nisi mera scripsisse commenta & imposturas, ideoque libros eorum Vulcano consecrandos; uni sacrorum Bibliorum lectioni vacandum, neque fas esse hominem Christianum literis deditam actitare vitam: faciendum omnibus, quod in Genesi dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Et ut suam insaniam ex Lutheri primaevis fontibus ad se derivatam magis proderent, [2] *Carolostadius* ex Archidiacono factus est agricola Wittembergensis: [3] *Melanchton* in pistrino artem pistoriam meditabatur: plerique adolescentes, artium liberalium libris combustis, mechanica opificia complexi sunt. A quo delirio dum Lutherus utrumque a se infatuatum versis velis ad mentem saniorem reduxisset, omnes ille catholicos Reges ac Principes scriptis suis calumniose traduxit. *Hadrianus* paulo post haec incidit in morbum, ex quo commendata Ecclesia & Christiana republica Cardinalibus, diem clausit extremum VIII. Kalendas Octobris anno Christi MDXXIII. cum in Pontificatu sedisset annum unum, menses sex, diesque totidem. Post obitum ejus duos menses diesque quatuor sedes vacavit. In Sancto Petro sepultus est, hoc elogio exornatus:

HADRIANUS VI. HIC SITUS EST,
QUI NIHIL INFELICIUS IN VITA,
QUAM QUOD IMPERARET, DUXIT.

1 *Philosophiae.*] Hae sunt merae calumniae. Non enim *Lutherus*, neque *Melanchton*, & primi illi emendatae religionis auctores omnem Philosophiam condemnarunt, sed tantum scholasticam. vid. Seckendorf. lib. I. Hist. Luther. Sect. XXVII. §. LXX. ubi ipsa *Melanchtonis* verba adducit.

2 *Carolostadius.*] De *Corolostadii* turbido & contumaci ingenio, & nimio zelo adversus literarum studia, & nimia infimae plebis prensatione vid. Seckend. lib. I. Hist. Lutheran. Sect. XLIX. §. CXXI addit. I.

3 *Melanchton.*] Falsum esse, quod Melanchton Corolostadii dogmate commotus, neglectis studiis in officina pistoris laborarit, verum calumniam inde ortam, quod alius quidem *Philippus*, Rhetoricam Wittenbergae docens, eo vesaniae venerit, docet ibidem illustrissimus Seckendorfius.

LABBAEUS

# LABBAEUS

## DE
## SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS

Tom. I. pag. ccccxv.

HADRIANUS *Florentius*, patria Ultrajectinus in Batavia, Theologiam Lovanii professus, S. Petri Decanus, & Academiae Cancellarius, praeceptor Caroli v, Episcopus Dertusanus, S. R. E. Cardinalis, ac tandem post Leonem x. summus Pontifex, anno uno, mensibus octo, diebus sex, ab anno MDXXII. ad diem XIV. Septembris anni MDXXIII. qua obiit. Sepultus in aede sanctae Mariae de Anima, cum brevi hoc epitaphio super tumbam: *Hadrianus* VI. *hic situs est*, *qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit*. De eo Possevinus, Bellarminus, Valerius Andreas, Sweertius, Nomenclator Cardinalium, Onuphrius, Ciacconius &c.

*Quaestiones Quodlibeticae numero* XII. Lovanii MDXV. & MDXVIII. Parisiis MDXVI. MDXXI. &c.

*Disputationes in librum quartum Magistri sententiarum*, quibus dubia circa sacramenta Christianae legis explicantur. Parisiis MDXII. MDXVI. Romae MDXXII. Ipso jam Pontificatum tenente *Hadriano*, ex officina Marcelli cum *sermone paraenetico in computum hominis Christiani agonizantis*, & *sermone de pertuso sacculo sive de superbia ex bonis &c.* tum MDXXVI. MDXXVIII. MDXLVI. &c.

*Epistolae aliquot ad Germanos pro concordia*, ac praecipue diploma Apostolicum ad Fredericum Saxoniae Ducem, ad Senatum Bambergensem &c. cum instructione ad Franciscum Cherecanum Episcopum Interamnensem de iis, quae cunctis Romani Imperii Principibus proponenda erant.

# J. JAC. HOFMANNUS

IN

HISTORIA PAPARUM SEU EPISCOPORUM ECCLESIAE ROMANAE

Part. II. pag. CCCXX.

## ADRIANUS [a] VI.

Me Batavi evectum gaudent, ludosque [b] celebrant,
Taurus [c] at offertur, negligiturque Rhodos. [d]
In melius tamen haec [e] atque haec convertere certus,
Praevenior fati [f] tetricitate mei. [g]

## ENARRATIO.

[a] Ultrajecto Belga, praeceptor olim Caroli V. Imp. tunc Hispaniae Rector, industria & eruditione ad Papalem apicem enisus est, post Leonem electus d. IX. Januarii anno C. MDXXII. Caroli V. Imp. IV. nominis sui retinens. [b] Promotionem celebribus ludis prosequuti sunt Batavi. Ipse vero, atroci pestilentia Romam vastante, dum nec pavidus multum, nec anxie pharmacis armatus, in Urbe permansit, mirifice eo officio incolis placuit. [c] Mago tamen Demetrio Graeco, *ut sylvestrem taurum Diis Gentilium, ad eorum iram placandam, offerret*, [1] permisisse Jovius docet *Tom.* II. *lib.* XXI. Sed & [d] quod lentior esset in rebus peragendis, Rhodum insulam a Solymanno expugnari die ipso Natali Christi passus est, quo die & saxum ingens prodigiose delapsum eum pene oppressit. [e] Interim Ecclesiam reformatione in capite & membris opus habere non inficiatus, ipse, ut scandalis aliquo modo mederetur, coepit officia venalia abolere, foeneratoresque & aversae Veneri deditos castigare, ingenti delinquentium offensa: cognatis suis nihil more antecessorum tribuit, negans *Sionem in sanguinibus aedificandam.* Cumque Norimbergae Ordines Imperii Conventum agerent, *de Bello Turcico & Religione* deliberaturi, misit eo Legatum Franciscum Cheregatum Episcopum

1 *Permisisse.*] Vide quae ad Jovium cap. XII. adnotavimus.

copum Aprutinum, cum mandatis reformationem, non quidem in doctrina & sacramentis, in vita tamen & officiorum ambitu, urgendi d. xxv. Novemb. quod ejus propositum carpentem Cardinalem Pallavicinum perstringit Launojus Sorbon. vix excusari posse, qui probitatis antiquae & moris prisci Pontificem contumeliose prosequutus sit, ut Curiae blandiretur, addens Epist. IV. VII. Interea conflixit Lutherus cum fanaticis hominibus Nic. Stork, Thoma Munzero, aliisque, & respondit Henrico Angliae Regi. Monachi vero, lectis ejus aliorumque scriptis, passim e monasteriis egredi coeperunt anno eodem. Post quae Ordines Imperii centum nationis Germanicae gravamina, haec tria capita praesertim complexa: *Quod Curia Romana gravissima servitute populum premat, Germaniam facultatibus exspoliet, & Magistratus secularis jurisdictionem sibi vindicet*, Legato Adriani exhibuerunt, non aliud controversiis hisce tollendis certius remedium Concilio Universali fore addentes, d. VI. Martii. Dum Lutherus, abrogata Missa, *formulam communionis sacrae & praeconii Euangelici* Wittebergensibus ordinavit, ac *S. Biblia* vertere, Tigurini in Helvetia, missis traditionibus, purum Dei verbum praedicare coeperunt. Porro Guil. Bricocaetas, Meldarum Episcopus in Galliis, primus Euangelium in sua dioecesi annuntiare ausus est, & Joh. Clericus Meldensis Gallus, Mechanicus, Ecclesiae Metensis initia sanguine suo jecit. In Dania autem, profugo ob crudelitatem Christierno II. Fridericus Holsatiae Princeps successit. At Pontificis Legatus mox ut Rhomam rediit, [f] *Adrianus*, seu veneno, seu curis confectus, decessit die XIII. Septembris anno Christi MDXXIII. Sedis anno I. m. VIII. d. VI. Caroli Imp. ann. V. hoc Epitaphio honoratus: *Hadrianus* VI. *hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit.* v. Sleidanum lib. IV. Paralipomena ad Ursperg. Paulum Ven. Histor. Concilii Trid. Onuphrium Panvin. caeterosque *in Eo.* [g] Illo sedente, Inquisitor Hoochstratanus flamma coepit in Lutheri asseclas saevire, cremavitque Bruxellis Henricum & Johannem Mon. Augustin. d. I. Jul. anno Ch. MDXXIII. quos, ut *sui temporis primos Martyres* Cantico celebravit Lutherus. Vide Erasmum *Adriano* non minus, quam Leoni, gratum L. XXI. Epist. VII. & lib. XXIV. Epist. IV.

JOANNES

# JOANNES LAUNOJUS

Part. IV. Epistol. VII.

## JOANNES LAUNOJUS HENRICO BARILLONIO.

Cum nuper de Hadriano VI. Pontifice colloquebamur, variam admodum fuisse illius fortunam observabas. Res sic se habet. Multiplex scientia, Philosophia, Theologia, Juris utriusque cognitio, & omni virtutum genere cumulata natura, fecerunt, ut Hadrianus absens, nihil minus cogitans, in Pontificem optaretur. Communi Patrum consensu optatus est. Atque hoc θεῖόν τι visum quamplurimis. Optatus Sedi Apostolicae bonorum applausu magno praefuit, perfectum atque expletum suis numeris & partibus Episcopatum gessit, & in eo omnibus, praeterquam malis, se probavit, satisfecit. Hinc postquam ex hominum colluvione discessit, succedentium paulatim temporum iniquitatem experiri ac sentire coepit. In Episcopalis officii non bene gesti suspicionem venit apud eos, qui seculari potius quam religiosa prudentia regendam esse Ecclesiam prae se ferunt. Sforza Cardinalis Pallavicinus obtrectatorum Hadriani calumnias in se recepit, & historiae Tridentini Concilii intulit. Hadrianum quidem Pontificem esse egregiis moribus ornatum, sed ad gubernandam Ecclesiam minus aptum, non idoneum, qui munus sustineret tantum, & qui publicis Sacerdotiis praesideret. Mihi crede, inquiebat, Pallavicini verba sunt haec in libri I. de Tridentini Concilii historia capite IX. *Fu Ecclesiastico ottimo, Pontefice in verita mediocre: Clericus fuit optimus, Pontifex reipsa mediocris.*

Cur autem Curiales magistri, qui tempori serviendum esse putant, & cuncta suis metiuntur commodis, sic de Hadriano detrahant, in causa fuerunt tria: Et primum quidem, Hadrianus vivere instituit, ut docuerat. Lovaniensis Theologus docuerat, Clerico de bonis Ecclesiae nihil praeter victum & vestitum sibi sumendum esse: Romanus vero Pontifex de bonis Ecclesiae nihil praeter victum & vestitum sibi sumpsit, ut caeteris exemplum praeberet, forma gregis factus. Sed quoniam in quartum

sent.

ſent. ubi de reſtitutionis materia diſputat, quaeſtionem hanc accurate tractat ac diligenter, eam referre pene totam operae pretium eſſe duxi.

*Quaero*, inquit, *an Eccleſiaſticus ultra victus decentem neceſſitatem conſumens de bonis Eccleſiae teneatur ad reſtitutionem.* Et quibusdam interpoſitis: *Pro reſponſione ad quaeſitum ponam aliquas concluſiones. Prima eſt: Decimae & caetera temporalia dantur miniſtris Eccleſiae, ut aliorum miniſteriis ſuſtentati, ſoli Deo, & ejus verbo vacare poſſint, & efficacius apud Deum populi peccata ſupportent. Patet Numerorum* XVIII. *Filiis Levi dedit omnes decimas pro miniſterio, quo ſerviant mihi in tabernaculo foederis, ut alii ad illud non accedant, ſolis ipſis mihi ibi ſervientibus & ſupportantibus peccata populi, &* II. *Paralipom.* XXXI. *dicitur, ut poſſint vacare legi Dei. Et gloſſa Joſuae* XIII. *lex Dei commiſſa eſt Sacerdotibus & Levitis, ut huic ſoli operam tribuant, & verbo Dei absque ulla ſollicitudine vacent, laicorum miniſteriis ſuſtentati. Item oblationes & quaecunque oblata Eccleſiae dicuntur vota fidelium & probra peccatorum.* XII. *quaeſt.* I. *Videntes. Et Ozeae* IV. *peccata populi, quae Sacerdotes comedunt, quia pro peccato oblata: Qui quidem peccata comedere dicuntur, quia precibus ſuis ea delent atque conſumunt.* I. *quaeſt.* I. *ipſi Sacerdotes. Ex qua concluſione ſequitur, quod Clericus perdite vivens, & Deum continuo pravis moribus ſtimulans, aut officium debitum praetermittens, tenetur reſtituere, quidquid de fructibus Eccleſiaſticis expenderit. Patet, quia ſuſcipiens aliquid ad cauſam, quam praeſtare non curat, tenetur praeceptum reſtituere, ut patet ff. de condit. cau. data. Et non ſe, per totum. Et ergo quemadmodum pauper ſuſcipiens eleemoſynam ut oret, ſi non oraverit, obligatur & tenetur reſtituere, ita in propoſito. Et haec eſt ratio, quare curam ſuſcipiens, ut ad annum fructibus gaudeat, non intendens ad ſacerdotium promoveri, poſtea illam dimiſſurus, tenetur illos reſtituere, quia fraudulenter perceptos, ut habetur in ca. Commiſſa de electione libri* VI. *niſi intentione mutata: &c. Ut ibidem dicitur. Et eadem eſt ratio de aliis beneficiis, cum non intendit ſuo tempore debitum ſervitium impendere. Ex quo patet error gloſſae de recipientibus diſtributiones quotidianas non intereſſendo Divinis: Niſi conſuetudo illa ratione nixa fuerit, quia hoc intereſſe Divinis per abſentes in melius commutabatur, puta in orationes devotas, &c. aut ſaltem aeque bonum, quia ſic tacitus praeſumeretur fundatorum conſenſus. Sed de hoc gloſſa non meminit. Veruntamen ſicut pauper non tenetur illi reddere, a quo accepit, cum ille jam dederit Deo, ſed debet reddere Eccleſiae vel pauperi, ita eſt de fructibus beneficiorum. Et pro illo eſt cap. Verum de condit. appoſ. quia ſcilicet donatio facta Eccleſiae ſub*

*modo non revocatur, nisi cautum fuerit. Cujus rationem dat Panormitanus, quia modus adjectus non praesumitur esse causa finalis. Hinc Hieronymus tractans illud Esaiae* III. *popule mi, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Raptores, inquit, sunt, qui capiunt temporalia & non seminant spiritualia, ut Apostolus primae ad Thimotheum quinto. Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis, &c. Hujus dat aliud simile Alexander de Hales* III. *part. quaest.* XXXVI. *membro & art. dicto. Si agricolae detur pecunia, ut in agro laboret, & ipse acciperet & non laboraret, raptor est & fur. Similiter videtur de istis, quae bona Ecclesiae in necessariis expendunt, sed non deserviunt.*

*Secunda Conclusio est sententia Sanctorum. Qui superflua retinet, & pauperibus non elargitur, sive Ecclesiastica, sive saecularia fuerint bona, raptor & invasor & fur dicitur, sed ad restitutionem minime obligatur. Prima pars patet. Primo ex verbo Hieronymi: Aliena, inquit, rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur,* XLII. *distinct. in principio: Secundo Ambros. proprium nemo dicat quod commune, plusquam sufficeret sumptui, violenter obtentum est. Et infra: Tantorum te scias bona invadere, quantis possis praestare quod velis,* XLVII. *distinct. sicut* II. *Tertio verbo August. sermone* CCXIX. *de tempore. De novem partibus studeat eleemosynam dare pauperibus. Ita tamen, ut quidquid excepto victu mediocri & vestitu rationabili superfuerit, non luxuriae reservetur, sed in thesauro coelesti per eleemosynam pauperum reponatur. Quidquid nobis Deus plusquam opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit, quod si non dederimus, res alienas invasimus. Et idem. Nonne omnes qui sibi videntur gaudere conquisitis, eisque uti nesciunt, alienum possidere convincimus? Omne enim quod male possidetur, alienum est, male autem possidet, qui male utitur,* XIII. *quaest.* III. *quid dicam. Item Isidorus in libro Etymologiarum, ut patet extra de verborum significatione. Jus dictum est. Et secunda pars Conclusionis patet: Quia proprietas vera apud illos deteriores residet. Etiam in restitutione non solvitur obligatio, seu extinguitur ex mutatione conditionis in aliis, sed si prius sint pauperes egentes, pro nunc censeri occupare aliena, post cum coeperint non egere, possum licite de meis pro arbitrio disponere.*

*Tertia Conclusio: non licet Sacerdoti aut alteri praebendato de bonis Ecclesiae ultra victum sobrium & decentem sibi usurpare, vel ex eisdem cognatos divites facere. Prima pars patet: primo per illud Hieronymi: De altario tibi, o Sacerdos, vivere licet, non luxuriari. Luxuriatur autem*

*tem quicunque praeter status decentem necessitatem plus debito expendit in cibis aut vestibus. Luxus namque & luxuria omnis abundantia dicitur. Quo significato prohibetur, ne Clericus sinat comam luxuriari. Idem probat verbum Bernardi in epistola* XLII. *prius allegatum, & aliud ad quendam Canonicum, quod inter epistolas ejus nondum reperi. Item Augustinus sermone ad Sacerdotes, qui ponitur* XXXVII. *inter sermones ad Fratres in eremo. Memento, inquit, quod pauperem vitam Sacerdos gerere debet, & ideo si superbam habet, si magno gaudet beneficio praeter victum & vestitum, quod superest, pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt. Verbum autem illud, quod negare non debet fidelis, Qui altari servit, de altari vivat, omnino verum est: quia non licet Sacerdotibus manibus operari, ligonizare, ferrum fabricare, & similia. Hoc autem propter reverentiam, & tanti Sacramenti dignitatem magis ad saeculares, quam Sacerdotes pertinet. Ne ipsi Sacerdotes Dei fame pereant. vel nuditate. Ideo dignum est, ut qui altari, &c. Secunda pars patet auctoritate ejusdem eodem sermone praemisso, quemadmodum saeculari potentia procurantes praebendas cum Giezi & Juda damnati sunt; Subjungit: Divites raro vel nunquam pauperibus Sacerdotibus praebendas procurant, & si procurant, non Dei timore procurant, sed ut cum uxore & familia de bonis Ecclesiae gaudere valeant. Et ideo sciat sacerdos, qui timore vel amore defraudari se a divite permittit, quod impunitus non remanebit: & si non in praesenti, saltem in futuro igne aeterno non carebit. Item Prosper: Ecclesiae Pastor, quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare, quandoquidem nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere. Nec illi, qui suadentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt.* I. *quaest.* II. *Pastor. Ergo non licet de bonis Ecclesiae divitibus dare, & per consequens minus cognatos, seu consanguineos proprios ex eisdem ditare. Et Ambrosius primo de officiis cap.* III. *Melius est, ut ipse tuis subvenias, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, non tamen ut illi ditiores fieri velint ex eo quod tu auferre potes in opibus. Neque enim propterea te Deo dedicasti, ut illos divites facias. Sed ut tibi vitam perpetuam fructum boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata tua redimas. Putant se parum poscere, primum quaerunt tuum, contra accusant, quod eos divites non feceris, cum te velint illi parentes aeternae vitae fraudare mercede. Item* XXXVII. *Canon Apostolorum. Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat Episcopus, & ea velut Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex iis aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quae Dei sunt condonare. Quod si pauperes sunt, tan-*

*quam pauperibus subministret, ne eorum occasione Ecclesiae depraedentur. Allegatur* I. *cap. quisquis*, XII. *quaest.* II. & *Hieronymus. Praeter victum & vestitum, & manifestas necessitates nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panes canes comedant*, XVI. *quaest.* I. *si cupis. Et est ratio, quia quidquid habent Clerici, pauperum esse debet, ut dicit Hieronymus ad Damasum Papam*, XVI. *quaest.* I. *quoniam ubi & eos Clericos absque sacrilegio de bonis Ecclesiae sustentari posse negat, qui parentum sustentari possunt opibus, cujus veritatem in sequentibus pertractabo. Defraudarentur ergo pauperes, & caetera.*

*Quarta Conclusio: quemadmodum mobilium & immobilium Monasterii Conventus habent proprietatem & dominium, & non singuli Monachi, ita in saeculari Ecclesia omnes & non singuli Canonici sunt domini, & proprietatem habent bonorum, quae spectant ad mensam Capitularem, sed singuli fiunt domini portionis fructuum, quam annue levant, ut stipendium. Prima pars patet auctoritate Hieronymi concludentis, quia quidquid habent Clerici & caetera, librum est Monachis & spiritualibus viris decimas & oblationes cunctaque remedia concedere, & de jure suo in dominium illorum & usum transferre.* XVI. *quaest.* I. *Praeterea si proprietas omnium bonorum Ecclesiae resideret apud Christum, vel universitatem Cleri aut Ecclesiae, ut volunt communes opiniones Juristarum, quas glos. tangit in cap. Expedit.* XII. *quaest.* I. *non posset Summus Pontifex specialiter in se, vel Sedem Apostolicam quorumcunque proprietatem suscipere contra C. exiit qui seminat, de verb. signif. lib.* VI. & *exivi de Paradiso. Eodem tit. Cle. aeque enim illa quae offeruntur minoribus Christo dantur, vel Ecclesiae, aut universitati Clericorum, sicut quae offeruntur quibuscunque aliis Conventualibus vel Saecularibus Ecclesiis. Neque essent dominia illorum in incerto, quanquam donantes absolute transferant, non servantes sibi rerum concessarum proprietatem, quod innuitur manifeste dicto cap. exiit: Neque obstant motiva pro contrario C. Qui Christi pecunias & Ecclesiae aufert, &c. Et cap. qui abstulerit*, XII. *quaest.* I. *& C. cum ex eo de Cle. lib.* VI. *Cui ut solidiori fundamento Panorm. innititur in cap. Cum esse, quia de Clericis quibusdam ibi dicitur quod fuerint patrimonio Christi sublimati, quia aeque omnium immobilium quae Minores occupant, diceretur Christus vel Ecclesia dominus, quorum tamen Sedes Apostolica habet proprietatem: Diceretur ergo Christi patrimonium bona Ecclesiae, quia in suis membris Christo donata. Secundam partem probo, quia non sunt quoad proprietatem sortiendam deterioris conditionis Clerici, quam alii pauperes, sed si portio alicujus Canonici tota daretur pauperi, aut certe militi pro redemptione captivi, nullus ambigeret in illum proprietatem*

*tem transferri*, *ergo. Pro eodem est cap. unicum de Ele. non resig. supra allegata. Praeterea nisi sic, non deberet passim creditoribus satisfieri de fructibus beneficiorum. Refert autem collectarius in cap. Odoardus. de solu. se vidisse in Curia, quod Clericus nihil habens de patrimonio, admissus fuit ad cedendum fructibus beneficii; deductum quantum sufficit pro administratione Divinorum. Et quanquam Doctores aliqui velint, hoc solum procedere, cum pro sustentatione sua Clericus debita contraxerit, videtur divinatio ad cap. Olim* II. *de restit. spo. ubi neque dicitur, quod debita post pulsionem de Episcopatu contraxerit, ut sic intelligatur pro sui sustentatione contraxisse, ut vult Panor. neque pro sua sustentatione, sed potius antequam pulsus esset, etiam partem alienae dioecesis occupaverit, quam cum fructibus perceptis restituere compelli jussus erat. Et hujus opinionis est Hostiensis, & Dominus Antonius in cap. pervenit. Faciunt etiam superius allegata.*

*Ex quibus infero corollarium responsivum ad quaesitum; Ecclesiasticus de bonis Ecclesiae prodige & inutiliter exponens, juxta sententiam Sanctorum rapinam committit, & sacrilegium; sed restituere non tenetur. Prima pars patet ex verbo Bernardi ad quendam Canonicum, prout allegatum ab Alexandro de Hales supra posui. Item per glossam Hieronymi super verbo Domini Esaiae* III. *Vos enim depasti estis, &c. Reor hoc fuisse inter senes & principes veteris populi, quod inter Episcopos & Presbyteros nostri temporis. Nostri quoque Principes cum pauperes delinquentes publice arguant & confundant, divitibus pejora peccantibus, nec nutum faciunt, in quorum domibus rapina pauperum, dum Ecclesiae opes sibi thesaurisant, & in deliciis abutuntur, quae ad sustentationem pauperum dantur, & sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopiam suas vel suorum divitias faciunt. Item quod decimas non solvit, vel oblationes defunctorum Ecclesiis reddere demoratur, dicitur pauperum necator & sacrilegium committere per cap. Decimae:* XVI. *quaest.* I. *& cap. Qui oblationes defunctorum,* XIII. *quaest.* II. *Ergo ubi res Sacerdos inutiliter expenderit, & pauperibus delegatas non dederit, eodem crimine irretietur, rapinae videlicet, furti, & sacrilegii. Idem probavi supra de quibuscunque, qui aliis fame laborantibus superflua retinent, & certe quod crimen minus non sit, cum in deliciis abuntitur & in pompis expendit. Ambrosius firmat sermone* LXXXII. *Quis, inquit, tam injustus, tam avidus, tam avarus, quam qui multorum alimenta non suum usum, sed abundantiam & delicias facit. Neque enim minus est criminis, quam habenti tollere, &c.* Et infra: *Si dicas bona sunt verba, sed melius est aurum, nil mirum. Nam & si quis cum impudicis de pudicitia*

*loquatur, & scorta vituperet & exprobret, ii animi, quibus libido dominatur, ex ipsa commotione ad impudicitiam multo acrius incenduntur, & caetera, & supra eo serm.* LXXXII. *dicit, & quid mihi videtur haec passio* (avaritiae scilicet) *similis esse iis, qui tantum gulae indulgent, ut disrumpi magis nimio cibo eligant, quam alicui indulgere reliquias egenti. Sed recordare, o homo, quis est, qui largitus est tibi; te ipsum, quis sis, in memoria revoca, servus es Dei, & dispensatio tibi commissa est Dominicae facultatis. Recordare ergo quis est, qui tibi injunxit officium dispensandi familiam suam.* Et infra: *Nec existimes, quod omnia ventri & deliciis tuis terra producat, quae in manibus habes, commissa tibi magis quam concessa cognosce. Et idem in sermone* VI. *Vides ergo, qui pecuniam appetit, fidem perdit, qui aurum redigit, gratiam prodigit. Quid igitur censeri debet de Sacerdotibus, qui Christi sanguinem & pretia peccatorum prodigunt, atque in deliciis abutuntur, contra quos Salvator noster Christus Jesus exclamare intelligitur: Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Ps.* XXIX. *Quid enim prodest ob Christi Passionem haec oblata esse, si peccato cesserint, & quam placare debuerant Dei iram, abundantius provocent?*

*Secundam partem videlicet, quod prodige consumpta vel donata restituere non teneantur, probo. Pauper in deliciis abutens eleemosynis, vel prodige eas donans aliis, non obligatur ex hoc tantumdem restituere, nisi aliud intervenerit, puta vel non oraverit, aut aliud perficere omiserit propter quod finaliter ipsi data est eleemosyna. Praeterea ex abusu, & dilapidatione talium bonorum, quorum ipse proprietatem & dominium sortitus est, soli Deo obligatur: Ergo non tenetur restituere. Consequentia tenet, quia obligatio restitutionis est ad aliquod determinate reddendum, non autem obligatio, qua tenemur ipsi Deo ex peccato. Ut si avarus in necessitate pauperibus scilicet fame cruciatis, aut penuria pereuntibus, projiciat magnum auri pondus in mare, aut gemmam confringat, unde eisdem succurrere potuit, soli Deo ex hoc ad poenam obligatus est, & nihil tenetur restituere. Antecedens probatur per simile: Si Petro contemplatione Principis vel ad Principis requestam & preces, donata fuerint mille, dispensanda tamen, & expendenda ad Principis gloriam, vel ejus utilitatem; hoc casu, si Petrus totum vel partem contra Principis honorem expenderit, soli Principi ex hoc certum est obligabitur: Ergo similiter de fructibus beneficii, seu praebendae, qui Canonico dantur, ut ad Dei laudem, gloriam, & voluntatem illos expendat; ergo non obligatur ad restitutionem.*

*Et confirmatur, quia omnem hominem, quem ditat Deus, dispensatorem*

*rem constituit Dominicae facultatis, & commissas magis habet divitias, quam concessas, ut patet ex superioribus, nihilominus dum contra Dei voluntatem facultates commissas prodige sparserit, aut in deliciis abusus fuerit, ad restitutionem non obligatur, ergo nec Ecclesiasticus dum bona Ecclesiae, &c. Consequentia tenet, quia licet praebendatus duplici vinculo obligetur, commissa bona recte dispensare pro Dei gloria, & ad ejus voluntatem, ubi laicus unico ad hoc vinculo astringitur, quia tamen utrumque ad idem penitus stringit, ubi unius transgressio obligationem, seu necessitatem non inducit restituendi, neque utriusque transgressio hoc ipsum operatur. Quod si bona donata essent, ut in usus pauperum pro Dei gloria expenderentur, prout de bonis hospitalium esse constat, tunc certe dispensator inutiliter ea expendens, non soli Deo obligaretur sua culpa, quoniam etiam pauperes fraudat, & hoc voluit beatus Thomas quodlibeto* VI. *art.* XII. *& sic debet intelligi Gerson, cum dicit in conclusionibus: Si praebendatus certa bona habeat pro pauperibus instituta, & illa consumit ad alios usus, ipse restituere obligatur: Secus si totum sit commissum fidei suae, ubi etsi peccet graviter & sacrilege, quandoque abutendo bonis illis luxuriose, tamen restituere non tenetur, quando videlicet totum sic fidei ejus committitur, quod ad specialem usum non arctetur. Sed dices: Suscipiens sub fidei commisso centum aut mille ea conditione seu modo, ut deducto quantum sibi pro victu mediocri fuerit necessarium, residuum det Petro, talis quantum prodige expenderit, tenetur Petro restituere. Sed Ecclesiae donata sunt praedia; item decimae ac alia, ut deducta necessitate ministrorum, residuum in usus pauperum recondatur: Ergo quidquid in malos usus vel prodige, & caetera. Respondeo ad minorem, quod bona Ecclesiae non ita sunt specialiter ad pauperum sustentationem delegata, sed ad ministrorum sustentationem, & alium quemlibet usum pium, cedentem specialiter ad Dei honorem. Unde possunt licite expendi in luminaria Ecclesiae, in libros Divinae legis explanationem continentes, & sic de aliis, nullius desuper requisita auctoritate vel assensu; quod minime liceret, si specialiter usui pauperum deductis necessitatibus ministrorum essent delegata. Juxta Clement. quia contingit. de reli. dona. Ubi dicitur, cum ea quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non alium, salva quidem Sedis Apostolicae auctoritate converti. Nec obstat, quod a sanctis omnia Ecclesiae bona dicuntur Pauperum, quia dicuntur eorum, non quia jure proprietario ad eos spectent, vel specialiter eorum usui destinata, immo similiter dicunt superflua, quae divites attinent, pauperum esse, & per eos aliena occupari, quorum proprietas, certum est, apud divites residet. Et liceret in usum*

*magis*

*magis pium si occurrat, expendere, quam in pauperum alimoniam, puta in tuitionem fidei pro stipendiis militum, ubi necessitas urgeret, & sic de similibus: Sed dicuntur eorum, quia eis in necessitate debita, magis vel aeque pio usu non occurrente.*

Haec Hadrianus Theologus docuit, haec Hadrianus Pontifex observavit, ditandis consanguineis, cumulandis opibus, aut extruendis ad pompam aedificiis non vacavit. Exinde factum est, ut Hadriano exprobrari non potuerit, quod Jacobus Cardinalis Papiensis Paulo II. sic exprobrat in epistola CCLXXIII. „ Pontifex Paule est tibi ut video magna aeternitatis cupido: Praedicare te optas sequentia saecula. Numismata eam ob causam tuae imaginis non cudis modo, sed fundamentis aedificiorum, parietibusque admisces, ut illis vetustate ruentibus exiliant post mille annos monumenta nominis Pauli. Titulos etiam operibus jubes incidi, quae vel publica sunt, vel usum domesticum habent. Aemulator quoque vanitatis antiquae saeculares ludos, & epulum Romano populo exhibes. Similia his moliris, multa illuc uno affectu tendentia, ut Pontificatus tuus post te non sileatur. Ignosce Paule. Veram laudem ista non habent. Sacerdotalis non putantur officii. Vanitas est his intendisse. Sapiens nemo numismata, & titulos, & lasciva plebis delinimenta probavit, peccatum etenim continent. Videntes ea, audientesque posteri sectatorem quendam inanis gloriae te fuisse conjicient: Ita quod minime quaeris, ignominiam pro laude invenies. Gloria nostra haec est, ait Apostolus, testimonium conscientiae. Quaere ergo ut conscientia tua satisfaciat Deo, & in illum respicias: parabis tibi gloriam permansuram, quam nunc quaerens non invenis. Opera autem aeternitatis in Pontifice sunt, vitam immaculatam praestare, lapsam Ecclesiae disciplinam erigere, restituendae libertati Clericorum intendere, sic justitiae cultorem esse, ut tamen misericordiae sit recordatio, in bonis causis intrepidum se praestare, non vultus non minas potentum timere, potiorem vita conscientiam ducere, in specula credita excubare, ad publicam gregis salutem oculos semper intendere, nihil suum credere, quod Christi non sit. Meditari jugiter de miseris Christianis, qui proximi infidelibus sunt, praesidia his mittere, incitare Principes ad capessenda pro fide arma, ducatum si opus sit, illis praestare, thesauros in piam hanc causam effundere, parcitate non impediri, missione Legatorum, perfectione etiam propria, si expediat, pacare regna, nullibi ob causam privatam dissensiones optare, conari, ut ministerium Sedis ubique sit salutare, domi bene compositum esse, non iracundum,

„ non

„ non impatientem, non male de miniſtris, qui probati ſunt, aeſtimare, „ partiri noctem & diem ad opus viciſſim & quietem, naturam non in„ vertere, velle, ut ſuo potius incommodo omnium conſulatur commo„ dis, quam ut unius quies aliorum paretur inquietudine, meminiſſe „ Gregoriani verbi, quod literae Apoſtolicae praeferunt; Servus ſervo„ rum Dei. Si quando a curis vacet, lectionem ſacram aſſumere, iden„ tidem ſcribere, colligere, quae memoratu ſunt digna; laborare ad „ praeſentem pariter & futuram utilitatem. His titulis, numismatibus, „ & ludis, & epulis paratur ſolida & perennis gloria. Illa ſaecularia ut „ inania ſunt, ita evanescunt quamprimum, nec fructum acceptabilem „ habent. Qui gloriatur, inquit Jeremias Propheta, in Domino glorie„ tur. Et Apoſtolus Paulus: Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domi„ ni noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & „ ego mundo. Hos audi, Paule, & in quaerenda laude ante ocu„ los pone: Suadebunt ſanius, quam vana gentilitas. Vale.„ Hadrianus noſter Jeremiam & Paulum audit, & ad illorum praecepta vitam compoſuit.

Deinde Hadrianus Pontifex ſecutus eſt eam de Apoſtolicis dispenſationibus doctrinam, quam Lovanienſis Theologus in ſcholis tradiderat, ut quaeſtionem hanc, *Utrum omnis dispenſatio Apoſtolica ſuper pluralitate beneficiornm tutum faciat hominem & ſecurum in foro conſcientiae*, ſolverit.

*Ideo pro veritatis*, inquit, *deciſione hanc pono concluſionem ſecundam. Dispenſatus per Papam ad plura beneficia, ſi ſubeſt Eccleſiae neceſſitas vel communis utilitas, tutus eſt, ſi non, apud Eccleſiam militantem habet exceptionem, apud Deum autem nequaquam veram excuſationem. Hanc concluſionem probo aperta ſententia Bernardi de conſideratione ad Eugenium libro* III. *capitulo ſexto deducentis, Papae illicitum eſſe, ut ſic Episcopum ab obedientia Archiepiscopi, Monaſteria & Capitula ab obedientia Episcopi eximat. Spiritualis, inquit, homo, qui omnia dijudicat, & ipſe a nemine judicatur, omne opus ſuum terna quadam conſideratione praeveniet. Primum quidem, an liceat, deinde an deceat, poſtremo an & expediat. Nam etſi conſtet in Chriſtiana utique Philoſophia non decere, niſi quod liceat, non expedire niſi quod decet & licet, non continuo tamen omne quod licet, & decere & expedire conſequens erit. Age aptemus, ſi poſſumus, iſta tria operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti? Et quia non eſt ad quem appelleris, poteſtatem exercere, negligere rationem? Tune major Domino tuo, qui ait, Non veni facere voluntatem meam? Nolo autem praetendas mihi fructus emancipationis*

*ipsius. Nullus est enim, nisi quod inde Episcopi insolentiores, Monachi etiam dissolutiores fiunt, quid quod & pauperiores. Inspice diligentius talium ubique libertorum facultates & vitas: Si non pudenda admodum tenuitas in iis, & illis saecularitas invenitur, matris noxiae libertatis gemina soboles. Haec ille, & infra sibi objiciens: Quid, inquit, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem vos positos dispensatores, sed in aedificationem, non in destructionem. Denique quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur: ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis, non propria. Nam cum horum nihil est, non plane fidelis dispensatio est, sed crudelissima dissipatio. Item* I. *ad Corinth.* XIII. *Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Et infra: Ideo enim haec absens scribo, ut non durius agam secundum potestatem, quam mihi Deus dedit in aedificationem, non in destructionem. Sed plus positivi, & minus justitiae naturalis est in tali subordinatione hujus ad illum vel alterum, quam de proportione stipendii dati de publico ad proportionem servitii, & utilitatis impensae publico, seu communi: ergo nisi necessitas urget, ut suaserit utilitas communis, in hac pluralitate beneficiorum non censebitur dispensatio, sed dissipatio, & quae hominem non tutetur. Etiam conclusio Bernardi videtur generalis maxime in iis, quae non sunt mere positivi juris. Idem expresse & in terminis vult Bernardus in Epistola ad Theobaldum Comitem, ut supra dixi. Etiam in Epistola ad Robertum nepotem suum, qui de licentia Sedis Apostolicae transtulerat se ex Ordine Cisterciensi ad Cluniacensem, quae quidem Epistola propter miraculum, quod in pluvia sine imbre servata est, prima in ordine haberi dicitur. Dicit: Quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione Apostolica, cujus conscientiam divina tenet sententia obligatam? Nemo, inquiens, manum mittens ad aratrum & respiciens retro, &c. Et eum remittit ad conscientiam suam, & an se transtulerit ad arctius vivendum, an indulgentius. Et ex hoc judicat, an retrospexerit, &c. Et Epistola ad Adam Monachum, quae est* VII. *in ordine. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquus Papa conceptui praebuisset assensum. Nunquid ideo aut malum esse desiit, aut minoratum est, quia Papa concessit? Quis vero malum esse neget assensum praebere malo? Quod tamen Summum Pontificem nequaquam fecisse crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum. Et in solis mediis vult dispensari posse, non in iis, quae pura bona sunt, aut pura mala. Praeceptis namque nequit obviare hominis prohibitio, & divini ac naturalis juris prohibitionibus*

*nibus nequit detrahere humana licentia, sed purum & secundum se malum est occupare stipendia publica ultra proportionem servitii & utilitatis impensae, ergo &c. Idem libro de dispensatione, & praecepto. Novit fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantum usurpare dispensationem, unde bonam possit habere recompensationem. Hoc quippe quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, & eadem fortassis fidelitas a subditis requiritur in obtemperando, quae a Praepositis in dispensando. Et necessarium a voluntario separans in tria subdistinguit, videlicet in stabile, inviolabile, & incommutabile. Stabile, quod ita necessarium est, quod non cuilibet homini mutare illud fas sit, nisi solis dispensatoribus ministrorum Dei, id est, Praepositis. Quo genere dicit comprehendi canonica instituta, ubi sane qui hoc legit attendat, me non dicere ea posse, vel ab istis leviter pro voluntate mutari; sed ex ratione fideliter dispensari. Ideo autem hanc mutationem ipsam taliter & a talibus recipere possunt, quoniam non naturaliter, nec per se bona sunt.* Et infra: *Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutari quaedam non omnino, nec ab ipsis quidem Praepositis sine offensa possunt.* Et infra: *Tenent ergo firmam fixamque immobilitatem etiam apud Praelatos, quae ex stabili necessario sunt, sed quatenus charitati deserviunt. Nunquid autem haec solus sentio, vel haec solus primus dico? An non hoc Papa Gelasius sensit? Ait siquidem: Ubi necessitas non est, inconvertibilia maneant sanctorum Patrum instituta. Leo quoque Papa: Ubi, inquit, necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum Patrum constituta. Et infert: Ubi ergo necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiae, qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis. Similiter dicit Gratianus* XXXV. *quaest.* I. *cap. Ideo solvens: Quomodo Summus Pontifex possit contra legem canonum alicui privilegia concedere, dicit finaliter, quod ea potestate indulgere, considerata tamen rationis aequitate, ut quae mater justitiae est, in nullo videatur ab ea dissentire. Idem autem videtur in dispensatione saltem de qua nunc agimus: scilicet pluralitatis in beneficiis. Item glos. in ca. Non est. de vo. & vo. redemp. Si absque causa in voto dispenset, exceptionem habet apud Ecclesiam, sed apud Deum non valebit allegatio. Ubi judicabitur eo teste, quo judice,* IX. *quaest.* III. *Aliorum* X. *quaest.* III. *audi. facit glos. in cap. Requiritis* I. *quaest.* VII.

*Contra ista instatur primo sic: Ad peccatum Papae pertinet si dispenset super pluralitate absque causa sufficiente. Ergo dispensatus apud Deum tutus est. Consequentia patet: Sic enim arguit Augustinus ex verbo Domini Numeror.* XXX. *De voto abstinentiae per uxorem emisso, ubi statim*

*tim ut audivit, tacuit, in alterum diem differens sententiam, & si post contradicit, cum restitit, portabit iniquitatem ejus, quia lex dicit, ad peccatum viri pertinet, infert uxorem esse a transgressione voti liberam,* XXXIII. *quaest.* V. *maritum ergo similiter in proposito & confirmatur valde apparenter: Si dispensator eleemosynarum, utpote executor excesserit in distribuendo uni eleemosynas, & non alteri aeque vel magis egenti, nihilominus, qui eleemosynam accipit, fit rerum acceptarum dominus, & non obligatur restituere. Ergo similiter in dispensatione super pluralitate beneficiorum, &c. Praeterea nisi sic, Papa non haberet plenam & liberam dispositionem in beneficiis contra C. supra inductam. Item contra hoc, quod dictum est, dispensationem solum valere propter necessitatem Ecclesiae, vel utilitatem communem: Contra: Praeter Ecclesiae necessitatem, vel communem utilitatem etiam evidens praerogativa meritorum est causa dispensandi* I. *quaest.* VII. *tali conjugio. Et cap. de multa, de praeben. dicetur, quod circa sublimes personas & literatas, quae majoribus beneficiis sunt honorandae, cum ratio postulaverit, poterit per Sedem Apostolicam dispensari, ergo praerogativa meritorum, &c. Respondeo ad primum ut bene dicit de Palu.* XXXVIII. *dist.* IV. *quaest. art.* II. *Aliud est de irritatione, aliud de dispensatione: Irritatio enim non requirit causam, sed dispensatio requirit: In casu argumenti fit irritatio. Item text. ille dicit virum portare iniquitatem mulieris, & ita eam liberam, secus cum Papa vel Episcopus sine causa sufficienti dispensat. Etiam licet consequentia admitti possit, & debeat in jure positivo, quod etiam Papae sine causa temerare non licet, nequaquam tamen in iis, quae sunt naturalis juris vel divini, quae sicut non constant humana voluntate, ita nec sine causa a parte dispensandi, quoquomodo possunt relaxari, in illis enim Papa minime legibus solutus est, sed ut caeteri, subjectus reperitur,* XXV. *quaest.* I. *sunt quidam. Ad confirmationem si recipiens sufficientem causam habeat, tutus est, & alias non. Pone exemplum. Si dives ab executore sumat relictum pauperibus; tunc enim contra justitiam excedere non tantum conferens, sed etiam recipiens, & obligatur restituere: Sic in proposito. De hoc latius tetigi supra in materia collationis beneficiorum. Ad secundam confirmationem dico: Liberam & plenam dispositionem habet quoad homines, quia de ejus judicio disceptari non licet,* XV. *quaest.* IV. *siquis suadente. Sed Deus servat eum suo judicio servandum.* IX. *quaest.* III. *Aliorum, sed ut in eo cap. Aliorum, dicitur, habet necessario inquisitionis formidinem, licet eum Deus suo servaverit examini, quia non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipsorum factorum utitur eo teste, quo judice. Et certe text.*

*te text. illius Clem. solum praetendit ad Summum Pontificem spectare plenam & liberam dispositionem beneficiorum libertate opposita subjectioni ad jus humanum, puta canonicum. Ipse namque, quia Princeps, legibus illius solutus est,* I. *Princeps. ff. de leg. Sed Dei & naturae legibus astringitur, & eas servare tenetur, non in dispensatione tantum beneficiorum, sed in vita & opere. Unde dicit de Pal.* XXXVIII. IV. *quaest. art.* IV. *in tertia conclusione de causa dispensationis agens, quia in positivis sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas, quia quod Principi placuit, legis habet vigorem. ff. de Const. Princip. & sicut lex quanquam dura ab omnibus servanda est.* XIX. *dist. in memoriam, quamvis contradicat Isidorus, quia lex erit, quod ratione constiterit: Sed in iis, quae sunt juris divini secus, ut notatur in cap. Non est, de vo. & vo. redemp. & debent considerari illa, an licet, decet, & expedit. Cap. Magnae, eodem tit. reprehendens propterea Hostiensem, qui dicit Papam super pluralitate pro libito posse dispensare: Unde dicit; sicut Episcopus, quia non est supra jus positivum, non potest super iis, quae sunt juris positivi, nisi ex causa legitima dispensare; Ita nec Papa super pluralitate beneficiorum, cum innitatur juri naturali & intentioni fundatorum, qui potuerunt in traditione sui modum ac legem imponere, per quam plures & non pauciores Deo servirent. Et ergo periculosius est habere plures praebendas minus pingues, quam paucas pinguiores, quia praejudicat pluribus melioribus, qui forte nec unam habent. Subdit, quod debet esse talis causa, quod melius sit recedere a jure communi, quam tenere, & non sufficit esse aeque bonam; alias erit dissipatio, & non dispensatio, & peccat uterque, scilicet, dispensans etiam Papa, & dispensatus si sciat: Pro quo allegat Hostiensis in dispensatione super voto. Hoc dictum suum limito, nisi fiat in mere positivis, quia tunc dispensans, quia male sua potestate utitur, peccat, non dispensatus, quia positivi juris vinculum per dispensationem est sublatum, & nulla alia lege ad factum illud tenebatur.* Et paulo post: *Et concludit finaliter, quod is, cum quo super pluralitate beneficiorum etiam per Papam utilitate tantum privata suadente dispensatur, quoad Deum tutus minime existit.*

*Ad aliud de praerogativa meritorum dico, quod nunquam est justa causa dispensandi in statutis sive constitutionibus communibus, nisi cedat in communem utilitatem. Quae enim ad bonum commune praefixa sunt, ob privatum commodum mutari non debent.* XXV. *quaest.* I. *quae ad perpetuam. Et plurimorum utilitas unius utilitati vel voluntati praeferenda est.* VII. *quaest.* I. *scias. Nec certe sufficit eminentia seu praerogativa meritorum, nisi ad causam faciat illius, in quo dispensandum. Non enim statim*

*tim vir bonus, bonus civis eſt.* v. *Ethic. &* III. *Politicorum. Quod autem ſpecialiter exprimitur, ea ratione factum credo, ut ſciatur, quod etſi de propinquo utilitas non ſperetur, ponit tamen ob perſonae dignitatem, &c. Quia expedit Eccleſiae columnas fortes, viros, ſcilicet probatos habere, qui haereticis & aliis ſcindentibus Eccleſiam reſiſtere posſint.*

*Ex his omnibus patet, quod neque per diſpenſationem, neque ſine diſpenſatione, licet alicui immoderatum ſtipendium ex beneficiis ſuſcipere, ſed moderatum ex ſimplicibus ſine diſpenſatione, vel aliis cum diſpenſatione.*

His adde, quae habet de ſacramento Confeſſionis, ubi quaeritur: *An Papa poſſit diſpenſare de tempore confeſſionis: Cum probabile dubium eſt an Papa ſuper aliquo diſpenſare poteſt, an non, niſi pertingi posſit via diſcuſſionis ad veritatis deciſionem Papa diſpenſans peccat, & is qui hoc caſu utitur diſpenſatione, quia uterque committit ſe diſcrimini: Et ita cum amet periculum peribit in illo, juxta ſententiam Sapientis Eccleſiaſt.* III. *Verum excuſabitur inferior, ſi bene praeſumens de ſuperiore credit Papam hoc non tentare ante veritatis inventionem, quia ignorantia talis pro invincibili habetur. Et ſic procedit verbum Auguſt. in cap. quid culpatur* XXIII. *quaeſt.* I, *Nam ſi Papa dicatur poſſe diſpenſare, quoties probabile dubium fuerit, an poſſit, nullum eſſet probabile dubium, an Papa ſuper aliquo diſpenſare poſſit, quin dubium probabile inferet eum pro certo & indubie poſſe.*

Quod autem Hadrianus ſeſe in diſtribuendis ſacerdotiis ad ſuam doctrinam compoſuerit, illuſtri confirmari poteſt exemplo: Id Odoricus Rainaldus in tom. XX. Annalium Eccleſiaſticorum refert his verbis: *Teſtatur Hieronymus Niger, Hadrianum voluntatum ſuarum maxime in iis, quae ad religionem ſpectant, tenaciſſimum fuiſſe, tantaque praeditum integritate, ut cum in nepotem ſacerdotium annui cenſus ſeptuaginta Ducalium aureorum contuliſſet, illeque paullo poſt aliud pinguius, quod ad centum aureos aſcendebat, poſtulaſſet, illum acerbiſſimis verbis corripuiſſe, praecepiſſeque, ut cupiditatis modum poneret: Prius enim ſacerdotium illi ſuſtentando ſufficere: Ac demum multorum precibus permotum aſſenſiſſe, ut poſterius ſacerdotium opulentius conſequeretur ea lege, ut priore ſe abdicaret: Neque enim pati velle, ut quisquam duo ſacerdotia, quibus animarum cura demandata eſt, conjuncta gerat, ſaepiusque id adagium repetere conſueviſſe, Eccleſias Sacerdotibus non Sacerdotes Eccleſiis ſe ornare velle: Caeterum corruptos aulicorum mores adeo repentinam mutationem non laturos addidit Niger ipſe exaratis Roma* XV. *Aprilis* MDXXII. *literis.*

Est ne mediocris reipsa Pontifex, qui prae se fert, ornandas esse Sacerdotibus Ecclesias, non vero ornandos esse Ecclesiis Sacerdotes? Nonne Hadrianus in axiomate hoc tanquam in brevi quadam tabella comprehendit, quidquid Paulus in Epistolis ad Titum & Timotheum, quidquid Gregorius in Pastorali suo, quidquid sacri Canones de instituendis Ecclesiae ministris tradiderunt? Nonne hoc pacto Romanam emendabit Curiam, & Sedi Apostolicae pristinum splendorem asseret? Pallavicinus id genus consilii & remedii Pontifici mediocri tribuet, & summo abjudicabit.

Haec est Hadriani optimi Theologi doctrina, haec disciplina, quam Hadrianus Pontifex optimus in auctoritatem admisit, cui se in exercendo munere suo dedit.

Ad tertium venio, idque omnium maximum ac gravissimum, in quo sanctissimus Pontifex Romanae Curiae vitia & abusus emendare statuit. Religiosum Hadriani consilium luculenter exponitur in mandatis, quae Francisco Cheregato Oratori suo in Germaniam eunti dedit. Sic autem illud se habet apud [1] Odoricum Rainaldum, in Annalium Ecclesiasticorum tom. xx. *Instructio pro te Francisco Cheregato, de quibusdam, quae Praelatis, Principibus, & civitatum Germanicarum Oratoribus dicere poteris, viva voce, ubi & quando opportunum judicaveris.*

*Inprimis declarabis eis maximum dolorem, quo affligimur ex prosperatione sectae Lutheranae, ob id potissimum, quod videmus innumerabiles animas Christi sanguine redemptas, & curae nostrae pastorali commissas illius occasione a vera fide ac religione averti, & in perditionem ire, idque in natione, ex qua nobis secundum carnem origo est, quae ab initio, ex quo ad Christum conversa fuit, usque ad istos proximos annos semper extitit fidelissima ac religiosissima: Ac propterea nobis vehementissimum desiderium esse, ut huic pesti celerius occurratur, priusquam Germaniae ipsi contingat, quod Bohemiae olim contigit; nosque paratissimos esse ad faciendum omnia in hunc effectum, quae ex parte nostra expectari poterunt, ac summopere desiderare, ut etiam unusquisque eorum hoc ipsum pro viribus facere studeat: Utque id faciant, nos, quantum possumus, unumquemque eorum hortari & rogare; Debebunt autem eos ad hoc movere sequentia.*

*Primo & ante omnia honor Dei omnibus rebus praeferendus, qui per istas haereses graviter laeditur, ejusque cultus consuetus non solum diminuitur, sed potius ex toto corrumpitur. Item charitas erga proximos, qua unusquisque pro viribus studere debet proximos errantes ab errore revocare*

1 *Odoricum.*] Extat & apud Wolfium tom. II. Lection. Memorabil. p. cxcv.

*vocare: Quod nisi fecerit, Deus eos, qui sua negligentia pereunt, de manu ejus requiret.*

*Secundo movere eos debet infamia nationis suae, quae cum semper prae caeteris nationibus Christianissima sit habita, nunc propter eos, qui sectam Lutheranam insequuntur, apud omnes pessime audit.*

*Tertio moveat eos respectus honoris eorum proprii, qui maxime laeditur, si ipsi, qui apud nationem Germanicam auctoritate & potentia pollent, haereses istas non totis viribus expellere laborant. Tum quia degenerabunt a progenitoribus suis viris Christianissimis, qui in Constantiensi Concilio ex magna parte interfuerunt condemnationi Joannis Huss, & aliorum haereticorum, quorum aliqui ipsum Joannem Huss propriis manibus ad ignem duxisse dicuntur: tum quia ipsi vel major eorum pars edictum Imperiale in executione sententiae Apostolicae contra Martinum Lutherum & suos latae factum approbarunt, eique auctoritatem suam adhibuerunt, & propterea nisi illud pro viribus executi fuerint, vel inconstantes judicabuntur, cum manifestum sit eos, ubi efficaciter velint, illum exterminare facile posse.*

*Quarto moveat eos injuria, quae per Lutherum eis & eorum parentibus ac progenitoribus infertur: Cum enim ipsorum parentes & progenitores & ipsimet semper tenuerint fidem, quam Ecclesia Romana atque Catholica approbat, & Lutherus, suique sectatores longe diversam fidem teneant, asserendo multa non esse de fide, quae tamen illi tenuerint esse de fide, manifestum est illos a Luthero condemnari pro infidelibus & haereticis, & per consequens secundum Lutherum omnes eorum majores, qui in fide nostra decesserunt, sunt in inferno, cum error in fide homines damnationis reos faciat.*

*Quinto attendant finem, ad quem Lutherani tendunt, ut scilicet sub colore libertatis Euangelicae, quam hominibus proponunt, omnis potestas superioritatis tollatur. Nam licet ab initio prae se tulerint Ecclesiasticam potestatem, tanquam tyrannice & contra Euangelium occupatam, annihilare seu reprimere velle, tamen cum eorum fundamentum, scilicet libertas, quam praedicant, aeque vel plus militet contra potestatem saecularem, quod scilicet illa nullis praeceptis, quantumvis justis & rationalibus, obligare possit homines ad parendum sub poena peccati mortalis, manifestum est, eos etiam illam enervare velle, quamvis astute fecerint illam salvando, ut scilicet Principibus saecularibus credentibus machinationem non hanc contra se, sed duntaxat contra Ecclesiasticos (quibus laici communiter infensi sunt) dirigi, ac propterea partim in eorum favorem tractis, partim dissimulantibus seu non contradicentibus, ipsi facilius Ecclesiasticos*

*everterent. Quo facto dubium non est, quin populi idem contra saeculares Principes tentaturi essent.*

*Sexto moveant eos maxima scandala, turbationes, direptiones bonorum, homicidia, lites, dissensiones, quas secta haec pessima excitavit & quotidie excitat per totam Germaniam, item blasphemiae, maledicta, scurrilitates, & amaritudines, quae istis semper in ore sunt, quae nisi ipsi sedare curaverint, verendum est, ne ira Dei desolatio veniat super Germaniam in se tam divisam, immo super ipsosmet Principes, qui cum potestatem & gladium a Domino acceperint ad vindictam malorum, talia in subditis suis fieri permittant. Maledictus, inquit Propheta, qui facit opus Dei negligenter, & prohibet gladium suum a sanguine iniquorum.*

*Septimo considerent Lutherum prope consimili via ad seducendum populum Christianum uti, qua Mahometus ille spurcissimus usus tot animarum millia decepit, permittendo videlicet ea, ad quae homines carnales inclinant: & exinde eximendo eos ab his, quae in lege nostra graviora videntur, ut eo efficacius decipiat. Mahometus plures uxores habendi & eas pro arbitrio repellendi, aliasque ducendi licentiam concessit: Iste, ut Monachorum & Deo dicatarum Virginum ac Sacerdotum lascivia carnis gestientium sibi favores conciliet, praedicat vota perpetuae continentiae etiam illicita esse, nedum non obligatoria, proptereaque licere illis per Euangelicam libertatem nubere: Immemor verbi Apostoli, cum dicit de viduis adolescentioribus, quod cum luxuriatae fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

*Quibus per te expositis & aliis pluribus, quae in hanc sententiam, partim ex literarum nostrarum exemplis colligere, partim ex tua prudentia excogitare poteris, hortaberis nostro nomine dictos Principes, Praelatos, Populos, ut tandem expergiscantur, & excitentur ad obviandum tam grandi injuriae, quam Lutherani Deo & sacrae religioni ejus, & maximae ignominiae, quam toti nationi vestrae Germanicae ipsi, quam & Principibus, & maxima opprobria atque contumelias, quam & majoribus eorum, quos, ut diximus, in effectu ad gehennam condemnant, inferre noscuntur, & ad executionem sententiae Apostolicae, ac Imperialis edicti facti omnino procedant. Detur venia his, qui resipiscere, & errores suos abjurare voluerunt, semperque proniores sint ad miserandum, quam ad vindicandum, exemplo Dei nostri, qui non vult mortem peccatorum, sed magis ut convertantur & vivant. At qui in errore pertinaces permanserint, districtionis virga juxta sacrorum Canonum & legum decreta sic puniantur, ut caeteri eorum exemplo vel in fide recta permaneant, vel lapsi in rectam viam redeant.*

*Quod si quis forte dixerit, Lutherum inauditum & indefensum fuisse per sedem Apostolicam condemnatum, propterea audiri omnino debere, nec antequam convictus sit, condemnandum esse: Respondeo, quod illa, quae fidei sunt, propter Divinam auctoritatem credenda sunt, non probanda. Aufer, inquit Ambrosius, argumenta: ubi fides quaeritur, piscatoribus creditur, non Dialecticis. Et certe fatemur, ei defensionem negari non debere in his, quae sunt facti: Hoc est, utrum dixerit, nec ne? Utrum praedicaverit, vel scripserit, nec ne? Super Divino jure vero, & materia Sacramentorum standum auctoritate Sanctorum & Ecclesiae. Adde quod fere omnia, in quibus Lutherus ab aliis dissentit, sunt per diversa Concilia penitus reprobata: Non debet autem revocari in dubium, quod per Concilia generalia & universam Ecclesiam constat esse approbatum tanquam fide tenendum: Injuriam namque facit Ecclesiae Synodo, qui semel recte disposita nititur in dubium revocare. Quid enim unquam certi esse poterit inter homines? Vel quis contentionum disputationumque finis erit, si praesumptuoso & perverso cuique libertas seu licentia erit recedendi ab his, quae non unius neque paucorum, sed tot saeculorum & sapientissimorum hominum consensu, & Catholicae Ecclesiae (quam Deus in his, quae sunt fidei, nunquam errare permittit) determinatione sancita sunt, cum tamen unaquaeque civitas leges suas inviolabiliter observari exigat? Quomodo non omnia turbationibus & scandalis & confusione plena erunt, nisi ea, quae semel, immo saepius maturo judicio constituta, ab omnibus inconcusse observentur? Cum igitur Lutherus & sui Consilia sanctorum Patrum condemnent, sacros canones comburant, & cuncta pro arbitrio suo confundant, ac totum mundum perturbent, manifestum est, eos tanquam publicae pacis inimicos & perturbatores ab omnibus ejusdem pacis amatoribus exterminandos esse.*

*Item dices, nos ingenue fateri, quod Deus hanc persecutionem Ecclesiae suae inferri permittit propter peccata hominum, maxime Sacerdotum, & Ecclesiae Praelatorum: Certum enim est non esse abbreviatam manum Domini, ut salvare nequeat, sed peccata dividere inter nos & ipsum, & abscondere faciem suam a nobis, ut non exaudiat. Clamant Scripturae, peccata populi derivari a peccatis Sacerdotum, propptereaque, ut ait Chrysostomus, Salvator noster curaturus infirmam civitatem Jerusalem, ingressus est prius templum, ut peccata Sacerdotum primo castigaret, instar boni medici qui morbum a radice curat. Scimus* [1] IN HAC SANCTA SEDE ALIQUOT JAM ANNIS MULTA ABOMINANDA FUISSE, ABUSUS

[1] *In hac Sancta.*] Male hoc tulerunt Romani & praecipue Cardinales, quod tam palam aulae Romanae corruptelam confiteretur Hadrianus. vide quae ad Moring. cap. XXIV. notavimus.

SUS IN SPIRITUALIBUS, EXCESSUS IN MANDATIS, ET OMNIA DENIQUE IN PERVERSUM MUTATA. *Nec mirum si aegritudo a capite in membra, a summis Pontificibus in alios inferiores Praelatos descenderit. Omnes nos (id est Praelati) & Ecclesiastici declinavimus, unusquisque in vias suas, nec fuit jam diu, qui faceret bonum, non fuit usque ad unum: Quamobrem necesse est, ut omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas nostras ei, videatque unusquisque nostrum unde ceciderit, & se potius quilibet judicet, quam a Deo in virga furoris sui judicari velit. Qua in re, quod ad nos attinet, polliceberis nos omnem operam adhibituros, ut primum* CURIA HÆC, *unde forte omne hoc malum processit, reformetur: Ut sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto universum mundum hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus. Nos, uti alias tibi dixisse credimus, Pontificatum hunc nunquam ambivimus, immo quantum in nobis fuit, longe maluissemus privatam vitam agere, & in sancto otio Deo servire. Et profecto Pontificatum ipsum plane recusassemus, nisi Dei timor & sincerus electionis nostrae modus, necnon schismatis ex recusatione nostra imminentis metus nos acceptare illum coëgisset. Subjicimus igitur colla summae dignitati, non ob dominandi libidinem, neque ad ditandos propinquos nostros, sed ad Divinae voluntati parendum, ad deformatam ejus sponsam Ecclesiam Catholicam reformandam, ad subveniendum oppressis, & doctos & virtute praeditos, qui multo jam tempore neglecti jacuerunt, erigendum & ornandum, & denique ad omnia alia agendum, quae bonum Pontificem, & legitimum beati Petri successorem agere oportet. Quamquam nemo mirari debebit, si non statim omnia errata & abusus omnes per nos emendatos viderit: Inveteratus nimium morbus est, nec simplex, sed varius & multiplex; pedetentim in ejus cura procedendum est, & prius gravioribus, magisque periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus. Omnes subitae mutationes, inquit Aristoteles, in republica periculosae sunt, & qui nimis emungit, elicit sanguinem.*

*Quod autem ultimis literis tuis scribis questos fuisse tecum Principes istos, quod concordatis eorum per hanc Sedem derogatum sit, dices nos de his, quae ante nos facta fuere, culpari nec posse nec debere, nobisque ejusmodi derogationes, etiam dum in minoribus essemus, semper displicuisse. Proinde nobis certissimam sententiam esse, etiamsi ipsi non requirerent, illis nostri Pontificatus tempore penitus abstinere, partim ut unicuique jus suum servemus, partim quia aequitas & humanitas exposcit,*

*ut inclytam nationem nostram non solum non offendamus, sed etiam peculiares ei favores impendamus. De processibus vero, quos a Rota avocari & ad partes remitti postulant, dices nos cupere eis in hoc gratificari, quantum honeste possimus: Sed propter absentiam Auditorum ab urbe pestis gratia, non posse nos de qualitate & habitudine ipsorum processuum ad praesens informari: Reversis vero illis, quod peste jam decrescente brevi futurum speramus, facturos in gratiam dictorum Principum, quidquid rationabiliter poterimus. Item sollicitabis diligenter responsa literarum, & requires eos, ad quos scribimus, ut nos literis suis informent, quibus mediis eorum judicio videatur huic pessimae sectae commodius obviari posse, ut ea, quae per nos providenda fuerint, celerius provideri possint; & super hoc ipso etiam tu te diligentissime informabis, & nobis plene perscribes.*

*Item quia intelleximus in Germania esse multos bonos & doctos viros pauperes, aliqua etiam praeclara ingenia, quae ex indignitate Apostolicarum provisionum histrionibus & stabulariis potius, quam viris doctis fieri solitarum, a Sedis hujus devotione aversa, cupimus, ut inquiras, quinam illi sint, eorumque nomina ad nos transmittas, ut occurrente beneficiorum Germanicorum vacatione, illos proprio motu providere possimus: Scimus enim quantum Dei honori & animarum saluti ac aedificationi obfuerit, quod jamdiu Ecclesiastica beneficia, maxime curam & regimen animarum habentia, data fuerunt hominibus indignis. De subsidio procurando pro Hungaris non damus aliam informationem, quam discedenti tibi dedimus, excepto quod te hortamur, ut rem illam summo studio, (uti facis) cures: nos etiam apud Principes & Respublicas Italicas missis Oratoribus sollicitabimus, ut pro viribus quisque subveniat. Hadrianus Papa VI.*

Hactenus sincere tibi descripsi momenta rerum tria, quae, ut par est credere, fecerunt, cur Magistri Curiales & eorum fautores de Hadriani VI. laude & fama detraxerint. O mira rerum conversio! Quae decus & ornamentum adferre debuerunt Pontifici, reprehensionem & calumniam accerserunt. In summa vitio datum est, quod dandum fuit gloriae. Hinc excusari vix potest Cardinalis Pallavicinus, qui antiquae probitatis & prisci moris Pontificem contumeliose prosecutus est, ut Curiae blandiretur. Macula & labes insignis est, qua initium historiae suae foedavit, & hujus auctoritatem imminuit. Id genus mali accidisset nusquam, si Pallavicinus Hadrianum, & quae Hadriani sunt, omnia circumspectasset. Tunc Hadrianum laudasset in tantum, in quantum virtus & digna Romano Pontifice scientia laudari possunt.

Et

Et ſane ſi primum ex tribus memoratis ante capitibus attendatur, quo illud quaeſo tendit? Nonne ut univerſus Clerus ad Apoſtolicae vitae normam & priorum Eccleſiae ſaeculorum moderationem revocetur? Nonne his temporibus ille vere dives habebatur qui pauper eſſet Euangelicus? Nonne Magiſter Eccleſiarum Hieronymus Anaſtaſium Romanum Pontificem appellat, *Virum ditiſſimae paupertatis*? Nonne virtutibus magis, quam divitiis defenditur Eccleſia? Chriſtianam religionem auxit ſanguis Martyrum, non potentia Chriſtianorum. Et vinculis Petrum eripuit, non armis dimicans ſed orans, ſine ulla intermiſſione, Eccleſia. Petrus Alexandrinus cum ſubiturus eſſet martyrium, non Chriſtianorum manu, ſed ſuis precibus a Deo pacem Eccleſiae obtinuit. Jacobus ille magnus Niſibenus Epiſcopus obſidentes urbem ſuam Perſas non opibus, ſed virtutibus removit. Sic Leo Romanus Antiſtes urbem in Genſerici direptione ab incendio & caede liberavit. Sic Anianus Aurelianenſis Epiſcopus Atilam vicit & fugavit e Gallia. Sulpitius Severus abſolvit omnia, cum in libro II. Hiſtoriae ſacrae, qua in re Chriſtianorum major ſita ſit victoria, his verbis deſignat: *Neque majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum ſtragibus vinci non potuimus.* Et quibusdam interpoſitis: *Hoc temporum tractu mirum eſt quantum invaluerit Chriſtiana religio.* Id profecto non effecerunt Chriſtianorum divitiae, ſed virtutes. Ad extremum, quae in Eccleſia ſupereſſent opes, has ad Eccleſiam ab ipſius hoſtibus defendendam inſumendas eſſe ſtatuit. Hoc autem cum apprime calleret Hadrianus, ut Theologus ſcripſit, quod ab eo ſcriptum retulimus, & ut Pontifex exemplo ſuo aſſeruit & confirmavit. Qua re nulla major eſt aſſertio vel confirmatio.

Ad ſecundum caput quod attinet, Hadrianus in eo ut Theologus effuſiſſimam, non tam Apoſtolicarum, quam Curialium diſpenſationum licentiam cohibuit, & certum quendam modum ſtatuit, quem Pontifex diligenter & ſumma cum religione ſervavit. Licentia haec labentis & inclinatae Curiae vitium eſt, non Sedis Apoſtolicae; quippe quae nihil prius, nihil carius, nihil antiquius obſervatione ſacrorum Canonum habuit. Id profitentur optimi quique ac ſanctiſſimi Hadriani deceſſores, quorum teſtimonia ſubjectum imus.

Primus mihi erit Gregorius IX. in epiſtola ad Lundenſem Archiepiſcopum: *Metropolitanus in coronatione Regis, benedictionibus Abbatum, ſeu regalium nuptiarum in Miſſarum celebratione eo die, non aliter quam in Eccleſiae ſuae privilegio ſit expreſſum, nequaquam pallio uti debet: Veruntamen fraternitati tuae, vel ſi forſan Regem coronari contingat, eo die pallio uti poſſit, praeſentibus indulgemus, dum tamen evidens utili-*

 *tas*

*tas vel necessitas id exposcit.* Huc spectat Hadrianus VI.

Secundus Innocentius III. in libri I. Epistola ad Faventinum Episcopum: *In talibus evidens utilitas & urgens necessitas secundum instituta canonum solent & debent attendi.* En Hadriani VI. meta, quae Romanis Aulicis incommodat quamplurimum!

Deinde in libri II. Epistola ad Patriarcham Aquiliensem & Ferrariensem Episcopum: *Utilitas & necessitas dispensationem inducunt, & repentini casus, etsi non nova, non tamen usitata remedia nos excogitare compellit.* Quibus nihil est ad propositum Hadriani conducibilius.

Tum in ejusdem libri Epistola ad Cantuariensem Archiepiscopum: *Quae in derogationem sanctorum canonum attentantur, tanto potius infringi volumus, & carere robore firmitatis, quanto auctoritas universalis Ecclesiae, cui praesidemus, ad id nos provocat & inducit.* Sic auctoritas universalis Ecclesiae, cui praeesse se dicit Innocentius, non postulat, ut sacris canonibus deroget, sed postulat, ut quae in sacrorum canonum derogationem attentantur, funditus evertat.

Denique in Lateranensis Concilii, cui praefuit, capite I. *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, praesertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex iis, quae in veteri Testamento vetuerat, nonnulla mutavit in novo.* Hic quanta debet esse in remittenda sacrorum canonum disciplina & severitate circumspectio, demonstrat, cum urgens necessitas, vel evidens utilitas, quae id postulat, exemplo Dei ipsius confirmetur.

Tertius Lucius III. in Epistola ad Rainaldum Noviomensem Episcopum: *Ex suscepto tenemur administrationis officio ea, quae juri & rationi obveniant, prohibere, ne fiant, & si temeritate aliqua admissa fuerint, salubri consilio revocare, ut Apostolici moderaminis auctoritate quassentur, quae contra statuta juris Canonici attentata noscuntur. Sane multiplici conquestione didicimus, quod Decanus & Canonici Ecclesiae tuae hanc a te licentiam impetrarunt, ut malefactores suos quos vellent, sine tuo assensu, vinculo anathematis innodarent. Adjectum est insuper, quod quoties eis aliqua injuria, vel per te, vel per Castellanum, vestrosque ministros seu communia inferetur, propria possent voluntate cessare, & totam civitatem subjicere interdicto: Ita quod & Abbatiae & parochiales omnes Ecclesiae eidem sententiae subjacerent. Quia vero memorata licentia est sacris adversa canonibus, & in gravamen innocentium introducta dignoscitur, & in ipsius Dei redundat injuriam, a cujus laudibus hac occasione cessatur, multumque detrimentum animabus fidelium probatur*

*batur afferre, eam viribus carere decernimus, & Apostolica auctoritate cassamus, cum ipsi Canonici in praesentia nostra, vel Metropolitani, vel tui ipsius, aut judicis delegati a nobis, suam valeant justitiam obtinere. Alienum quippe ab Ecclesiastica gravitate videtur, & Canonicis obviat institutis, ut excommunicandi potestas, quae de judicio pendet antistitum, in multitudinis ponatur arbitrio, quae ad hoc aliquoties animositate potius, quam ratione movetur. Nulli ergo hominum, &c. Datum Veronae Nonis Martii.* Ex tabulario Laudunensis Episcopi. Illius ergo, qui Sedi Apostolicae praesidet, partes hae sunt, ut quae juri & rationi adversantur, salubri consilio revocet, & ut quae contra statuta Juris Canonici attentata invenit, Apostolici moderaminis auctoritate comprimat. Cum talis in Apostolica Sede viget disciplina, nullus datur locus iis dispensationibus, contra quas Hadrianus tam sancte ac tam religiose scripsit.

Quartus Alexander III. in certo quodam privilegio, quod Praemonstratensium Ordini concessit: *In Apostolicae Sedis specula, quanquam immeriti providente Domino constituti, pro singulorum statu solliciti esse compellimur, & ea sincere tenemur amplecti, quae ad incrementum religionis pertinent, & ad virtutum spectant ornatum.* Dispensationum illarum abusus, de quibus Hadrianus disputat, nec ad religionis incrementum pertinent, nec ad virtutum spectant ornatum. Quinetiam vitiosis dispensationibus, quae ab Hadriano reprehenduntur, debitus religioni verae honor subtrahitur, & virtutum ornatus inobscuratur.

Quintus Eugenius III. in Epistola VIII. ad Germaniae Episcopos: *Cum translationes Episcoporum sine manifestae utilitatis & necessitatis judicio divinae legis oraculum fieri non permittat, cum etiam multo amplior, quam in aliis electionibus Cleri & Populi eas debeat praevenire concordia, in facienda translatione fratre nostro Guiemanno Cicensi Episcopo nihil horum est, sed solus favor Principis expectatur*, &c. *Nos enim sic, quod de supradicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati ejus, nec postulationi vestrae duceremus aliquatenus obviandum. Contra Deum autem, & sacrorum canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus praebere consensum.* Dispensationes sunt rarae admodum, quando ea fiunt ratione, quam Eugenius proponit, & Hadrianus sequitur.

Sextus Paschalis II. in Responsionibus ad beati Anselmi interrogationes: *Dispensationis modus, sicut beatus Cyrillus in Epistola Ephesinae Synodi loquitur, nulli unquam sapientum displicuit. Novimus enim sanctos Patres nostros & ipsos Apostolos pro temporum articulis, & qualitatibus*

*tibus personarum dispensationibus usos. Quamobrem nos de religione & sapientia tua diu longeque spectata, nihil penitus ambigentes tuae deliberationi committimus, ut juxta datum tibi divinitus intellectum, cum Ecclesiae, cujus praepositus es, tanta necessitas expetit, sanctorum canonum decretorumque difficultate opportuna & rationabili valeas temperare.* In faciendis dispensationibus Hadriani mens eadem est, quae Paschalis.

Septimus Urbanus II. in Romano Concilio III. cui praefuit: *Quamvis autem misericordiae intuitu, magnaque necessitate hanc in sacris ordinibus* (quos schismatici vel simoniaci dederant) *dispensationem constituimus, nullum tamen praejudicium sacris canonibus fieri volumus, sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate illud quoque cesset quod factum est pro necessitate.* En regula, quam sequitur & sequendam esse vult Hadrianus!

Octavus Gregorius VII. in libri II. Epistola L. ad Sancium Aragoniae Regem: *Et quia venerandi canones ad Sacerdotii dignitatem tales* (spurios) *provehi contradicunt, probare eos non satis cautum fore putavimus, ne quicquam a nobis contrarium sanctis Patribus in exemplum & auctoritatem posteris relinquatur. Solet enim sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis & constitutionibus a concordia canonicae traditionis discedere.* Haec est Sedis Apostolicae in observatione sacrorum canonum traditio, quae Hadriano praeluxit.

Deinde in libri VI. Epistola II. ad Manassem Remensem Episcopum: *Privilegia siquidem non debent sanctorum Patrum auctoritatem infringere, sed utilitati sanctae Ecclesiae prospicere. Ad id autem quod de privilegio dicitis, breviter interim respondemus, quod possunt quaedam in privilegiis pro re, pro persona, pro tempore, pro loco concedi, quae interim pro eisdem, si necessitas vel utilitas major exegerit, licenter valent commutari.*

Tum in libri IX. Epistola V. ad Hugonem Diensem Episcopum: *Praeterea innotuit nobis, quod multos milites, qui prius ad Presbyteros fornicarios, & simoniacos coërcendos favorem & auxilium vobis impenderent, propterea quod decimas dimittere nolebant, excommunicando turbaveritis, quales nos adhuc anathematis vinculis alligare Synodali judicio discretionem distulimus. Super his igitur consulimus, atque hortamur, ut nunc pro tempore canonicum rigorem vestra sapientia temperet, atque hac turbationis tempestate, quaedam parcendo, nonnulla dissimulando ita studeat moderari, ut non ex severitate justitiae deteriorandi occasionem sumant: Sed suspenso nunc judicio spatium recognoscendi, aequitatem habentes,*

*bentes, postmodum facilius agnoscant, ut demum in eos tranquillitatis tempore, quod Deo annuente cito futurum speramus, id, quod nunc Apostolicae Sedis discretio patienter differt, justitia dirimens ad statum suum restauraret.*

Denique in Epistola IX. inter Epistolas, quae referuntur in tomo VI. Hist. Francorum: *Quia consuetudo Sanctae Romanae Ecclesiae, cui Deo auctore licet indigni deservimus, est quaedam tolerare, quaedam etiam dissimulare, discretionis temperantiam potius, quam rigorem canonum sequentes, causas Episcoporum Franciae atque Burgundiae, qui suspensi, seu damnati a Legato nostro Hugone Diensi Episcopo fuerunt, non sine gravi labore discussimus.* Praesules de quibus fit mentio, suspensi propter simoniam damnatique fuerant. Moderatio haec, qua sedes Apostolica utitur erga eos, qui violarunt canones, ostendit, eandem Sedem in largiendis dispensationibus parcissimam esse. Cui rei Hadrianus facile consentit, idque ita faciendum esse verbo atque exemplo docet.

Nonus Nicolaus II. in Romano Concilio cui praefuit: *Tanta*, inquit, *talium* (simoniacorum Praesulum) *multitudo est, ut dum rigorem canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit, ut dispensative ad piae condescensionis studium nostros animos ad praesens inclinemus, ita tamen auctoritate sanctorum Apostolorum Petri & Pauli omnimodis interdicimus, ne aliquando aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione regulam sibi vel alicui assumat, vel praefigat, quia hoc non antiquitas Patrum jubendo aut concedendo promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendum a nobis extorsit.* Venia, de qua loquitur Nicolaus, non tam infringendi, quam infracti canonis est, quam ab illo necessitas summa extorsit. Hadrianus id sentit, quod Nicolaus senserat.

Decimus Clemens II. in Epistola ad Joannem Salernitanum Episcopum: *Quoties ita contingit, ut exigente necessitate, vel maxima utilitate transmutandus est quisquam Episcopus de propria Sede ad aliam, diligentissime perquirenda est persona, utrum necessario sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, si major Sedes assumitur.* En vera relaxandorum canonum regula; maxima vel necessitas, vel utilitas, ad quam respectum habet Hadrianus!

Undecimus Joannes VIII. in Epistola XIV. ad Episcopos Bituricensis provinciae: *Prioribus itaque manentibus regulis, quas ubi nec rerum, nec temporum urget necessitas, jure convenit observari.*

Deinde in Epistola XXXIV. ad Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum: *Moderatio Sedis Apostolicae, & universalis Ecclesiae dispositio in hoc periculoso tempore pene cuncta dispensatori moderanda compellit.*

*Quamvis autem praesenti sit exuli consulendum, nihil tamen est non extante ulla necessitate contra Patrum canones agendum.*

Tum in Epistola CXCIX. ad Basilium, Constantinum, & Alexandrum Impp. *Nos statutis Apostolicis praejudicantes, nec beatorum Patrum regulas resolventes, quin potius earum auctoritate freti, qui Nicaeni Concilii cap. 2. apertissime dicunt: Quoniam plura per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus adversus Ecclesiasticam facta sunt regulam: Hinc & Gelasius Papa dicit, quod ubi nulla perurget necessitas, constituta Patrum inviolata serventur. Et sanctus* Leo *eodem spiritu praecipit omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Inde & Felix praesul decessor noster in sua decretali Epistola voce consona dicit; Aliter tractandam esse necessitatis rationem, & aliter voluntatis. Inde sanctum Concilium apud Africam gestum cap. 35. Ut Clerici Donatistarum in Ecclesia propter Ecclesiae pacem & utilitatem, si correcto consilio ad Catholicam unitatem transire voluerint, si hoc paci Christianae prodesse visum fuerit, in suis suscipiantur honoribus.* Haec est praescriptio, ad quam Hadrianus & suas & Sedis Apostolicae actiones dirigit, & dirigendas esse censet.

Duodecimus Hadrianus II. in Epistola XXVII. ad Episcopos Duziacensis Synodi: *Nonnullos Episcopos, sicut tripartitae historiae series prodit, legimus pro temporis necessitate de una Ecclesia fuisse mutatos in aliam, quia aliter tractanda est necessitatis ratio, aliter voluntatis. Unde sancti Patres Nicaeni Capitulo 11. dicunt, quoniam plura, aut per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus adversus Ecclesiasticam facta sunt regulam, & sanctus Papa Leo cap. 44. decretalium suorum dicit, omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit.* Sedis Apostolicae traditionem & Nicaeni Concilii auctoritate & Leonis Papae testimonio confirmat: Et sic Hadriani VI. factum asserit.

Decimus tertius Nicolaus I. in Epistola I. ad Michaëlem Imperatorem: *Quoniam sicut dictum est, distare convenit inter personam divino cultui deditam, & de laicorum conversatione venientem, quae tamen eatenus indulgenda credimus, ut illis Ecclesiis, quibus infestatione bellorum, vel nulla penitus, vel exigua remanserunt, quatenus his Deo propitio restitutis, in Ecclesiasticis gradibus subrogandis paternorum canonum vetus forma servetur, ne contra eos ulla ratione praevaleat, quod pro accidentis defectus remedio providetur. Non adversus scita majorum nova lex proponitur, caeteris Ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas pristinam in faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam. Quo magis hac opportunitate communiti observantiam venerando-*

*randorum canonum propensius delegavit.* En temperandorum canonum lex, urgens necessitas & evidens utilitas!

Deinde in Epistola VI. ad Photium: *Et ideo licet contra Patrum decreta, atque canonicas institutiones, quod per necessitatis fieri eventus comprobatur, non in auctoritate tenendum est, sed ne iterum talis proveniat necessitas, magis magisque cavendum.* Nicolaus Sedis Apostolicae traditioni insistit, cui Hadrianus insistere voluit, & quoad vixit, institit.

Decimus quartus Zacharias in Epistola XII. ad Bonifacium Episcopum, ubi variis illius consultationibus respondet: *Inquisisti etiam & hoc, si ante trigesimum annum liceat Sacerdotem ordinari? Bonum & congruum, charissime frater, si fieri & inveniri potest, ut provectae aetatis & boni viri testimonii juxta sacrorum canonum instituta ordinentur Sacerdotes: Si autem minime reperiantur & necessitas exposcit, a viginti quinque annis & supra Levitae & Sacerdotes ordinentur, quemadmodum in lege Domini continetur.* Non aliud, quam necessitas sola, vel utilitas in causa est, cur aliquando sacrorum canonum observatio relaxetur. Hoc ipsum sibi vindicat Hadrianus, qui & aliunde noverat, opinor, eundem Zachariam in Epistolae I. ad eundem Bonifacium capite V. scripsisse: *De illo namque, qui viduam avunculi sui, quae & ipsa fuit uxor consobrini sui, & sacrum velamen habere monstrata est, a beatae memoriae praedecessore nostro sibi licentiam concessam esse divulgavit, ut eam in pernicioso matrimonio assumere debuisset. Absit, ut hoc praedecessor noster ita credatur praecepisse. Nec enim ab hac Sede illa diriguntur, quae contraria esse Patrum, sive canonum institutis invenirentur.*

Decimus quintus Martinus I. in Epistola V. ad Joannem Philadelphiae Episcopum: *Defensores divinorum canonum & custodes sumus, non praevaricatores, quandoquidem praevaricationibus conjunctae manifeste retributiones sunt.* Et paullo post: *Novit canon afflictorum temporum persecutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non praecessit, praevaricationem redarguens, sed angustia magis, & penuria, quae propter necessitatem & misericordiam cogit multam diligentiam praetermittere.* Huc noster spectat Hadrianus.

Decimus sextus Gregorius primus, isque magnus Pontifex in libri I. Epistola LII. ad Joannem Surrentinum Episcopum: *Religiosis desideriis facile est praebere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum.* Tunc id exposcit & necessitas vel certe utilitas, & id quoque noverat Hadrianus, cum dispensationes illas, quibus contradicit, nec religiosas esse, nec iis fidelem devotionem posse celerem effectum sortiri perspiceret.

Deinde in libri XI. Epistola V. ad Adeodatum servum Dei: *Effectum justa postulantibus indulgere & vigor aequitatis, & ordo exigit rationis, praesertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat & veritas non relinquit.* Hadrianus petentium voluntatem aliquando pietate non adjuvari luculenter docuit, cum NEPOTI SUO Sacerdotia duo petenti impertire noluit. Adde quod qui petit Sacerdotia duo, si pinguia sint maxime & opima, eum fere semper veritas relinquat.

Neque vero Gregorius poterat aliter loqui, postquam sibi sumpsit Ecclesiae pacem in diligenti observatione sacrorum canonum consistere: Sic enim in ejusdem libri Epistola XLIV. scribit ad Joannem Panormitanum Episcopum: *Illud autem admonemus, ut Apostolicae Sedis reverentia nullius praesumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset injuria, & canonum manet incolumis, atque intemerata semper auctoritas.*

Decimus septimus Symmachus in Epistola ad Eonium Arelatensem Episcopum: *Huc accedit, quod ne sit sententiarum varietas ad ipsam sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere, cujus potestas omnis infringitur, nisi universa quae a Domini Sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint; quod alias contingere non poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quae gesta sunt faciat rata esse quae gesserit. Quanta enim Vicariis beatissimi Petri Apostoli judicabitur esse reverentia, si quae in Sacerdotibus praecipiunt eisdem transeuntibus dissolvantur?* Quam accuratam sacrorum canonum observationem postulat, haec necessitatem summam aut utilitatem maximam non excludit, sed admittit, ut decessores & successores admiserunt. Symmachus hic tantum occurrit sacrorum canonum relaxationi, quae non satis considerate fieret.

Quod sic explicat in Epistola ad Avitum: *Attamen si ea quae fecit* (Anastasius Papa) *rationabiliter fecisse fraternitas tua docuerit, gaudebimus nihil esse ab eo contra canones attentatum: Quia quod fit praeter regulam, modo sit ex justa causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia & antiquitatis contemptus laedit. Nam quamvis a Patribus statuta diligenti observatione, & observanti diligentia sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipsa lex cavisset, si praevidisset, & saepe crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse praejudicabilis Ecclesiae videtur, quoniam leges ea intentione latae sunt, ut proficiant, non ut noceant.* In tomo V. Spicilegii Lucae Dacherii. Et haec est Hadriani suis in libris mens & intentio.

Decimus

Decimus octavus Gelasius I. in Epistolae IX. ad omnes Episcopos capite I. *Necessaria rerum dispositione constringimur, & Apostolicae Sedis moderamine sic paternorum canonum decreta librare, & retro Praesulum decessorumque nostrorum praecepta metiri, ut quae praesentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti quantum fieri potest, temperemus, quo nec in totum formam videamur excedere regularum.* Iterum in capite II. *Prisca pro sui reverentia constituta, ubi nulla rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri.* Hadrianus Gelasium proposuisse sibi visus est ad imitandum.

Decimus nonus Felix III. in Epistola ad Episcopos per diversas provincias constitutos: *Sciens quod se decipiat ipse qui fallit, nihilque per nostram facilitatem tribunalis excelso judicio derogari, cui illa sunt, & aliter necessitas, aliter tractanda est ratio voluntatis.* Haec est Apostolicae Sedis norma & praescriptio, qua ductus Hadrianus noluit, ut NEPOS sacerdotiis duobus frueretur, cum NEPOS ILLE frui vel maxime concupisceret.

Vigesimus, Hilarius in Epistolae VIII. capite I. *Quod utique non aliter poterit praecaveri, nisi statuta venerandorum canonum in faciendis conventibus, quos hactenus omitti fecit certa necessitas, exequamur: In quibus possint pro emergentium necessitate causarum ad Ecclesiasticae observantiam disciplinae, & ea quae secus facta fuerint, corrigi, & sequenda constitui.* Sic necessitas in causa est, cur canonum remittatur observatio; atque ita sublata necessitate canones diligenter observandi sunt: Et hoc ipsum Hadrianus VI. verbo & exemplo docet.

Vigesimus primus Leo I. in Epistolae LXXIX. ad Nicetam Aquileiensem Episcopum capite III. *Omittendum est & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit.* Sic non peccatur contra canones, cum id quod fit, ut fiat, necessitas summa, vel utilitas maxima deposcit. Neque vero Leo dissentit a seipso cum in Epistolae LXII. ad Maximum Antiochenum Episcopum capite IV. scribit: *Universae pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur.* Haec enim necessitati summae, vel utilitati maximae locum relinquunt, & una demonstrant remittendam esse quam raro canonum disciplinam, in qua universae pacis tranquillitas consistit. Haec est tota Hadriani philosophia, quae in illius quaestionibus repraesentatur.

Vigesimus secundus Innocentius I. in Epistolae ad Rufum, Eusebium, & alios Macedoniae Episcopos capite V. *Jam ergo quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse, ac fuisse regulas*

*gulas veteres, quas ab Apoſtolis, aut Apoſtolicis viris traditas Eccleſia Romana cuſtodit, cuſtodiendasque mandat his, qui eam audire conſueverunt, ſed neceſſitas temporis id fieri magnopere poſtulabat. Ergo quod neceſſitas pro remedio reperit, ceſſante neceſſitate debet utique ceſſare pariter, quod urgebat, quia alius eſt ordo legitimus, alia uſurpatio, quam ad praeſens fieri tempus impellit.* In Eccleſiaſticis dispenſationibus plura neceſſitate fiunt, quae citra neceſſitatem fieri nequeunt. Quod Hadrianus VI. cum intelligeret, in faciendis dispenſationibus parciſſimum ſe praebuit, quia ſic agendum eſſe docuerat.

Haec eſt Apoſtolicae Sedis traditio, quam per illius praeſides a Gregorio IX. ad originem reduximus, & quam Hadrianus ſequi & inſtaurare quidem, quod ante ſe adulatricis Curiae vitio neglecta fuerat; ait enim: *Scimus in hac ſancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in Spiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique in perverſum mutata.*

Id traditur in tertio capite, quod ſincerum Pontificis animum, conſilium ſanctum, fortitudinem, pietatem, religionem perſpicue demonſtrat. Dolenter quidem, ſed libenter de Curiae vitiis agnoſcere, quod Hadrianus in mandatis Cheregato datis agnoſcit, quid magis ingenuum & Chriſtiano pectore dignius? Emendare & purgare velle Curiam, cum hoc in labore Hercules vix ſufficeret, quid fortius? Quid Romano Pontifici, qualis Hadrianus extitit, honorificentius, & ad praebendum caeteris exemplum auguſtius? Ab Romano Clero reliqui Cleri emendationem inchoare, quid prudentius? Quid efficacius? Quid tum demum ſanctius? Sacerdotia diſtribuere, ut ſacri canones & recta ratio praeſcribunt, quid juſtius? Eccleſiaſticis bonis adjuvare tenuioris fortunae homines, qui bonis artibus & diſciplinis Eccleſiam aedificent, quid religioſius? Quid ad tuendam Pontificii nominis dignitatem aptius? Denique in Lutheri negotio factum & divinum jus diſtinguere, quo facilius Lutheri tranſigatur negotium, & Lutherus reducatur in Eccleſiam, & vera ſanciatur concordia, quid ſapientius? Quid Eccleſiaſticae traditioni convenientius? Quid veri nominis Theologo laudabilius? Quid ut ſcitu ita & factu magis neceſſarium? Hadrianus in mandatis Cheregato datis omnia haec, quae in Pontificem reipſa mediocrem tranſcribuntur, ad plenum & perfectum executus eſt, eumque executum eſſe non difficile judicabis.

Expoſitum hactenus Hadriani conſilium firmiſſime ſuſtentant, quae anno poſt illius obitum XV. Romae geſta ſunt. Paulus III. Concilium ex delectis Cardinalibus & Praeſulibus aliis fieri voluit, ut illius opera certa quaedam emendandae Eccleſiae ratio inveniretur. In eo notati ſunt praeci-

praecipui abusus, qui corrigendi erant. Sed Concilii Patres primam mali labem in Curiam transferunt, ut Hadrianus ante transtulerat. Verba sunt: *Beatissime Pater, tantum abest, ut verbis explicare possimus, quam magnas gratias Respublica Christiana Deo optimo maximo agere debeat, quod te Pontificem hisce temporibus ac Pastorem gregi suo praefecerit, eamque quam habes mentem dederit, ut minime speremus cogitatione eas, quas Deo gratias debet, consequi posse. Nam spiritus ille Dei, de quo virtus caelorum firmata est, ut ait Propheta, labantem, imo fere collapsam in praeceps Ecclesiam Christi per te restaurare, & huic ruinae manum, ut videmus, supponere decrevit, eamque erigere ad pristinam sublimitatem, decorique pristino restituere, certissimam Divinae hujus sententiae conjecturam nos facere valemus, quibus sanctitas tua ad se vocatis mandavit, ut nullius aut commodi tui, aut cujuspiam alterius habita ratione*, TIBI SIGNIFICAREMUS ABUSUS ILLOS, GRAVISSIMOS VIDELICET MORBOS, QUIBUS JAMPRIDEM ECCLESIA DEI LABORAT, AC PRAESERTIM HAEC ROMANA CURIA, *quibus effectum prope est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis, magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam sanctitas tua spiritu Dei erudita, quae (ut inquit Augustinus) loquitur in cordibus nullo verborum strepitu, probe noverat*, PRINCIPIUM HORUM MALORUM INDE FUISSE, QUOD NONNULLI PONTIFICES TUI PRAEDECESSORES PRURIENTES AURIBUS, UT INQUIT APOSTOLUS PAULUS, COACERVAVERUNT SIBI MAGISTROS AD DESIDERIA SUA, NON UT AB EIS DISCERENT, QUID FACERE DEBERENT, SED UT EORUM STUDIO ET CALLIDITATE INVENIRETUR RATIO QUA ID LICERET, QUOD LIBERET: *Inde effectum est, praeterquam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures Principum*, QUOD CONFESTIM PRODIRENT DOCTORES, QUI DOCERENT PONTIFICEM *esse dominum beneficiorum omnium: Ac ideo cum dominus jure vendat id quod suum est, necessario sequi, in Pontificem non posse cadere simoniam: Ita quod voluntas Pontificis qualiscunque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur: Ex quo proculdubio effici, ut quidquid liceat, id etiam libeat.*

EX HOC FONTE, Sancte Pater, TANQUAM EX EQUO TROJANO *irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem fere salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles usque. Credat sanctitas vestra scientibus, qui ob hanc praecipue causam Christianam religionem derident, adeo ut per nos, per nos inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes. Tu vero,*

*vero, Sanctissime Pater & vere Sanctissime, edoctus a spiritu Dei, praeter veterem illam tuam prudentiam, cum totus in hanc rem incubueris, ut sanatis aegritudinibus Christi Ecclesia curae tuae commissa bonam valetudinem recuperaret, vidisti ac probe vidisti*, INDE INCIPIENDAM MEDICATIONEM, UNDE PRIMUM ORTUS EST MORBUS, *secutusque doctrinam Apostoli Pauli vis esse dispensator, non dominus, & fidelis inveniri a Domino: Imitatus etiam servum illum, quem in Euangelio Dominus praefecit familiae suae, ut det illis in tempore tritici mensuram, ac propterea decrevisti nolle, quod non liceat, nec vis posse quod non debes.* Et quibusdam interjectis:

*Illud vero ante omnia, Beatissime Pater, putamus statuendum esse, ut dicit Aristoteles in Politicis, sicut in unaquaque Republica, ita & in hac Ecclesiastica gubernatione Ecclesiae Christi hanc prae omnibus legem habendam, ut quantum fieri potest, leges serventur.* NEC PUTEMUS NOBIS LICERE DISPENSARE IN LEGIBUS, NISI URGENTI DE CAUSA ET NECESSARIA. *Nulla namque consuetudo perniciosior in quavis Republica induci potest, quam haec legum inobservantia: Quas sanctas majores nostri esse voluerunt, earumque potestatem venerandam & divinam appellarunt.*

Deinde in abusu quarto, qui ad beneficiorum collationem pertinet: *Videat sanctitas tua*, QUO PROCESSIT ASSENTATORIA ILLA DOCTRINA, QUA TANDEM EFFECTUM EST, UT ID LICEAT, QUOD LIBEAT.

Porro autem quos abusus Concilium delectorum Cardinalium & aliorum Praesulum recenset, ad liquidum confessumque deducit, hos omnes Hadrianus paucis comprehenderat: *Scimus in hac sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata.*

Hinc Marcellus II. qui Paulo III. fuerat ab Epistolis, & consiliorum illius particeps, cum aliquando haec & alia perspiceret, id asseruit, quod tacere non possum. Res ita narratur ab Onuphrio qui vitam illius scripsit: *Ea simplicitate, qua privatus cum esset, edebat, habebatque sive publice sive privatim convivaretur, Anagnostem in mensa, qui sacros libros, aut sanctorum Patrum scripta legeret. Post longum in prandio silentium recordatus aliquando ea Hadriani IV. Papae verba: Romano Pontifice nemo est miserabilior, conditione ejus nulla miserior. Totius enim vitae laetitia & felicitas amaritudo est: Cathedra Ramani Pontificis est spinosa, iter undique consertum aculeis, pondus tantae molis, ut robustissimos premat & confringat humeros: Manu mensam percutiens dixit:* NON VIDEO, QUOMODO QUI LOCUM HUNC ALTISSIMUM TENENT, SALVARI POSSINT.

POSSINT. Ad hoc Marcelli effatum eruditis ad nimiam assentationem Doctoribus quid fiet? Pontifex circumspectione magna praeditus non videt, quomodo qui Romanae Ecclesiae cathedram tenent, salvari possint? ipsi viderint. Hadrianus ad Romanum Pontificem accommodate definiit, quod beatus Augustinus tum Presbyter de Episcopi, Presbyteri, & Diaconi officio pronunciaverat in Epistola CXLVIII. ad Valerium Episcopum: *Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore facilius & laetius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius: Ita nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.* Sed Marcellus II. cum Episcopale officium suum in editiori loco positum aspiceret, id affirmare non est veritus, quod iterare animus refugit ac reformidat.

Quorsum haec? nisi ut primum intelligas, Hadrianum VI. non sine causa, eaque maxima in Apostolica Sede fecisse, quod in scholis docuerat, vixisse Pontificem, ut cuicunque Clerico vivendum esse tradiderat, & Scripturae sacrae auctoritate & sanctorum Patrum testimoniis confirmaverat? Deinde ut observes diligentius, nos vere retulisse praecipua capita, quibus politici, non tam Christiani, quam Philosophi, colligunt, Hadrianum Pontificem fuisse reipsa mediocrem, id est, ad regendam Sedem Apostolicam minus idoneum. Sed quanta cum iniquitate & contumelia colligant, sit tuum & tui similium, egregie videlicet cordatorum hominum, arbitrium. Interim, quae politici Hadriano objiciunt, haec tanquam frigida & inania respuo & despicio. Hadrianum ut prioris aevi Pontificem colo & veneror, ut qui lapsos Curialium mores erigere studuit, ut qui contra cupidos & avaros antistites patrimonia pauperum vindicare voluit; & consanguineos egenorum sumptibus locupletare noluit, ut qui sacros canones sine urgenti & necessaria causa relaxare instituit, & Ecclesiam ad eorundem canonum institutum regendam suscepit. Vale. Lutet. Paris. Idibus Febr. ann. MDCLXVI.

# HUBERTUS LOYENS

## DE

## GESTIS DUCUM BRABANTIAE

Pag. cxcv.

Maximilianus Carolo inſtitutorem delegit *Adrianum Florentium* Ultrajectinum, caſtitate & integritate morum commendatum.

Idem pag. ccv.

Erat illis temporibus vir doctus & probus *Adrianus Florentius*, gente Ultrajectinus, poſtmodum ſummus Pontifex, cujus vita probata, ac inculpati mores cum illius commendarent doctrinam, facile Maximiliano fuit perſuaſum, qui hunc nepoti ſuo, puero ſeptenni, doctorem arceſſierit; ut ex ejus viri praeceptis atque inſtitutis, veluti ex fonte quodam, flueret illa regia diſciplina, quae mentem, linguam ac rationem futuri Regis, ad Reipublicae gubernationem cum ſumma laude dirigeret. Sic Maximilianus non aliquem externum aut alienigenam, aut ignotae virtutis hominem, nepoti ſuo praeceptorem delegerat; ſed Belgam, eundemque ſpectatae doctrinae ac integerrimae vitae virum. &c. Hoc ergo munere *Florentius* non minus difficili, quam operoſo ſuſcepto, duos in ſcopos inſtitutionis capita direxit. Alter erat pietatis: ut nimirum prima Principis cogitatio circa Deum, ac divina laboraret; cum principium ſapientiae ſit timor Domini, unde prompta ſapienter regnandi facultas promanat &c. Alter ſcopus erat bonarum artium. Verum cum Imperio deſtinatus non habeat longa varios audiendi atque lectitandi auctores tempora, neque etiam omnes Principi literae conveniant; ideo *Florentius*, poſtquam Princeps lubricum illud aetatis ſpatium in literis iis, quibus puerilis aetas imbui ad humanitatem ſolet, collocaſſet, tum egregia Hiſtoricorum exempla, ethica & politica ex Livio, Plutarcho, Cicerone, Seneca excerpta tradidit, quibus omnia continebantur, quae ad rectam regnorum adminiſtrationem deſiderantur, cum pacis tum belli temporibus. Sed Principi horum obrepſit faſtidium, certe praepopere, & cujus poſtea poenituit. &c.

Idem

Idem pag. CCXXVI.

Leo obiit non ſine ſuſpicione hauſti veneni. In cujus locum ſuffectus *Adrianus Florentius*, natus Ultrajecti, patre ingenuae plebis viro, ſed adeo paupere, ut praeclarae indolis filium ſuo ſumptu bonis literis & artibus imbuere nequaquam poſſet. Sed Lovanium *Adrianus* profectus, & in Collegium Porcenſe cooptatus, tanta contentione literis incubuit, pari integritatis & continentiae laude, ut brevi tempore caeteros doctrina anteiret. Ob id Margareta Maximiliani Caeſaris filia, eum paroeciali ſacerdotio in Hollandia praefecit, ac mox ſecunda tantae virtutis opinione moti Lovanienſes eum Decanum legunt, qui ſubinde Cancellarius (qui omnium collegiorum jura moderatur) electus etiam fuit. Deinde Maximilianus Caeſar nepoti Carolo literarum & virtutis praeceptorem dedit. Non multo poſt idem Maximilianus ad Ferdinandum Catholicum in Hiſpaniam ampla legatione honeſtatum *Adrianum* miſit. A quo benigne exceptus, eam prudentiae, pietatis atque ſapientiae laudem promeruit, ut brevi tempore Epiſcopus Dertuſenſis fuerit deſignatus. Poſt Ferdinandi mortem, rogante Maximiliano, Cardinalis titulo Pammachii SS. Joannes & Pauli a Leone decimo creatur. Maximiliano mortuo, Carolus in Germaniam contendens, *Adrianum* totius Hiſpaniae gubernatorem conſtituit. Qui poſt pacatas in Hiſpania ſeditiones, ſumptumque de auctoribus Padilla & Bravio ſupplicium, & partam contra Gallos, recuperata Pampelone, victoriam, Leone x mortuo, Pompeji Columnae & Julii Medicis opera, poſt multas contentiones, novem & triginta Cardinalium ſuffragiis in Vaticano palatio anno MDXXII. quinto idus Januarii ſummus Pontifex abſens creatus, annum unum menſes octo, & dies tres inſigni pietate Eccleſiam Dei gubernavit. Nihil Caeſari fortunatius, nihil optabilius accidere potuit, quam poſt ejectum Mediolano Gallum, firmatis in Italia rebus, eum dari Pontificem, qui nulla privata caritate infenſus, ſolius publicae tranquillitatis, ad quam natura ſua propenſus erat, rationem haberet, & res Caeſaris, ut bene meriti de ſe alumni, ac munificentiſſimi Principis, conſtanter foveret.

# JOHAN. GEORG. GRAEVIUS

IN

## ORATIONE

IN

### NATALEM QUINQUAGESIMUM ACADEMIAE TRAJECTINAE.

*Adrianum* VI. Pontificem Maximum, humilibus parentibus in hac urbe prognatum (pater [1] *Adrianus Florentius* navibus texendis quaestum faciebat, idque nomen ferebat filius etiam antequam ad Pontificatum proveheretur) sola virtutis & doctrinae, quam scriptis editis testatam orbi fecerat, opinio commendarat Maximiliano Caesari, & Ferdinando Hispaniarum Regi, ut ex liberis suis nepotum duorum Caroli & Ferdinandi teneram aetatem illi fingendam & formandam traderent. Carolus, cognomento Quintus, disciplinae ejus alumnus, omnium, qui post Carolum M. fuerunt, Imperatorum maximus & potentissimus, cum post adultus ex Hispania proficisceretur, totius regni summa ejus fidei & curae credidit. Leone decimo vero mortuo, nunquam antehac visus Belga *Adrianus* a collegio summorum sacerdotum, omnium consensu & suffragiis Pontifex renuntiatus, Romam ex ultimis terris arcessebatur, quod semel tantum in Urbe illa ante ducentos & viginti circiter annos factum erat.

1 *Adrianus Florentius.*] Unde haec hauserit Cl. Graevius ignoro. Omnes enim scriptores & monumenta istius temporis tradunt patrem ejus vocatum *Florentium*, non vero *Adrianum Florentium.*

BRANTIUS

# BRANTIUS

## IN

## HISTORIA REFORMATIONIS

### Lib. II. pag. LXXX.

Interim *Adrianus Sextus* Romae Pontifex creabatur. Hic anno MCCCCLIX. Trajecti modicis parentibus natus erat. Pater ejus [1] Florentius Boeyens,[a] naupegus, cum ipsi deessent facultates,

Val. Andr. Biblioth. Belg. p. XIX. edit. ann. MDCXLIII. Beverw. de script. Dordrac. CCCXXIX. J. Sleidan. comment lib. III. XLVIII. Histor. Concil. Trident. I. XVII, XVIII. Thuan. I. XXXVII.

1 *Florentius Boeyens Naupegus.*] In priori hujus historiae editione hunc Hadriani patrem textorem fuisse dixeram ex T. Swingeri Theatro vitae humanae pag. 3697. & Garimberto lib. IV. de vitis Paparum. Verum Dominus Cornelius Bootius, vir Consularis Trajecti, & diligentissimus investigator memorabilium antiquitatum, mihi ex variis antiquis chartis, aliisque monumentis fide dignis, ostendit patrem ejus fuisse naupegum, & lignarium mercatorem. vide etiam Valer. Andr. in Biblioth. Belgic. p. XIX. edit. ult. In scripto quodam documento, quod idem vir Consularis possidet, refertur, in gratiam Papae hujus, cum Romae in Petri cathedra sederet, & ipsi exprobaretur, quod esset peregrinus, & ex humili genere ortus, bis magistratus Trajectinos, scilicet XII. Junii MDXXII. & VI. Junii MDXXIII. testimonium dedisse, quo testantur ex civibus honestis & matrimonio legitimo eum natum. Abavus enim ejus Janus Tymanni Dedelii filius jam civis fuerat anno MCCCLXXVIII. Hic reliquerat quinque filios, primus erat Timannus, ab actis sive secretis Scabinorum Trajectensium. Secundus Damianus Jani filius, Praetor in Nyevaert anno MCCCCIV. avus Damiani Jani filii Scabini Trajecti anno MCCCCLV. etiam Damiani & Hillegondae Schaey, aviae Consulis Adami Diemenii, cujus vidua anno MDLXVIII. ab Hispanis tyrannis decollata est. Tertius Nicolaus Dedelius Jani filius, pater Dedelii Scabini Trajecti anno MCCCCLI. & summus magister collegii cujusdam Trajectinorum artificum ann MCCCCLV. Quartus Elias Jani filius, Scabinus Dorostadi annis, MCCCCXXI. & MCCCCXXV. quintus Boudewinus Jani filius, qui anno MCCCCXXXII. missus est in possessionem Domus Brandaa, inter naupegos navicularios, prope pontem Regularium, cum diversis minoribus aedificiis, tam retro plateam dictam de *Springweg*, & ad septentrionem de *Brantstege*, ut & ad fossam veterem, ubi ille & ejus filii Janus, Cornelius, Nicolaus & Florentius lignorum mercaturam & artem navicula conficiendi exercebant. Florentius Boudewini filius defunctus est patre adhuc vivente in domo, quae in angulo plateae de *Brantstege* erat, relicta vidua cum tribus junioribus filiis, quorum natu minimus Hadrianus postea Papa, tunc Swollae studiorum caussa degebat. BRANTIUS. Vide quae ad Moring. c. I. adnotavimus, ubi rationes dedimus, quare Hadrianum ex Dedeliorum illustrissima familia ortum adfirmare non ausi fuimus. Si nobis licuisset inspicere ipsa illa Magistratuum nostrorum testimonia, quorum hic meminit Brantius, majori forte jure & fide majores ejus commemorare potuissemus; licet videantur, tantum in iis generaliter testati Magistratus Hadrianum parentibus civibus Trajectinis & ex legitimo matrimonio natum, non vero sequentia, quae Brantius de ejus abavo Jano Dedelio, ejusque posteris hic refert. Ego vero in Curia nostra omnia acta Scabinorum. Magistratuumque nostrorum ejus temporis perlustravi, verum nulla talia testimonia invenire potui, ideoque maxime de eorum fide dubito. Pretiosissima vero illa literaria monumenta, quae summo studio collegerat Amplissimus Boothius, ut & quamplurima

tes, ut ſumptibus a filio in ſtudiis faciendis impar eſſet, obtinuit, ut in Academia Lovanienſi liberalitate publica in collegio quodam aleretur.

P. Jov. vit. Adrian. p. c. Ejus induſtria, integritas vitae & fortuna eum ad tam altum honoris faſtigium perduxerunt. Primo Lovanii S. Petri Decanus, poſtea Canonicus & Praepoſitus Trajecti, anno MDVIII Praeceptor Caroli Auſtriaci factus; deinde cum Legatus in Hiſpaniam eſſet miſſus, rex Ferdinandus in eum Epiſcopatum Dertuſenſem contulit. Ferdinando mortuo Prorex in Hiſpania creatus eſt. Leonis Papae favore pileum Cardinalitium, & diſcrepantia Cardinalium triplicem thiaram adeptus eſt. Eo electo ad Papatum Trajectini & Hollandi publicae laetitiae edebant ſigna, & tapetibus & muris inſcribebant: *Trajectum plantavit, Lovanium irrigavit, Caeſar incrementum dedit.* Cui alius quidam urbanus ſubſcribebat: *Hic Deus nihil fecit.* Verum diverſa erat ſententia novi Papae, ſcribentis magiſtro Florentio Oem a Wyngaerden, eo tempore Syndico Dordracenſi, amico ejus.

Manlius in locis commun.

## *DOMINE DOCTOR, AMICE CARE.*

Ejus Epiſtola ſcripta Florentio Oem a Wyngaerden. Beverw. Hiſtor. Dordrac. p. CCCXXIX.

*Nemo eſt, quin miretur & ſtupefactus ſit, quod homo pauper, omnibus fere ignotus, tam procul abſens, a conſentientibus in unum Cardinalibus Chriſti Vicarius ſit electus. Verum Deo facile eſt pauperes cito extollere. Ego non gaudio perfundor in iſto honore, & tantum onus ſubire formido. Malebam potius extra Papalem, Cardinalitiam & Epiſcopalem dignitatem Trajecti in Praepoſitura mea Deo ſervire; verum Deo vocanti reſiſtere non audeo, ſperans quod adimplebit, quae mihi deſunt, & ſatis validas vires concedet ad onus illud ferendum. Precor, ut Deum pro me ores, & elabora piis tuis precibus, ut me erudiat praecepta ſua bene exequi, & me dignum reddat, ut Eccleſiae ejus commodis inſervire poſſim.*

Haec Epiſtola ſcripta erat Victoriae XV. Februarii anni MDXXII. Simili ſenſu eodem tempore ſcribebat Cancellario Caeſaris. Primo commemoratis ſalutationibus & congratulationibus, quae ab omnibus mundi partibus ipſi accedebant, addit: *Ego ſolus triſtitia*

Cancellario Caeſaris ex Epiſtola non edita.

Buchelii noſtri MSS. quae fato quodam in ejus manus pervenerunt, ſuperſunt quidem adhuc hodie, & ab ejus haeredibus adſervantur; verum cum nulli hodie tam beato eſſe liceat, ut ad ea acceſſus concedatur, hinc nobis quoque iis ſubſidiis, ex quibus forte certiora edocti eſſemus, carendum fuit.

*tia afficior, & utinam mihi liceret grave illud onus, quod simul tam difficile & periculosum est, sine metu Deo displicendi, ab humeris meis excutere, & potius vitam privatam, licet misere, in aliquo angulo ducere, & solam conscientiam curare, quam muneris mei, quod totum orbem complectitur, rationes Deo reddere.* Quinque Capitulis Trajectinis scribebat: *Vestri erit officii sedulas ad Deum fundere preces, ut ipse, qui nos de pulvere ad hanc summam in terris dignitatem sublimavit, vires quoque & robur animae pariter & corporis ad illam salubriter administrandam suppeditare dignetur.* Admodum ipsum, a natura benevolum & clementem, sollicitum habebant lites in religionis negotio sub ejus decessore excitatae. Erasmum in quadam Epistola scripta I. Decembris MDXXII. hortabatur, ut excellentia ingenii dona, quae Deus ipsi largitus fuerat, etiam in honorem Dei, sicut ad hoc usque tempus fecerat, impenderet. Ut eum in finem contra Lutherum stilum verteret. Hoc modo, putabat Papa, poterat Dei ope magnam aberrantium partem reducere, qui nondum ceciderant confirmare, qui vacillabant & labefacti erant, ne caderent servare. *Qui meminisse debes*, inquit, *dicti illius beati Jacobi, quo asserit eum, qui fratrem suum a veritate errantem converterit, & peccatorem ab errore viae suae revocaverit, servare illum a morte, & operire multitudinem peccatorum. Nobis certe dici non potest*, addit, *quam acceptam rem facies, si tua opera fiet, ut, qui pessima ista haeresi infecti sunt, sponte potius sua resipiscant, quam censoria sacrorum canonum, legumque Imperialium virga percuti exspectent. Quod quam a nostra natura sit alienum, tu ipse, uti credimus, ex eo tempore, quo simul in jucundo literarum otio & privata adhuc vita Lovanii degimus, optime nosti.* Verum ex praeconcepta opinione, quam ex scholastica Theologia (cui a teneris innutritus erat) hauserat, aliquando contra innatam ipsius clementiam nimis vehementer abducebatur contra Lutherum, aliosque ejus sectatores. Persuasum ipsi erat Lutheranos non negare doctrinam Ecclesiae Romanensis, verum propter rationes & commoda privata schisma illud excitasse. Hinc quod in conventu Nurenbergensi mense novembri praecedenti habito, per Episcopum Fabrianensem Franciscum Cheregatum consilium dederat, ut, post prius tentata & neglecta lenia remedia, dura adhiberentur. Non tamen praejudicatis suis opinionibus nec cupiditate ita excoecatus erat, quin videret & cognosceret,

Quinque Capitulis Trajecti.

Papa Adrianus scribit Erasmo vid. Erasmi Epist. p. MCCIII.

Erasm. Epist. p. MCCCCLXXXVII. P. Servita Histor. Concil. Trident. I. XVIII. Praejudicata opinio Hadriani contra Lutherum. II. Conc. Trid. Ibid.

ſceret, multa in Eccleſiam irrepſiſſe & inducta, quae emendanda erant. Corrigere quoque ea quaerebat; verum tantae ab omni parte obveniebant difficultates & impedimenta, ut quodam tempore coram duobus intimis ejus amicis Guielmo Enckefortio & Theodorico Hezio confeſſus fuerit; *miſeram eſſe Pontificum conditionem, quibus deerat recte faciendi facultas, etiamſi plurimum vellent, & laborem & induſtriam ſuam in eo impenderent. Quoniam igitur ante iter ſuum in Germaniam, quod in animo habebat, nulla in parte emendare Eccleſiam poterat, nihil ſupererat, quam fidere ejus promiſſis, quae exequi firmiter decreverat, etiamſi omni poteſtate excideret, ſive ad exemplum Apoſtolicae vitae ad extremam paupertatem reveniret.* Jis quoque, quorum unus ejus Datarius, alter ipſi a ſecretis, ſtricte mandaverat, quod interim in concedendis indulgentiis, diſpenſationibus, regreſſibus & coadjutoriis parci eſſent ad tempus, quo certa lege ea definita eſſent. Eo tempore, quo Principes Imperii in conventu contra Lutherum, quaſi omnis mali cauſſam, incitare tentabat, per Legatum ſuum Epiſcopum Fabrianenſem ingenue confitebatur: *Quod Deus hanc perſecutionem Eccleſiae ſuae inferre permiſerat propter peccata hominum, maxime ſacerdotum & Eccleſiae Praelatorum. Quod quoque in Sancta ſede aliquot annis multa abominanda fuerint, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique ita in perverſum mutata, ut aegritudo a capite in membra, a ſummis Pontificibus in alios inferiores Praelatos deſcenderit, & vix aliquis inveniretur, qui bonum faceret, & ab eo malo liber eſſet. Et quia officii & muneris ſui cauſſa omnem operam impendere obligatus erat, ut malo huic mederetur, ideo omnem operam adhiberet, ut ante omnia Curia Romana, unde forte omne hoc malum proceſſerat, emendaretur. Ad quod procurandum tanto arctius obligatum ſe putabat, quanto univerſum mundum hujusmodi reformationem avidius deſiderare videbat. Nemo vero mirari debebat, quod non ſtatim omnia errata & abuſus corrigerentur. Quoniam enim morbus eſſet inveteratus, ideo pedententim in ejus cura procedendum erat, & prius gravioribus magisque periculoſis occurrendum, ne omnia pariter emendare volens, cuncta perturbaret.* Eccleſiaſtici hanc ingenuam confeſſionem, qua originem omnis mali illis adſcribebat, male ferebant. Per hanc enim exiſtimabant ſe non ſolum in majus odium & contemptum apud plebem incurſuros, verum & Lutherum audaciorem

Agnoſcit miſeram Pontificum conditionem & ejus impotentiam ad emendandam Eccleſiam. Hiſtor. Concil. Trid. I. XXI. XXII. ex Ephemeride Epiſcopi Fabrianenſis.

Et quod Lutheri ſeditio ex peccatis Eccleſiaſticorum proveniebat. Hiſt. Concil. Trid. Ibid I. XXII. Sleid. comm. IV. L. b. LI. a. XI. CLXXIII. b.

Hanc ingenuam confeſſionem quidam indigne fe-

rem & proterviorem futurum. Praecipue displicebat illis, quod ita januam apertam viderent, qua ita invidiosa illis beneficiorum & commodorum diminutio necessarie introduci debebat, sive qua convinci possent, eorum mores depravatos insanabiles esse. Verum Germani, qui acerrime vires intenderant ad Pontificatum evertendum, sinistre interpretabantur hanc simplicitatem, dicentes, hanc esse artem, qua Papae consueti erant malum agnoscere, & emendationem promittere, cum tamen nihil minus in animo haberent quam eam perficere, & ita istis praestigiis simplices decipere, & lucrando tempus, occasionem in suum usum & commodum captare. Quod adtinet dictum Hadriani *pedetentim esse procedendum in negotio emendationis*, illud jocando venuste interpretati sunt, dicentes, *quod revera pedetentim procederetur*, *quando intra quemque pedem seu passum totum seculum praeteriret*. Verum homines probi & pii, quibus cognita erat Hadriani sinceritas, antequam Papa & tantum Episcopus & Cardinalis esset, & optimum ejus propositum, quod ex omnibus ejus operibus & verbis aperte apparebat, omnia in bonam partem accipiebant, nulli dubitantes, quin sincera & ingenua esset ea confessio. Sibi persuadebant etiam, eum citius quam promiserat, emendationem procuraturum. Petebat etiam ab Erasmo, quem quam amicissime & magnis promissis ad se invitabat, ut quam citissime & nemine conscio, consilium suum ad sedandas Lutheranorum turbas secum communicaret. Erasmus vero excusabat senectutem & valetudinem adversam, ne iter susciperet Romam, etiam ideo quod malevoli magis sinistre ejus facta interpretarentur, si Romam peteret, quam si Basileae maneret. Caeterum Erasmus ter mentem suam ad adimendas Ecclesiasticas difficultates literis significavit, quibus Hadrianus nihil respondit, aut ejus Batavam ingenuitatem male tulit; candide enim ipsi indicaverat: *malum hoc latius serpsisse*, *quam ut sectione aut ustione sanari possit. Fatebatur olim apud Anglos Regum potentia oppressam esse factionem Wiclevitarum*, *sed oppressam verius quam extinctam. Et tamen quod tum in eo regno licuit*, *quod totum ab unius nutu pendet*, *nesciebat an hic liceret in tam vasta regione*, *inque tot Principes dissecta. Certe si staret sententia carceribus*, *flagris*, *confiscationibus*, *exiliis*, *censuris*, *mortibus obruere hoc malum*, *nihil opus esse*, scribebat, *ejus consilio*; *verum videbat ejus mansuetissimae naturae diversum placere consilium*, *qui mederi malebat*, *quam punire.*

runt. Hist. Concil. Trident. ibid. pag. xxvi.

Alii sinistre interpretantur. P. Servita ibid. pag. xxvi. xxvii

Ibid. pag. xxvii.

Ibid. pag. xxvii. Edit. Gal. p. xxxiv.

Papa Adrianus mandat Erasmo, ut consilium suum ad sedandas seditiones Ecclesiasticas scripto consignet. Erasm. Epist. p. mcciv. ibid. pag. dcclxxxvii.

Ibid. pag. mcxvi.

Ibid. pag. mccclxxxvii. f.

Ibid. pag. dcclxxxvii. f. g.

*nire. Id erat non admodum difficile, si omnibus adesset idem animus, qui ei, ut* (uti in sua Epistola scripserat) *sepositis privatis affectibus, sinceriter consultum vellent gloriae Christi, & saluti populi Christiani. Quod si suo quisque commodo privatim intentus sit, si Theologi suam auctoritatem undique sartam tectam haberi postulent, si Monachi suis commodis nihil patiantur decedere, si Principes omne suum jus mordicus retineant, difficillimum foret in commune consulere. Primum erit explorare fontes, unde hoc malum toties repullulat, his ante omnia medendum. Tum autem non inutile foret, si rursus ostendatur impunitas his, qui ex persuasione aut impulsu alieno errarunt, vel potius omnium malorum superiorum* ἀμνεστία, *quae fato quodam accidisse videntur. Interim per magistratus coerceri debebant novitates, quae minimum faciunt ad pietatem, plurimum ad seditionem.* Talia vero consilia agitare & moliri, & simul Papam esse diu durare nequibat, prout tempora tunc ferebant. Neque duos annos sedit, & post mortem tumebat admodum facies ejus, quod multi veneno, alii calori & halitibus hominum, ad ejus, tanquam ad sancti cujusdam cadaveris, adspectum accurrentium, adscribebant. *Si*, scribit Erasmus, *ipsi licuisset per decem annos in Petri cathedra sedere, nisi fallor, urbem Romam meliorem reddidisset.* Verum Romana Curia, juxta judicium Pauli Servitae, tali Papa omnino indigna erat. Defunctus est XIII. Septembris MDXXIII. Lectu dignum est ejus Epitaphium:

Vid. Adriani Epist. lib. XXIII. Erasm. Epist. pag. MCCIV. f.

Hooft Histor. Medic. p. LIX.

In Epist. p. MCCCCLXXXVII. vid. Jov. vit. Adr. VI. pag. CXXVII. T. Swingeri Theat. p. 3088. Epist. Eccl. p. CCLXIX. In Hist. Conc. Trid. I. XXVII.

HADRIANUS SITUS HIC EST, QUI
NIHIL SIBI INFELICIUS IN VITA,
QUAM QUOD IMPERARET, DUXIT.

FREHERUS

# FREHERUS
IN
# THEATRO VIRORUM ERUDITIONE CLARORUM

Part. I. Sect. I. pag. IV.

HADRIANUS VI. Pontifex Maximus, Parentis nomine, gentis Batavae more, cognominatus *Adrianus Florisius* sive *Florentius*, Ultrajecti natus est anno Christi MCCCCLIX. ubi pater ejus, ut quidam scripsere, textrinam exercuit pannorum. Cum Theologorum apud Lovanienses Collegii alumnus fuisset, & sacris se consecrasset, eos in virtute & doctrina progressus fecit, ut tractu temporis Basilicae D. Petri Decanus, & Academiae Cancellarius omnium suffragiis renuntiaretur.

Anno MDVI. cum Philippus Hispaniarum Princeps mortuus esset, relicto filio sexenni Carolo, huic avus Imp. Maximilianus Praeceptorem daturus, hunc *Adrianum* prae aliis elegit. Cum autem Carolus non tantum temporis & operae literis perdiscendis, quantum equorum & armorum studiis, impendisset, vix tantum didicit, ut latine loquentes intelligeret. Imperator postea factus Carolus, cum Genuae Oratorem quendam audivisset, nec plene satis percepisset, ingenue fassus est, dare se nunc puerilis incuriae poenas, & *Hadrianum* praeceptorem vatem sibi poenitentiae hujus fuisse.

In Hispaniam postmodum ad Ferdinandum Catholicum Regem amplo Legationis munere *Hadrianus* missus, virtutis ergo Dertusanus in Catalaunia Episcopus, exinde a S. P. Leone X. anno MDXVII. Cardinalis cum aliis triginta creatus est, & tandem toti Hispaniae cum imperio a grato discipulo praefectus. IX. Januarii ann. MDXXII. post mortem Leonis X. Caesare Carolo V. urgente, absens (raro & inusitato exemplo) Pontifex Maximus XXXIX Patrum Purpuratorum suffragiis creatus est. Tunc Lovanienses honoris ergo Trophaeum erexerunt, sequenti addita inscriptione aurea: *Trajectum plantavit: Lovanium rigavit: Caesar incrementum dedit.* Adscripsit autem quidam: *Hic Deus nihil fecit.*

Ob vitam frugalem parum placuit Romanis. In conferendis sacerdotiis

tiis perquam parcus fuit, quod nullis ea, nisi idoneis & doctis, danda judicaret.

Saepius conquestus esse fertur, miseram esse Pontificum conditionem, ut quibus recte faciendi facultas desit, etiam cum maxime velint, & in id diligentiam impendant.

Symboli loco usurpavit Virgam Aaronis florentem, & amigdali flores proferentem, cum hac inscriptione: *Insperata floruit.*

Quo pacto ad familiae suae cognomen alludere, seque, praeter suam aliorumque spem, ad tantum repente fastigium fuisse evectum, docere voluit, teste D. Joachimo Camerario Embl. LII. Centur. I.

Aedes suas Lovanii in celebre Theologorum Collegium, Pontificium inde dictum, convertit, quod tamen prius ex bonis ante Pontificatum acquisitis dotaverat.

Poëtae cuidam impudenti, versibus plurimis subinde *Hadrianum* molestanti, sequens distichon reposuit:

*Desine pro numeris nummos sperare Poëta,*
*Carmina si dederis, carmina reddidero.*

Ad haec Poëta extemplo:

*Ni tibi pro numeris nummos fortuna dedisset,*
*Non esset capiti tanta corona tuo.*

Ex Hispania Romam petentem *Adrianum* Salomonius JCtus, & Eques Romanus, cum magnifica gratitudine exciperet, osculoque pedes (more solito) peteret, inter alia in haec *Hadrianus* prorupit verba: *Princeps, qui supra Principalem gloriam, subditorumque salutem, alia petit, non Princeps, sed Tyrannus existit. Pauco ego cibo & potu ventriculum saturare, vestibusque tenuioribus corpus tegere didici, reliqua omnia, quanta etiam sint, in usum totius Christiani gregis erunt transferenda.*

Altero mox Pontificatus anno post Christum natum MDXXIII. aetatis LXIV. rebus humanis exemptus non sine veneni clam oblati suspicione. Jacuit primum in Vaticano duos inter *Pios* II. & III. post ad S. Mariam de Anima augusto mausoleo a Guielmo Enkefortio Brabanto, quem unicum creavit Cardinalem, conditus est hoc Elogio.

HADRIANUS VI. PONT. MAX. ETC.

Tranquillus Molossus hoc ei scripsit epitaphium.

*Quod bonus & recti.* [1] Etc.

1 *Etc.*] Porro recitat ejus scripta, & confundit eum cum *Hadriano Cornetano.*

JOANNES

# JOANN. ANDR. QUENSTEDIUS

DE

PATRIIS ILLUSTRIUM

VIRORUM

Pag. CXXIV.

TRAJECTUM. Prima haec adſpexit incunabula ADRIANI VI. Pontificis Romani, Caroli V. primum praeceptoris: qui nomen ſuum, ad Pontificatum ex humili loco & pauperrima domo aſcendens, non mutavit, ſed retinuit. Natione inquam Trajectenſis fuit, [1] quanquam cognomento *Florentinus.* Mortuo hoc inter caetera poſitum eſt Epitaphium: *Hadrianus* VI. *heic ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret.* Scripſit disputationes in IV. *Sententiarum.*

# OLEARIUS

IN

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM

ECCLESIASTICORUM

Tom. I. pag. CCCXVI.

HADRIANUS VI. Pontifex Romanus, patria Ultrajectinus, patre vero Florentio, ſericeorum pannorum textore natus, Caroli V. praece-



1 *Quanquam cognomento Florentinus.*] Non *Hadrianus Florentinus*, ſed *Hadrianus Florentii* dictus fuit, ut jam ad Moringum cap. I. vidimus. Et ignoraſſe videtur Quenſtedius, quare ita cognominatus fuit. Et mille tales errores quotidie obſervamus in ſcriptoribus illis, qui nobis vitas & fata virorum eruditorum narrant. Studium illud nobis ſummo in pretio habetur, & ſumma cum voluptate libros illos perluſtramus, dolemus tamen quod tam parum eis fidere poſſimus, & quod non majore cognitione fatorum & ſcriptorum eorum, quorum vitas deſcribant, imbuti ſint, antequam ſe operibus talibus accingant. Et varios tales errores in Quenſtedio obſervavimus, qui & notatur a Labbaeo in Biblioth. Biblioth. pag. m. CXXVI. quod nimio partium ſtudio abductus, nimis inclementer ſaepe invehit in Pontificios ſcriptores.

praeceptor, Lovanienſis Academiae Cancellarius, hinc Dertuſanus Epiſcopus, inde Cardinalis, tandemque poſt Leonem x. Pontifex, teſtibus *Panvinio*, [1] *Platina*, *Petro Suavi* & aliis. Praefuit Romae unico ſaltem anno MDXXII. ad MDXXIII. etiam ſepulchrali ſaxo teſtatus, *nil infelicius, quam quod imperaſſet, in vita ſibi contigiſſe.* Vid. Labbeus tom. I. p. CCCCXVI. Ejus ſunt *Quaeſtiones Quodlibeticae* XII. Lovanii MDXV. VIII. Pariſ. MDXVI. fol. & MDXXXI. excuſae. *Diſputationes in quartum librum Sententiarum* Pariſ. MDXII. MDXVI. MDXXVIII. fol. Romae MDXXII. Lugd. MDXLVI. VIII. *Sermo paneriticus in computum hominis Chriſtiani agonizantis* Romae MDXII. Alius *de ſuperbia.* Antverpiae MDXX. *Inſtructio ad Franciscum Cheregatum, Episcopum Interamnenſem* Colon. MDXXXV. *Legatio ad Conventum Nurenburgenſem*, Witebergae MDXXXVIII. VIII. *Epiſtolae ad varios* Coloniae MDXXXV. & alia de quibus fuſe dixit [2] Lud. Jacob Biblioth. Pontific. p. CVII. Adde [3] *librum de ſermone latino & modis latine loquendi*, quem ad Carolum V. ſcripſit editum Coloniae MDXLIII. &c.

# JOANN. CHILIAN. ECCARDUS

IN

## DISSERTATIONE

### HISTORICO-THEOLOGICA

DE

Pontificibus Romanis, qui Reformationem Eccleſiae fruſtra tentarunt

Pag. XXIX. & ſeqq.

Majori induſtria conſiderationem noſtram in HADRIANUM, hujus nominis inter Episcopos Romanos SEXTUM, intendamus. Eo enim major, ut de illo paulisper circumſpiciamus, efflagitat neceſſitas, quo longiori intervallo ceteros Pontificum in reformationis conſiliis poſt ſe reliquit

1 *Platina.*] Inſigniter hic errat Olearius; Platina enim jam diu obierat.

2 *Lud.*] Non *Lud. Jacob*, ſed *Jacob. a S. Carolo.*

3 *Librum.*] Confundit noſtrum Hadrianum quoque cum Hadriano Cornetano.

reliquit. Natus eſt HADRIANUS noſter Trajecti, adeo obſcuris initiis, ut cum cognomine careret, illius loco proprium parentis nomen *Florentii* aſſumſerit, prouti narrat Pallavicinus lib. II. Hiſtor. Concil. Trident. cap. II. pag. XLIX. ex Jovio in vita hujus Pontificis; quanquam id inde probari neget Seckendorff Hiſtor. Luther. §. CXL. Humilitatem vero generis ingenii alacritate compenſavit Numinis benignitas. Literarum non minus laude, adverſante licet fortuna, plurimos tunc temporis facile ſuperavit. Verum etiam pietatis ac morum praeſtantia ſumme erat jam tum ſpectabilis. Quam quoque ob cauſſam officiis publicis praeter ſpem praefectus eſt; informationi ſcilicet CAROLI poſtea QUINTI cognominati, legationi in Hispaniam, atque purpura Cardinalitia cohoneſtatus, adminiſtrationi totius Hispaniae. Virtutis enim doctrinaeque fama de illo eum in modum percrebuerat, ut ejus probitas, moderatio, judicii excellentia, ſcripta paſſim per totam Germaniam celebrarentur. Diſſidentibus itaque mortuo LEONE X. inter ſe Cardinalibus, ultimo, qui maximo alias in hoc collegio amicorum numero gaudebat Mediceus, precibus quorundam ceſſit, ac cum iisdem virum, aetate ac meritis cunctis acceptum, eligendum exiſtimavit; ne vacua diutius ſede Romana, Eccleſia ſine capite quicquam detrimenti pateretur tam difficili tempore. *Conſcientiae monitu ſe ſollicitari*, profitetur Cardinalis apud Sfortiam Pallavicinum in vera Concilii Tridentini Hiſtoria lib. II. cap. II. §. I. pag. XLVIII. *ut eum proveheret, qui probitate, doctrina, ſtudioque pietatis idoneus eſſet ad recentem Chriſtiani populi contagionem opera exemploque curandam.* Neque fefellit eosdem ſpes & opera, ſi prius quod in futuro Pontifice exoptabant, ſpectes, neque etiam quoad alterum, ſolummodo pro recenti inveterata papalis contagio ſubſtituatur. Suffragiis etenim Cardinalis hujus & aſſeclarum ejusdem HADRIANUS ad culmen dignitatis papalis, quamquam invitus & recuſans, eſt evectus. Qui omnino talis erat, qualem deperditus Chriſtianorum ſtatus exſpectabat. Intellectus, quas poſſederit dotes, quibusve mentis viribus fuerit praeditus, quae jam diximus, aperte teſtantur. Sane tam arduis, & quae magnam mentis vim requirebant, muneribus, nunquam illum praepoſuiſſent, ſi hebetiore tardioreque ingenio, quas partes illi traditas fuiſſe videmus, adminiſtraſſet. Ex his negotiis conſiliisve, quorum haud brevi tempore particeps reddebatur, prudentiam, regnandique ſapientiam prope ſingularem & egregiam collegerat. De probitate ejus ac ingenuitate, quae ſolius Numinis laudes, ſola proximi commoda, unicam animae curam ſuos ante oculos cogitationesque collocat, non eſt quod quaeramus. Omnium coaetaneorum confeſſio,

gesta

gesta inculpatissima, testes ejusdem sunt, quorum fidem in dubium vocare frustra anniteris. Idem elucescit ex illis, quae adfert Chytraeus in Saxonia ad ann. MDXXIII. adde Pallavicinum lib. VII. No. VI, VIII & IX. Imprimis, quae Theologorum est, moderatio, animique aequitas, quae insimul quicquid adest proprii honoris ac cupiditatum, procul exulare jubet, vita factisque HADRIANI quasi vivis coloribus effingitur. Quare bellum improbans, *Lutherum piis rationibus ad sanitatem reducendum* opinatur, antequam ad vehementiora accederit media; maximopere adseverans: *se natura & moribus & vitae quodam instituto magis ad clementiam quam ad severitatem inclinare.* Quae verba ipsius sunt in Epistola ad Principes Norimbergae congregatos, quam Sleidanus recenset lib. II. pag. LXXV. & seqq. Subjicienda hisce erit valde laudabilis simplicitas atque integritas, quam patriae suae debebat, quaeque a simulationibus, insidiosis artificiis, ac occultis machinationibus Italicae nationis, prorsus abhorrebat. Pallavicinus lib. I. cap. II. §. XVII. Certe ut apertum & simplicem, ita sincerum fraudisque & fallaciarum expertem eundem nunquam non fuisse, quae infra discutienda sunt, sufficienter declarabunt. Tantae virtutis cum esset HADRIANUS, cujus adhuc multa & illustria exempla expromere possemus, nisi ex illis, quae enarravimus, hoc jam abunde constaret, minime mirum, plurimis, iisque solutioris vitae, Italis electionem ejus *magno fuisse moerori, vel ideo, quod immodicas morum correctiones sibi metuerent; cum virtutem severiorem multitudo quidem veneretur, raro ad imperium extollat*, juxta judicium Pallavicini lib. II. cap. III. §. I. Quae hactenus de hocce Pontifice commentati sumus, non eum in finem attulimus, ut vitae ejusdem omnibus numeris absolutam descriptionem institueremus, sed ut ea, quae sequuntur, lumen hinc aliquod mutuare possint, utque signis omni luce clarioribus adpareat, quibusnam viribus, quaque intentione usus sit, cum antiquas Ecclesiae labes graviter delendas decerneret. Quod tamen ut eo intelligatur melius, intuenda prius sunt, quaenam aliquibus obstent atque officiant, quominus HADRIANI elogiis, & nobis hac in re assentire queant. Aliis quidem, quae passim in literis illius & instructionibus Legatorum, nimis dura & acerba in beatum LUTHERUM, ejusque coelestem doctrinam prolata sunt, moderatae sinceritati refragari videntur. Excusationem vero quandam partim admittunt, prouti ipse B. LUTHERUS eum tunc Cardinalem in simili fere negotio excusatum habuit, testante illustri Seckendorfio in Historia Lutheranismi §. LXX. pag. CLIX. Omnibus enim sordibus, imprimis quae doctrinae adhaerebant, eum prorsus liberatum fuisse, dici nequit. Magni errores & praejudica-

judicatae opiniones intellectum ipsius adhuc obscurarunt, quo minus veritates divinae a LUTHERO disseminatae penitus radices in animo illius agere potuerint. Ea propter rigidius interdum, quam par erat, de Euangelio pronuntiat, ac omni cura restinguendum esse arbitratur commune illud & domesticum incendium. *Hoc non solum pertinere ad eluendam illam maculam, quae nunc Germaniae inhaereat, sed etiam ad plurimorum salutem, quae ex illius contagione multum accipiat incommodi.* Conf. Sleidanus loco citato lib. III. pag. LXXVII. & Petrus Suavis Polanus in Histor. Concil. Trident. pag. XXXI. Neque nihil loci huic in Euangelicos odio dedit falsus de hac doctrina rumor & perversissimae relationes, quae illum, forte dum in Hispania adhuc viveret, omni in LUTHERUM amore privarunt. Cujus exemplum praebet, quod non una vice Principes ad Protestantes extinguendos cohortetur, addita ratione, LUTHERUM persuadere Christianis, illos ad obedientiam magistratui nullis legibus esse devinctos, atque sub specie libertatis conari leges omnes & observantiam magistratus e medio tollere, similiaque, quae imprimis leguntur in Sleidani lib. IV. pag. LXXXI. nec non lib. III. pag. LXXVII. cum tamen certissimum sit, LUTHERUM imperantium jura contra impiam & tyrannicam potestatem Ecclesiasticam, quibus valuit viribus, propugnasse, & pristinae ac genuinae conditioni restituisse, cujus haud minimi momenti commoda in hunc usque diem percipiuntur. Accedit quoque, quod ea, quae iniquius ab HADRIANO in nostram veritatem dicta reperimus, in illis potissimum contineantur Epistolis & institutionibus, quae scriptae sunt, cum spem insignis emendationis ob impedimenta a Cardinalibus ita exaggerata, ferme abjecisset. Alii alia conquirunt, quo facilius pietatis & sincerae fidei laudem illi denegent. Verum haec eo minori assensu excipere possumus, quo magis rejiciendum illorum institutum censemus, qui undiquaque corradunt, quibus hominibus opinione & doctrina a se discrepantibus etiam pessime transactae vitae maculam inurant, quibus veritatem, quam defendunt tamen, suspectam faciunt. Nonnulla hunc in finem attulit *Wolfius* in *Lectionibus Memorabilibus* tom. II. pag. CXCIX. atque specimina satis luculenta arbitratur, quae celebratae probitati HADRIANI Pontificis opponantur; quae tamen firmo fundamento plane destitui, quivis sine ambagibus intelligit. *Sfortias Pallavicinus* autem, cum toti proposito hujus Episcopi repugnet, contra laudatas virtutes quoque quaedam, quae proferat, habet. Prudentiam circumspectionemque in illo desiderat *lib.* II. *cap.* VII. *num.* IX. *& seqq.* cujus quia gradu eminentiori praeditus esse debeat tantus Episcopus, HADRIANUM *fuisse optimum quidem sacerdo-*

*tem, sed Pontificem re ipsa mediocrem*, pronuntiare non erubescit *cap.* IX. *num.* I. Percensitis enim mandatis Nuncio Cheregato ad illa Principibus Germaniae proponenda praescriptis, nimis ingenua eadem, Ecclesiaeque suae perniciosiora suspicatur, quam ut, quantopere sibi displiceant, prodere praetermittat. Ad confessionem criminum LEONIS X. & quod virtus & doctrina eo vivente jacuerit, nimiam illum credulitatem adduxisse, quam assentationibus aulicorum, per vituperationem Pontificis recenter defuncti se insinuare cupientium, praebuerit. Sed quis quaeso *Pallavicino* dixit, huncque confessionis illius fuisse fontem? Adeone historiae suae aetatis & depopulationis vastitatisque in Ecclesia DEI imperitus erat noster, ut illa ab aulicis demum addiscenda ipsi fuerit? Ardorem insuper justo vehementiorem, acerbam illam proxime praecedentium Pontificum reprehensionem, appellitat. Tametsi enim *illi* pietate ipsimet HADRIANO impares fuerint, praestitisse tamen prudentia, Ecclesiae saluti multo utiliori. Mediocrem namque probitatem cum eximia prudentia conjunctam regimini sacro melius praeesse, quam sanctimoniam modicae prudentiae compotem. Verum uti prudentia, quacum nulla connexa est sanctitas, impietas potius est, eademque Ecclesiae plane inutilis, immo admodum periculosa, ita quare illum hac in causa reprehendat, non perspicimus. Ut vera & certa supponit, in quibus idem cum illo non sentiendum. *Praeterea*, pergit, *etiamsi Pontifex ea sensa in animo haberet; liberioris tamen, quam par erat, sinceritatis visum est, ea conventui patefacere, & vel ab ipso, vel ab ejus Nuntio scripto proponi. Satis noverat in eo coetu multoque magis in universa Germania, cui mandata Nuntio injuncta divulganda erant, complures esse Romanae fidei adversarios, qui libenter acceptaturi essent eam confessionem dimidiatam, ut contigit, hoc est, quatenus Romanos Pontifices accusabat, non qua Lutherum damnabat.* Hoc idem esse ac arma cum hoste communicare. Haec origo gravaminum *Pallavicini.* Pudet Romanenses propriae turpitudinis ab infallibili, uti sentiunt, eorum capite patefactae. Agnoscere & profiteri sua vitia, praecipue si necessitas illud suadeat, non est imprudentis, sed ea celare velle. Existimatio item quorundam Pontificum defunctorum & cleri Romani, quae per illa laedebatur, tanti non erat momenti, quanti salus hominum innumerabilium, qui sincera illa & non fucata professione ad cognitionem perniciei suae venire poterant. *Postremo*, uti putat Pallavicinus, *aberravit nonnihil HADRIANUS ab officio perfectae prudentiae, in exquirendo consilio a singulis ad quos scripserat. Satis erat, si Nuntius per se audita singulorum consilia Pontifici significaret, nulla illi injecta palam necessitate ea*

per

*per se ipsum excipiendi.* Porro: *Sed magis adhuc ille reprehensus, quod mandata conventui communicaverit, ac proinde omnium simul sententias exquisiverit.* Ipse vero alibi, uti cognovimus, prudentissimum circumspectissimumque Episcopum HADRIANUM fuisse fatetur. Haec proinde, quae inconsulti & praecipitis hominis actiones ipsi sunt, justitia & prudentia potius mandabant. Principes etenim religionis causa erant congregati, ipsorum intererat, quae Rempublicam, quae Ecclesiam conturbabant cognoscere & abolere, omnibus adhibitis mediis, quae congrua tranquillitati publicae judicarent. Ipsi magna, imo maxima, facultate pollebant, proposito Pontificis Ecclesiaeque inserviendi, quibus adjutoribus caruisset, si solus ruinae subvenire destinasset. Zelum suum hoc ipsum testatum fecit, atque in communem quietem Ordines convocatos allicere voluit. Illum apud Onuphrium in vita hujus Pontificis, quae in *Chronico* ejus *Pontificum* continetur, qui nostrum *in Republica administranda hebetis ingenii & depravati judicii fuisse*, calumniatur, aliosve, qui illius probitati insultarunt, non curamus. Nihil enim frequentius evenire solet, quam ut illos, qui receptas & acceptas consuetudines improbant, si non re, verbis tamen persequantur ceteri, ut si vitae innocentiam jungant, insipidorum & inconsideratorum nomina, & propinquas iisdem accusationes effugere nequeant.

Priusquam ulterius progrediamur, ordo seriesque rerum ad Christianorum prosperitatem ab HADRIANO gestarum breviter est praemittenda; ne, annorum ordine deinceps relicto, confusio quaedam suboriri videatur. Simulac igitur in defuncti LEONIS locum Pontifex circa initium anni MDXXII. esset designatus, omnem, quantam potuit, ad trajiciendum in Italiam adhibuit festinationem, quam tamen Provinciam ante finem mensis Augusti non attigit. Adveniens studium componendi dissidii religionis in Germania reliquis negotiis praetulit, primamque occasionem, quam instans Conventus Norimbergensis suppeditabat, arripuit, quae secum constituerat, proponendi. Ut vero in fidem rediret, quae ob antecessorum facta pene conciderat, nec ludicra ac inania Pontificum promissa amplius reputarentur, specimen reformationis instituendae in illis, quae scaturigo dissidiorum religionis erant, corruptelis edere voluit, antequam ad ipsam cum LUTHERANIS tractationem accederet. Romam propterea probitate & scientia admodum spectabiles viros [1] Johannem Petrum Caraffam, Archiepiscopum Chietanum, & Marcellum Cazelem Cajetanum evocavit; quibus medelam corruptionum excogitantibus, profusa indulgentiarum vastitas se inter sananda omnium prima obtulit. Quarum abolitionem tamen Cajetanus, & Puccius Cardi-nalis,

1 *Johannem Petrum &c.*] Vid. supra ad Jovii c. XVI

nalis, summus hujus Pontificis Poenitentiarius, [1] ita dissuaserunt, meliora quamvis edocti, ut HADRIANUS cum difficultatibus, quas fingebant, diu conflictatus, anxius usque ad Novembris mensem haereret. Nondum tamen plenariam spem abjecerat insigni quodam conamine, animi sui propensionem sinceram testatam faciendi, priusquam se Germaniae rebus immisceret. Veruntamen Cardinalis Franciscus Soderinus Praenestinus suspensum ac vacillantem Pontificem ab hujusmodi consiliis callide & graviter dehortatus est. Animum hinc vero totum despondet, ac quicquid supererat spei, in legatione in Germaniam destinata ponit. Legationi huic praeficitur Franciscus Cheregatus, Episcopus Aprutensis, qui exitu ejusdem anni Norimbergam pervenit, ubi Ordines Imperii belli Turcici non minus, quam religionis causa convenerant. Huic conventui literas Pontificis, & etiam instructionem suam tradit, quae imprimis ob ingenuam corruptionum agnitionem valde est notabilis. Ordines his literis respondent, ac imprimis liberi in Germania Concilii celebrationem deposcunt. Ad quae Nuncius Papalis talia regerit, quae Principibus minime grata esse potuerunt. Unde orta *centum* illa *gravamina*, in quibus ipsi Ordines, quid a Pontifice, quid ab Episcopis praestari velint, indicant. Acta haec hujus conventus, postquam publicata essent, quisque in suas partes traxit, unde vehementiores controversiae initium sumserunt. Conventu vero dimisso, & Nuncio Norimberga reverso, mense Septembri anno MDXXIII. HADRIANUS ex hac vita discessit. Quae omnia prolixa commentatione dignati sunt Paulus Sarpius *Historiae Concilii Tridentini lib.* I. *pag.* XXXI. *& seqq.* Sfortias Pallavicinus *in vera Concilii Tridentini historia Sarpio opposita lib.* II. *pag.* XLVIII. *& seqq.* & Joannes Sleidanus *Commentariorum de statu religionis & Reipublicae lib.* III. *&* IV. Nunc quaenam instigarint huncce Episcopum, ut qua totam Ecclesiam Christianam pervaserat calamitosae tempestati pestique, convenientia & maxime apta remedia applicare inceperit, specialius pertractanda. Pontificiae partis hominibus quidem suae suadent praejudicatae opiniones, culpare in HADRIANO hancce reformandi voluntatem, quam liberiori, quam par erat, sinceritati simplicitatique tribuere malunt, quam concedere infestum ac inveteratum Ecclesiae exitium eundem ad hanc rem impulisse. Contrarium autem manifestant ea, quae nec ipse Pallavicinus, quantam adhibeat diligentiam, convellere potuit. Quod ad *indulgentias* attinet, Pontifex hicce antequam LEONI succedebat, & beati LUTHERI fama ad aures ipsius pervenerat, saniora paululum de illis in scriptis suis docuerat, licet non omnino adprobanda. Nam HADRIANUS eundem se

1 *Ita dissuaserunt.*] Vid. supra p. LXXIII.

ſe exemplo praebere inſtituit, qualem Pontificem eſſe debere ſcriptis ſuis antea docuerat. Docuit autem teſte Launojo part. IV. Epiſt. VII. cujus inſcriptio: *Hadrianus defenditur adverſus Pallavicinum & alios aulae ſectatores, qui Hadrianum ad regendam ſedem Apoſtolicam minus idoneum fuiſſe calumniantur*, Clericis, adeoque Pontifici, de bonis Eccleſiae nihil praeter victum & veſtitum ſumendum eſſe; qua in re Pontifex factus exemplo ceteris praeivit. Cum Theologus Lovanienſis adhuc eſſet, tradiderat eandem, quam nunc de *indulgentiis* promulgare voluiſſe diximus: nempe non omnem Apoſtolicam diſpenſationem ſuper pluralitate beneficiorum, hominem facere tutum & ſecurum in foro conſcientiae. Cumque melius adhuc Cajetanus Cardinalis ſe explicaret, ſententiam ejus arripere non dubitavit, utpote quae commodius adhuc enormibus vitiis cum doctrina illa unitis, obviam ibat. Quae ſatis luculenter monſtrant, non repentina quadam voluntate illum in hanc ſententiam incidiſſe, turpes *indulgentias*, aliaque eſſe extirpanda; ſed ea tantummodo abolere periclitatum eſſe, quorum adprobationem veritas, atque ad eam introſpiciendam ſublime ejusdem ingenium longo jam abhinc tempore reſpuebat. Quanto dolore non angebatur Episcopus tantis difficultatibus *indulgentiarum* abolitionem involutam ſentiens, qui longe adhuc plurimorum abuſuum reformationem, quos deinceps indicabimus, animo deſignaverat? Ante legationem ad Comitia Norimbergenſia inſtituendam cum nihil a ſe praeſtari poſſe cerneret, promiſſis tamen ſuis ut fidem haberet ſupererat. *Quibus* quippe *ſtare procul dubio decreverat, etiamſi univerſum dominium ſuum temporale illi foret amittendum, aut Apoſtolicae vitae exemplo ad ultimam inopiam revertendum.* Sarpius lib. I. pag. XXXIX. Ita ſcilicet de ſumma neceſſitate ejus, quod moliebatur, negotii erat convictus, ut omnes, quo illud perficiat, movere lapides, neglectis conſultationibus Cardinalium, quae HADRIANO illud impoſſibile fere reddiderant, nihiloſecius ſui officii duxerit. Quae in ipſo mandato Legati audiuntur, ingenuae ob corruptelas Pontificias lamentationes idem arguunt. Convocatio vero Imperii Ordinum valde querebatur, non una vice pacta cum Pontificibus ſancita a ſede Apoſtolica fuiſſe violata; quare promiſſis ipſius merito diffidant. Pontifex, ad cujus aures talia perferebantur, ad liberandam fidem per Legatum illis declarat: *quod a ſuis majoribus factum ſit, ſe non poſſe praeſtare; ſed rationem illam uſitatam Romae ſibi tunc etiam, cum adhuc eſſet privatus, admodum diſplicuiſſe, & ſui jam dudum eſſe propoſiti ac voluntatis, etiamſi nullus interpellaſſet, emendare haec omnia &c.* vid. Sleidan. lib. IV. pag. LXXXIII. Quae verba, quo minus ſalva ſanctitate, Papali dignitati vulgo tributa,

 proferri

proferri possunt, eo dilucidius firmamentum reliquis adjungunt, illum fuisse persuasissimum falsa esse ac noxia, quae doctrinam Ecclesiamque multis jam seculis praeter verbum DEI, & primitivae Ecclesiae consuetudines infestarant, atque HADRIANUM potissimum iisdem esse compulsum, ut solerti animo evolveret, quae medelam illis afferre potuerunt.

Ejusdem tamen rei causa non minus praegnans extitit, quae omnium oculos mentesque hoc tempore in se convertebat B. LUTHERI tentamina, eorumque felicior progressus, obmurmurantibus licet plurimis. Ruinam illa minari videbantur toti machinae Ecclesiasticae, atque subvertere fundamenta auctoritatis Pontificiae, & utilitatis infinitorum hominum, quae invicem mirifice cohaerent. Probe noverat HADRIANUS anathematibus & decretis Imperatoriis LEONEM X. studia LUTHERI solummodo exacuisse & irritasse, ut reformationi in dies perfectiori operam suam navarit; ut hac ratione amplior eidem assentientium numerus, & majus Pontificiorum damnum evaserit. Meliori itaque methodo utendum, si quicquam contra LUTHERUM obtinere vellet, arbitrabatur. Quapropter *formam illam*, *quam in Romana tribunalia aulaeque mores introduci optabat*, *quamque unicum haeresis* ( Lutheri intelligit Euangelium ) *remedium futurum existimabat*, *triduo post suum in Urbem adventum in Senatu proposuit*, *ad eandem Patres magnopere cohortatus*. vid. Pallavicinum lib. 11. cap. 11. Adscitis hunc in finem duobus Episcopis, harum rerum scientia & probitate excellentibus, incepit aliqua emendare, persuasus hoc ipso, sublatis, quibus praecipue offendebantur Germani, abusibus, se non solum, qui Romanae auctoritati se subduxerant, ad eandem esse revocaturum, verum etiam LUTHERI dogmata facillime extincturum. Etenim doctrinam hanc adeo putabat rationis omnis expertem, & incongruam, ut neminem, nisi sensus inopem, ad eandem accessurum esse sibi imaginaretur. Quare nihil esse credebat facilius, quam placita solis utilitatis propriae fulcris suffulta convellere, & *corpus illud*, *quod invaletudinis potius opinione*, *quam sensu laboret*, *paucorum desideriis satisfaciendo*, *sanitati reddere*. Confer Sarpium lib. 1. pag. XXXII. Miramur sane tam firmam in erroribus persuasionem atque constantiam hominis alias in perscrutando vero nec inexercitati, neque hebetis. Scholasticorum tricis erat innutritus, atque in hujusmodi studiis more seculi sui diligenter versatus. Notum autem exploratumque est, illos conceptibus artificiosis saepe ac futilibus naturalem divinamque scientiam includere. Unde evenire solet, ut perabsurdas conclusiones tam solidas luculentasque existiment,

ment, ut vix credant quemquam ſanae mentis contrarium unquam aſſerturum. HADRIANUS igitur ad ea, quae repagulum Euangelicae doctrinae injicere poſſe opinabatur, in conſilium adhibuit Cardinales, quorum fecimus mentionem; atque quae univerſae reipublicae Chriſtianae Apoſtolicam ſedem, & ejus ubique terrarum diſperſos miniſtros, inviſos fecerant, quaeque item ipſe odio haud fucato perſequebatur, in medium protulit. Ea autem ratione, quam infra percipiemus, ſpe ſua fruſtratus, ſimilia nihilominus interprete Legato congregationi Norembergenſi propoſuit, Principes ſeptem levibus rationibus adverſus Lutheranos animando. vid. *Ibidem pag.* XLII. Quaenam originem porro LUTHERANISMO dederint ſine ſimulatione percenſens, addit: *Cui malo perſanando cum & ſuapte ſponte & officii debito incumbere debeat, navaturum operam quantam poterit diligentiſſimam; ut ante omnia Curia Romana, unde forſan tot mala ſunt derivata, corrigatur.* & ſic ulterius. Cauſam quoque quandam occultam, cur LUTHERANA haereſis ſit delenda, in literis ad Concilium Norimbergenſe prodit, dum *eo ſibi dolere magis*, ait, *quod ex nobilitate complures LUTHERO faveant, & nunc eo usque factam eſſe progreſſionem intelligat, ut Eccleſiaſticorum & dignitas per Germaniam imminuatur, & poſſeſſiones etiam in diſcrimen veniant.* Sleidanus lib. IV. pag. LXXVI. Quemadmodum vero inania haec & frivola ſunt, quibus niti & moveri tanto in opere minime opportebat; ita ponderanda ipſi utique erant illa, quibus Ordines tardiorem erga LUTHERUM proceſſum excuſabant. *Omnes enim ordines*, inquiunt, *graviſſime conqueri de Curia Romana, & plerosque LUTHERI concionibus atque libris ita nunc eſſe eruditos, ut ſi decretum adverſus illum valere debeat, fore, ut plurimi ſic interpretentur; quaſi eo fiat, ut oppreſſa veritate, extinctaque Euangelii luce, manifeſta vitia, quae diſſimulari diutius & tolerari non poſſunt, defendantur. &c.* loc. citat. pag. LXXXIV. Tacemus alia, quibus eadem innuuntur, B. LUTHERI ſcilicet doctrinam occaſionem propoſito HADRIANI porrexiſſe. Acceſſerunt tamen Imperatoris, Principum, atque totius fere Chriſtiani populi ſollicitationes ac poſtulata. Supervacaneum foret omnes illos enumerare velle, qui proximis reformationi temporibus eandem anxie deſiderarunt, quod vires noſtras & paginarum numerum excederet. Illis proinde non gratificari idem fuiſſet, ac Pontificio munere & officiis ſemet ipſum abdicare. Fatetur hoc Pontifex, dum poſt verba paulo ante allata ita pergit: *idque ſibi* (correctionem videlicet Romanae Eccleſiae) *eo vehementius elaborandum, quo avidius ab omnibus deſideretur.* prout ea recenſet Sarpius lib. I. pag. XXXII. Nullum quoque dubium

bium, quin metuerit illud, quod Principes minantur. Gravamina enim centum Pontifici propofituri orant illum: *quandoquidem haec nulla nitantur aequitate, neque diutius tolerari poffint, ut quamprimum aboleat, nam alioquin fore, ut ipfimet confilium fibi capiant, quemadmodum onus illud rejiciant, & priftinam libertatem recuperent.* Sleidanus lib. IV. pag. LXXXVII. Quae fine maximo Papalis jurisdictionis difcrimine fieri non poterant, adeoque omni opera ad illa impedienda erat incumbendum. Ac jam in praecedenti refponfione ad literas & inftructionem HADRIANI illum obteftati erant, ut illud, quod verbis & oratione promiferat, re ipfa praeftaret; fecus enim fi fecerit, nullam firmam atque diuturnam pacem conftitui poffe. Sleidanus lib. IV. pag. LXXXIV. Confilium quod ab ipfis petebat, quodque invicem ceperant, hocce illi aperiunt; videri fibi non aliam dari commodiorem viam omnia, quae ipfe faffus erat, fanandi, quam per piam liberamque fynodum, cujus convocatio ultra annum non dilatetur, expreffa tamen addita lege, ut omnes pariter, qui interfuerint, cujuslibet demum fint conditionis, jurejurando prius ad id obftringantur, quicquid gloriae Numinis, quicquid Reipublicae conftitutioni falutare arbitrarentur, absque diffimulatione & liberrime proferre. Ex quibus patet Ordines Imperii non ab omni cura religioni debita fuiffe alienos, & plus vice fimplici eandem quoque a Romanorum praefulibus, praecipue HADRIANO, poftulaffe.

Alium fontem & promiffae reformationis & integerrimae confeffionis, praeter eos, quos indicavimus, fuiffe fufpicatur Jo. Sleidanus loc. cit. p. LXXXIII. *Pontificum*, inquit, *hanc ferunt effe technam, quando confilium & notionem caufae tradere volunt & infringere, ut liberaliter & prolixe polliceantur; quo fpatium intercedat comparandi Regum gratias & tempore opportuno rem armis tentandi; promiffis enim animos hominum in fpem & expectationem erigunt, atque interim rationes ineunt retinendae fuae dignitatis atque potentiae, quam in difcrimen vocari fciunt per libera Concilia.* Quae obfervatio morem Pontificum quorundam egregie quidem detegit, nudatque, fed ad integritatis laudem illi detrahendam parum facit. Qui tamen animi candor, ab omnique fraude remota fimplicitas, quoad farta tectaque perfiftit, peffimae illae machinationes HADRIANI ingenio prorfus affignari nequeunt. Manifefta & confeffa res erat ingenuus ejus animus. Quam ob caufam non folum ad illum provocare folitus, vid. Sleidan. lib. III. pag. LXXVI. fed eodem quoque confifus, *fperabat totam nationem Germanicam ipfius pofitionibus aufculaturam, & auctoritatem fuftenturam; qui cum Germanus effet, tum animi adeo fincerus ac purus, ut technas ac fraudes inter agendum ab eo metuere*

*tuere nemo debeat.* ut Sarpius docet lib. I. pag. XXXVI. Hunc animum ingenuum nostri laudibus magnis extollit *Soderinus* in consultatione, quam conservavit Sarpius lib. I. pag. XXXVII. imo justos virtutis limites excedere putat Pallavicinus, uti supra intelleximus. Quid quod omnia ipsius gesta huc tandem tendant. Neque Sleidanus, ac quorum conjecturam adprobare videtur, talia cum hujus Pontificis sinceritate convenire asseruissent, si *Ephemeridum Francisci Cheregati* illis fuisset copia. Ex quibus cum *Paulus Sarpius* potiora depromserit, adversus ejusmodi accusationes tueri Pontificem merito potuit. Fecit hoc lib. I. pag. XLVIII. & XLIX. Proferant quosdam in medium, qui tam aperte & tam graviter, uti HADRIANUS fecit, erroribus suorum repugnaverint inter Pontifices. In paucis quibusdam dolorem ob errata Ecclesiastica simularunt aliqui, sed longe alia erat ratio, quemadmodum de CLEMENTE V. cognovimus. Ingenue igitur, quae protulit, & ex animo est professus; neque de salutaribus remediis morbi, minori, quam receperat, cura circumspexit.

Quae cum ita sint, operae pretium erit perspectum habere, quaenam illa fuerunt, quae ex intima mentis persuasione, a reliquis & veris doctrinis & consuetudinibus separanda existimaverit. Quoniam infallabilis Christianorum in terris praefectus, uti Pontificii auctores sunt, in rebus sacris a recta veritatis tramite declinare non potest. Non extendenda sunt haec molimina etiam ad ea, quae inter dogmata fidei complecti solemus, quamquam Papatus propugnatores pene omnia sua placita iisdem accenseant. Falsis enim hypothesibus se exsolvere ardui adhuc laboris & temporis fuisset opus. Qui cognitionem suam terminis & inutilibus disputationibus intricatam acceperunt, non quod verum discernentes, sed quod traditum avide arripientes, illis praejudicatae opiniones, in primis si longinquum temporis intervallum accedat, raro ad veritatem aditum concedunt. Quamobrem etiam B. LUTHERUS oblata HADRIANI de reformatione minime ad illa capita traxit, quae ipse primario tractabat; nempe ut plenaria verbi divini praedicandi libertas, & integer sacramentorum usus restitueretur, quod refert *Vitus Ludovicus a Seckendorf in Historia Lutheranismi, ejusque additamentis ad* §. CLIII. *pag.* CCCVIII. Nollemus tamen cum *Seckendorfio* loc. cit. §. CXL. p. CCCLXII. asserere, emendationem hanc *erumenis, quam animabus hominum utiliorem fuisse, si ad effectum esset producta.* Nam etiamsi nonnulla, quae commoda hominum respiciebant, in censum venerint, quae vel maxime Principes urgebant; alia tamen quoque in reformandorum classe comprehensa sunt, quae, utpote non infimi momenti doctrinae, faustissimis

Ecclesiae fatis viam sternere poterant, si optatum scopum attigissent. Ulterius progreditur *Pallavicini* audacia, qui subobscure ad morum correctionem Pontificis labores solummodo pertinuisse, non semel prodit, exempli gratia lib. II. cap. III. num. V. hac in re tamen sibi ipsi contradicens. Cujus rei cum non possint nos latere causae, ita nec ignota diutius erit falsitas, si rem paulo accuratius intueri non gravemur. Inter illa, quae speciminis loco, antequam ad rem ipsam progrederetur, primitivae conditioni restituenda putavit, inprimis fuerunt *indulgentiae;* in quibus eo ardentiori laboravit studio, quo liquidius constabat, profusa illa indulgentiarum vastitate ad nominis celebritatem primum LUTHERO ejusque sectatoribus, accessum esse patefactum. *Pallavicinus* omnes intendit vires, ut subtilitatibus suis ac sophismatibus jus indulgentiarum Pontificibus Romanis conservet. Proinde consilium Cajetani, ipsaque HADRIANI verba partim detorquet, partem vero in dubium vocat. Sed in illis, quae ex Cheregati Ephemeridibus adfert Paulus Sarpius lib. I. Historiae suae pag. XXXIII. contrarium dilucide deprehendimus. Eandem quoque sortem expertae fuissent permultae *prohibitiones* in materia *dispensationum matrimonialium*, quae multis interdicebant matrimonium, quaeque aut supervacaneae, aut observatu erant difficiles, maximaque cum molestia conjunctae. Ideo & abolendis *regressibus*, *accessibus*, *coadjutoriis* (uti appellant) aliisque modis in collatione beneficiorum observatis, incumbebat; quippe quibus *Simonia* aperte exercebatur. vid. Sarpius loc. cit. pag. XXXVI. & seqq. Hisce abrogandis fidem suam omnibus atque zelum probaturus erat, quo melius cetera, quae offensioni esse poterant, deinceps auferrentur. Qua in re cum falleretur, nunc non tam quae volebat, quam quae per consultores illos suos poterat, remedia pro Ecclesia expediebat. Attamen egregie nihilominus vitia illa retexit; licet eorum correctioni subdiffidere coepisset. In instructione Legato in convocatione Ordinum Francisco Cheregato tradita, congeriem abominationum ita enunciat: *Scimus in hac sancta sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum si aegritudo a capite in membra, a summis Pontificibus in alios inferiores Praelatos descenderit. Omnes nos* (id est Praelati Ecclesiastici) *declinavimus, unusquisque in vias suas. Quamobrem necesse est, ut omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas nostras ei: videat unusquisque nostrum unde ceciderit, & se potius quilibet judicet, quam a Deo in virga furoris judicari velit. Qua in re quod ad nos attinet, polliceberis, nos omnem operam adhibituros, ut primum Curia haec, unde forte*

te

*te omne hoc malum processit, reformetur, ut, sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet &c.* Invitum se & recusantem, sed metu Numinis divini, & praesenti rerum statu commotum, onus Pontificatus suscepisse, eo animo, ut sponsam Christi deformatam, Ecclesiam Catholicam reformaret, oppressis subveniret, doctos & *virtute praeditos, qui multo tempore neglecti jacuerint* (provisionibus Apostolicis ad histriones & stabularios delatis) *erigeret & ornaret, aliaque ageret, quae bonum Pontificem & legitimum Petri successorem agere oportet.* Postremo difficultatem propositi agnoscens, *quanquam*, inquit, *nemo mirari debebit, si non statim omnia errata & omnes abusus per nos emendatos viderit; inveteratus enim morbus est, nec simplex, sed & multiplex, pedetentim in ejus cura procedendum est, & prius gravioribus magisve periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformare volentes, omnia perturbemus.* Conf. Seckendorfius Hist. Luther. §. CXLII. pag. CCCLXVI. qui illa ex Goldasti *rationali constitutionum Imperialium* exhibet, & ex tom. II. Altenburg. fol. CCXXXVII. & seqq. Eadem quidem Sleidanus lib. IV. pag. LXXXII. Sarpius lib. I. pag. XLII. Pallavicinus lib. II. cap. VII. num. VI. sed verbis propriis & paululum mitigatis recensent. Quo melius haec abyssum corruptionum papalium pandunt atque describunt, eo illa minori adprobatione *Pallavicinus*, jam in superioribus idcirco a nobis refutatus, non poterat non excipere. Convocatis ex adverso ordinibus, in responsione ad Legati propositiones ea maxime jucunda accidisse legimus. Dilutis enim rationibus, quibus eosdem contra LUTHERANOS incitabat Pontifex, *negari non posse*, ajunt, *ac ipsum quoque liberaliter fateri, multa perperam ac vitiose Romae fieri, cum maximo reliquarum gentium ac Provinciarum incommodo, nec absque detrimento religionis. Quod ergo non dissimulet, neque morbos excuset Romanae Curiae, quod emendationem quoque promittat, & omnibus ex aequo jus redditurum esse confirmet, summam id laudationem mereri,* & sic ulterius, vid. Sleidan. lib. IV. pag. LXXXIV. Ex quibus omnibus quaenam & quanta reformaturus esset, colligere & inferre non ita multo labore valemus. Sigillatim tamen multa ex postulatis Congregationis Norimbergicae addiscuntur. Hanc enim consulebat HADRIANUS, ut quicquid haberet consilii ad tranquillitatem in Ecclesia reducendam suppeditarent. Propterea nullum restat dubium, quod ea quoque, quae Ordines proposuerunt, & ipse immutanda statuerit; licet viribus, aut potius firmitate animi, quae ad illud requirebatur, non esset instructus. Etenim verbis ex mandato speciali a Cheregato prolatis, & antea a nobis repetitis, subjicit: *Ad quod procu-*

*procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto universum mundum hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus.* Perspexerat autem hoc in primis ex illis, quae jam a Principibus olim, & nuper Wormatiae anno MDXXI. conscripta erant de sedis Romanae abusibus, nunc autem denuo urgebantur. Haec tum in *responsione* ad ea, quae a Legato & ex literis didicerant, comprehenduntur, tum in *centum* ita dictis *gravaminibus* uberius recitantur. Utrimque multa incommoda & detrimenta, quae a Romanorum Praesulibus sibi ac subditis inferebantur, removenda contendunt, non prorsus vero neglectis, quae strictius religionem attinent. Etenim Pontifici respondentes rogant, ut censum, qui *annatarum* nomine, ad repellendos Turcas hactenus ipsi erat concessus, postmodum non in Germania exigat; quippe qui tot annis in alium, quam debebat, usum erat conversus. Majorem quoque *fidem* & sinceritatem in *servandis pactis* cum Romanis Episcopis initio postulabant; quam quoque sancte polliceri Pontifex non est tergiversatus. In futuro, quod desiderant, *Concilio*, Ecclesiasticis non minus quam Laicis omnimodam libertatem concedendam, imo obligationem quandam injungendam, non alia, quam quae veritati consentanea, & omnia quae Christianismo conducere judicarent, sine metu & quasi ex officio proferendi. Interea ut verbum DEI pure & sincere secundum sacras literas, Patrumque primorum interpretationes proponendum curaret, interdictis omnibus aliis, quae aliunde illuc invehebantur: atque hujus gratia *idoneos Doctores* constituat quoque precantur, qui leniter auditores & ita redarguant, ne detur suspicioni locus, quasi Euangelii cursum retardare conentur. Displicuisse talia Nuncio mirantur Ordines, inde convicti, illum non modulum necessitatis Germaniae, sed Curiae Romanae utilitatis amussim in discernendo bono a malo sequi. Meliorem ideo ab ipso HADRIANO declarationem expectant. Seculares vero Principes seorsim querimonias suas in centum capita redigunt, forsan quod Ecclesiastici abesse mallent, quam, quo obstructi Pontificibus sunt, vinculum praesentia sua violare, licet eandem fere cum illis sententiam foverint. Consensu nihilominus Caesaris ejusque fratris, & ordinum Ecclesiasticorum non minus quam secularium, sunt publicata *centum* illa *gravamina* saepius laudata. Conquesti sunt in illis de abusibus *jurisdictionis Ecclesiasticae, excommunicationum, consecrationum, multiplicium exactionum, casuum reservatorum, denegatae absolutionis.* Invehuntur quoque maximopere in *impudentiam mendicantium, & terminantium* in primis *aulicorum Pontificiorum*, qui quibusvis artibus beneficia obtinere, populumque pecunia emungere impune audeant. *Perfidiam in* rumpendis *pactis* cum Impe-

Imperatoribus iterum culpant. Paupertatem Germaniae infinitis *fundationibus veterum*, ob quas nec quarta pars bonorum laicis superſit, imputant. *Flagitia & impudicitiam Clericorum* ex interdictis illis matrimoniis oriundam, aere tamen facile redimendam, reſtringendam ſtatuunt: eosdem iisdem, quibus Laici, poenis in poſterum volunt coerceri. Nimiis *immobilium bonorum acquiſitionibus & haereditatibus* ipſos debere renunciare, ac onera fundorum praeſtare. Permulta *traditionibus humanis* cohiberi, quae verbi divini fundamento deſtituantur, ea intentione, ut peccantes eo plus ſolvant pecuniae. *Indulgentiarum impoſturas & fraudes* veram ſanctitatem profligaſſe; illis etenim innixum credulum Germaniae populum, quicquid eſt impietatum confidenter patraſſe. *Sanctos* ſingulis *morbis* ob lucri inde enaſcendi ſpem eſſe *praefectos*. Pro Euangelii limpidiſſimo fonte, turbidas lacunas, & *fabulas* Gentilibus ſimillimas ab *indoctis* maximam partem *paſtoribus propinari*, quibus non posſint non homines a fiducia in Deum ad ſuperſtitioſa commenta abduci: *ſacra* omnia, ipſamque *miſſam venalem* proſtare. Quae, multaque alia, ut Caeſar moderetur, majorem in modum petunt. Summatim autem jam antea in responſione ad Legati propoſitiones rem omnem ita effati ſunt: *Non ſolum de Lutheri dogmate eſſe agendum* (in futuro nimirum Concilio) *verum etiam de multis aliis graviſſimis erroribus atque vitiis, quae longa conſuetudine robur aſſumſerint, & depravatis hominum judiciis atque moribus jam excuſentur, quod & ipſe fateatur. Responſio* illa ac *centum gravamina* enarrantur Sarpio, Sleidano, Seckendorfio; Pallavicinus vero plurima ſilentio involvit. Liquidius conſtare nunc arbitramur in quibusnam capitibus HADRIANUS afflictae & miſere dilaceratae Eccleſiae ſuccurrendum eſſe cenſuerit, quodque potiſſimum haec illa ipſa ſint, quae noſtris quoque temporibus Romanam inter & Euangelicam Eccleſiam inſigne interponunt diſcrimen. Qui fieri autem potuit, ut Pontifex ea non auferret? Miramur certe hanc difficultatem. Sed diſtincte & prouti par eſt eandem concipere non poterimus, niſi ſigillatim impedimenta hujus propoſiti percurrendo, & ſub examen revocando.

Difficultates illae quae ſpem reformationis infringere videbantur, partim a *Cajetano*, *Soderino* & *Puccio* Cardinalibus in medium productae, partim in conſultatione illa celebri a *Pallavicino* adferuntur, aut etiam ab ipſo HADRIANO intempeſtive formatae ſunt. Nos quidem minime ſugit relationem illam de ſententiis Cardinalium in eorundem concilio falſam, mutilam, incongruam Pallavicino lib. II. Hiſt. Conc. Trid. cap. IV. vocari. Verum quicquid moliatur, ad fidem ejus infirmandam parum proficiet. Sarpium non indicare, ubinam locorum Ephemerides

 Fran-

Francisci Cheregati, quas ille hac in narratione compilavit, asserventur, adeoque fidem illis non inique denegari putat. Ratiociniis porro veritatem ejusdem subvertere annititur. Exempli locum tueantur, quae hunc in modum differit: loco citato cap. VI. num. II. *Non potuit Cajetanus, tam egregius & Theologus & Aquinatis sectator, hujusmodi consilii auctor esse.* Atque in eo totus est, ut monstret plane ἀδύνατον esse talia viros illos sermone suo complexos, adeoque absonum. At quaenam tandem historia erit monumentis majorum recondita, quam argumentis a possibili depromtis inter spurias ponere non possemus? praecipue si singularem, nec quovis aevo obvium eventum memoriae posteritatique prodat. Sufficiant idonei testes, qui fraudem pariter ac mendacia ignorarunt, & quibus ex ejusdem seculi viris contraria documenta opponi nequeunt. Non posse vero se talia producere confitetur *Pallavicinus*, sed se hoc diarium inter scripta Legati non reperire: si credere fas est. Cur enim aliquam illius partem veram esse fateri cogitur, & unde sumsit illa nisi ex hoc scripto? Redeamus autem ad nodos illos, quibus solvendis imparem se opinatus est Pontifex. *Cajetanus* valde dehortatus HADRIANUM, ne saniorem de *indulgentiis* opinionem suam divulgaret, addit: *Hoc modo revelatum iri eam veritatem quam propter animarum salutem multo sit conducibilius celare; cum disputabilis potius esset, quam decisa.* vid. Sarpius loc. citat. lib. I. pag. XXXIV. & seqq. Sed quamnam decisionem adhuc expectat, si veritas est? Pontifex non minus quam ipse Cardinalis de hac sententia erant certissimi. Contradicentium & disceptantium numerus, quantus sit, obstare tamen nequit, quominus opinionem, quam sine ulla dubitatione amplectimur, quamque promulgandam verbi divini auctoritas & Ecclesiae incolumitas jubet, aperte profiteamur. Suo exemplo contrarium quidem affirmat: *Se licet eam animitus foveret, in scribendo tamen ita rem temperasse, ut non nisi homines consummatissimi genuinum e verbis suis sensum possint elicere.* At hoc ipso manifestum simulationis & malitiae suae indicium edidit. Quare autem animarum saluti magis conducat hujus rei silentium, audiamus: *Quod si haec doctrina*, ait, *auctoritate publica semel evulgata fuerit, tum fore periculum, ne literati etiam ex ea colligant Papae concessionem nihil quicquam juvare, quicquid ejus sit, qualitati operis imputandum. Quae res absque dubio fervorem hominum in acquirendis indulgentiis valde refrigeratura esset, & opinionem de auctoritate Pontificis conceptam mirum in modum labefactura.* Detegit igitur scaturiginem, cur tam aegre erroris correctioni & propositionis veritati adstipuletur. Quod nec antea ignotum, Pontificios quae vera sint, quaeve erronea, ad emolumentum capi-

capitis sui & auctoritatem, ut normam ac regulam, metiri esse consuetos. An vero utilitas & commodum obesse debeat, quo minus periculosissimo errore simplicem plebem liberemus, & an non haec detestanda improbitas sit nominanda? judicent ii, qui prima ratiocinationis & divinae veritatis elementa degustarunt. *Cajetanus* autem excogitabat alium de *indulgentiis* conceptum, quo se non solum omnibus offensionibus & auctoritati Pontificis consulere, sed etiam rem ad pristinum statum Ecclesiae reducere putabat; quique idcirco sit introducendus. Sentiebat quippe *indulgentias* non esse nisi absolutionem solum a poenis in confessione impositis, revocandos ideo esse canones poenitentiarios, qui jam in desuetudinem abierint. HADRIANUS, cui ea admodum placebant, in poenitentiaria curavit proponenda. Consultantibus autem ad reformandum delegatis Cardinalibus, infinitae fere oblatae sunt difficultates etiam huic sententiae, quas *Laurentius Puccius* Pontifici renunciavit. Scilicet *si eorum*, quae proposuerat Papa, *fiat periculum, tantum abesse, ut praesentibus malis faciat medicinam, ut contra multo graviora sit concitaturus, medicinam morbo esse appositissimam quidem se non dubitare; sed quando infirmi corporis vires longe exsuperat, verendum, ne pro salute praesentaneum adferat exitium; & dum de recuperanda Germania capitur consilium, ipsa Italia ante amittatur, etiam illa multo evadat aversior.* Damnum spirituale cum temporali mire confundit. Si in spiritualibus majus detrimentum imminet ex emendatione rei, quae minus minari videbatur, tunc demum illud propositi cursum retardare potest. Nullum vero incommodum, quod terrenam nostram felicitatem & gloriam laedit, tanti momenti esse potest, nec oportet, ut ejus gratia internam & spiritualem animarum prosperitatem posthabeamus. Nec rigorosam primitivae Ecclesiae disciplinam, quae hoc ipso restauretur, vel ideo posse revocari *Puccius* autumat, quia deficiat pristinus populi zelus, caritas quoque & fervor, qui illos occupabat, exoleverit, quibus non in Ecclesiam recursantibus, poenas a canonibus praescriptas irrogari amplius & in posterum non posse. Ubi & ad Apostoli verba Actor. xv. vs. xx. provocat, *quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Non uti superioribus seculis, quibus Ecclesiae decreta temere recipiebantur, rem se nunc habere, cum quilibet judicem nunc agat, rationesque decretorum expendat. At si vel maxime primorum Christianorum exactam disciplinae observantiam necessariam nostro aevo non judicemus, nec omnimode adprobemus, spuria tamen non sunt, quibus ille hoc convellere studet, argumenta. Omnia ferme, quae ad convertendos homines mini-

ministri Ecclesiae agunt, intermittenda essent, si repugnantiam impiorum & defectum prisci ardoris in cultu divino respicere vellent. Confirmat Cardinalis egregie, quod in superioribus notatum est, mercaturam illam indulgentiariam, propensionibus hominum mollem & jucundam religionem efficere. Silentium quoque potius, quam altiorem indaginem hocce de expiatione peccatorum argumentum temporibus suis postulare *Puccius* ex eo colligit, quod ipse HADRIANUS olim *controversiam hanc de valore indulgentiarum antiquam esse ac dubiam*, asseruerit. Quae vero huc non spectant; etenim HADRIANUS satis superque declaraverat, se jam de illa esse quam certissimum. Haec ob impedimenta animo pendentem Pontificem confirmavit tandem *Soderinus*. Postquam enim optimam illius intentionem vehementer probasset, ad quam tamen accedere deberet accurata mediorum convenientium electio, eorundemque cauta & prudens executio, alias enim laude dignam solam propensionem non esse; ita HADRIANUM affatur: *Minime esse sperandum, ut per emendationem morum Curiae Romanae debeantur & exterminentur Lutherani, eam potius esse rationem augendae ipsorum & existimationis & contumaciae.* Ideone incuria Ecclesiae excusanda, quod omni adhibito studio atque vigilantia vulneribus ejusdem nihilominus non adferatur medela? Quare, quaeso, hancce curam illi alligat aevo, ubi spes quaedam prosperi effectus adparet, quae semper & ubique ex sanctitatis & amoris legibus cuilibet incumbit, etiamsi LUTHERI nomen nuspiam fuisset auditum? Neminem ab illa jure deterret, nec gloriatio & superbia adversae sectae, cui correctione nostra in aliquibus victas dedimus manus; veritas enim in hostibus quoque est extollenda, nec confirmatio illius in erratis, si quae revera subsint; praeter nostram quippe culpam offensione inde exorta. Omnium minime Romanum Episcopum ejuscemodi leviora figmenta a suo, quod sibi vindicat, muneris exercitio possunt depellere. Nec nervosius, quae subjicit dicuntur: *imperitam plebem, quae ex eventibus solet judicare, ubi semel intellexerit ex emendatione coepta, Pontificiam Ecclesiae gubernationem aliqua parte jure reprehensam, facile sibi persuasuram, non minus justas esse causas aliarum rerum proponendarum, quae similem requirant emendationem; ipsosque haereseon auctores in uno aliquo victoriae compotes, numquam congrediendi finem facturos: idemque cum postulatis eorum esse futurum.* Quae nimis profane loquitur Cardinalis. Ipse *Cheregatus* responsurus Principibus, qui procrastinando executionem edicti contra LUTHERUM offensionem populi vitabant, docet, *non toleranda esse mala, ut inde nascantur bona.* Sin autem fuerint justae querelae & postulata, iisdem satisfaciendo animare tales

les potius sumus obstricti, quam intempestiva praecautione summe necessarium reformationis opus eorum causa intermittere. LUTHERANIS porro eo minus gratificandum esse arbitratur, quoniam hic mos omnium *veterum haereticorum fuerit, qui Ecclesiae Romanae auctoritatem vellicarunt, corruptos Curiae mores conatibus suis obtendere.* Optimum igitur contra hosce abusus testimonium perhibuerunt. Eo major urgebat necessitas corruptiones illas removere, ne scandalis amplius ansa praeberetur. Praeterea *neminem unquam Pontificum*, ait, *reformandi viam quasi rebus suis utilem secutum, sed adhibitis primum monitis & praeceptionibus continuo Principes ad Ecclesiam protegendam acciviisse.* Hoc non magis movere HADRIANUM poterat, ut ab instituto desisteret. Ad proprium enim commodum ceu normam Pontifices actiones in sacris suas direxisse semper verissimum quidem est, sed simul improbum, adeoque nec imitandum. Quemadmodum etiam eo ipso, quod secularem potestatem in auxilium vocarunt, odium veritatis & salutis Ecclesiae nunquam non prodiderunt. Cui remedio anti-haeretico proxime & hoc accedit, imo antecellit: *Nullum Paparum haereses reformationibus excidisse, sed cruciatis quas vocant; excitatis contra eas Principibus ac populis crucis signo insignitis.* Mutare proinde formam regiminis, ac tutiorem & felicem antecessorum relinquere viam, perinde esse ac se grandibus periculis objicere. Hinc illos, qui Waldenses aliosque extinxerint, valde laudat. Sed perversissima ac immanissima haec erat methodus, quae ab Apostolica veritatem propagandi ratione mirum quantum abhorret. Doctrina coelestis, ejusque conservatio externa vi non indiget, eo quod indoles ejus pari ratione ac omnis reliquae cognitionis, cum eadem evidentissime pugnat. Eget tamen illa crudelitate imperium Papale, cujus, non vero illius, incolumitas voti Cardinalis & admonitionum ejusdem summa fuit. Nihil ergo a Pontificio systemate discrepans suadet *Soderinus*, cum subjicit: *indulgentiis & peccatorum expiationibus arcessendos esse caeteros Germaniae & exteros Principes ad succurrendum, atque territoria fautorum Lutheri invadendum*; perinde ac si armis temporalibus spirituale malum rite ejiciatur. Denique de reformatione Pontifici vel ideo non esse cogitandum, *quia majoris discriminis negotium, bellum videlicet Italiae immineret*, cui potius ipsi esset incumbendum. Hinc elucescit quanti faciat religionem *Soderinus*. Rationis & verbi divinitus revelati praecepta negligens, curam regiminis servandi ac defendendi regni coelestis studio iniquissime anteponit. Postremo monet quod politica Papalis alias primo loco adferre solet: *nullam posse institui reformationem, quae obventiones ecclesiasticas non insigniter diminutum eat.*

Praeter reditus enim ſtatus eccleſiaſtici ordinarios, inſtar fontium, indulgentias, diſpenſationes, & beneficiorum collationes eſſe, quorum ſi unus obturetur & occludatur, magnam repente de cenſu eccleſiaſtico partem deceſſuram. Ergone exiguum circa temporalia incommodum impediat, quo minus magnum & mortiferum Eccleſiae ſanetur vulnus? Quid ſi pluribus, ſi omnibus ad ambitionem, ad delicias tantummodo comparatis Pontifici fuiſſet carendum, nonne relictis illis ad collapſam fidem & vitam erigendam debuiſſet accurrere? Impiae partim, partim inanes fuerunt ratiunculae, quibus quaſi contra DEUM, ejusque regnum, abuſibus ſublatis, amplificandum, Cardinales iſti dimicarunt. Exquiſitiora magisque effectui adaptata forte ſunt, quae *Pallavicinus lib.* II. *cap.* III. *num.* V. *cap.* VII. *num.* XIV. commemorat. *Eas emendationes*, ait, *quae ad Principum utilitatem conducebant*, arcuiſſe ſummam *aerarii inopiam*, quae quoque, quia exactiones graviores peperit, *invidiam atque odium populi* in eum concitarit. Hanc vero una cum *miniſtrorum imperitia*, qui Belgae erant, ſinceri quidem, at inexpertes, nec non *miram candoris HADRIANI & calliditatis Italicae diſſenſionem*, unde omnibus pariter ac ſingulis eorum ſine diſcrimine diffidens, cunctos offenderit, praecipue ſcopo ipſius obfuiſſe. Quibus ſimile obſtaculum *Sarpius lib.* I. *pag.* XXXVII. refert, *quod multi illos, quos damnabant abuſus, tanquam rem bonam aut neceſſariam defendendam ſuſcepiſſent.* Inſuper ſi gravaminibus Principum indulſiſſet, exiſtimat *Pallavicinus auctoritatis ſuae* & adhuc *obſequentium ſibi Germanorum jacturam feciſſet.* Equidem haec impedimenta HADRIANUM praepedire poterant; verum non ideo correctioni prorſus neceſſariae plane ſubtrahere debebant. Pars enim eorundem ſuperioribus ſimilis, adeoque non niſi improbos ab officio ſuo abalienare apta erat; alia jure ac poteſtate Pontificia facile ſuperari poterant. Tandem poſtquam mutaſſet pene HADRIANUS reformationis conſilia in *inſtructione* Legato commiſſa, addit cauſam, cur errores atque vitia non ſtatim emendet, eſſe, quia *morbus ſit inveteratus & multiplex*, *quare cum ſubitae Reipublicae mutationes periculi eſſent plenae*, *& qui nimium emungat*, *eliciat ſanguinem*, *pedetentim procedendum eſſe*. vid. Sleidan. lib. IV. pag. LXXXIII. Ubi B. LUTHERUS in notis marginalibus *pedetentim* hoc idem eſſe ſentit, ac ſi inter ſingulos pedes atque paſſus unius ſeculi intercedat intervallum. Sed oblitus forte erat Pontifex eorum, quae antea dixerat: quae incommoda, de LUTHERI doctrina nota *niſi tempeſtive reprimantur*, *verendum eſſe ne DEUS hanc tantam negligentiam publica Germaniae & privata illorum calamitate graviter ulciscatur*. Quae ad ſubitaneam medicinam vehe-

mentio-

mentiori morbo adhibendam, non minus ipſum commovere debuiſſent.

Hisce, quae recenſuimus, impedimentis Pontificem noſtrum a ſuo in repurgationem Eccleſiae ſtudio non eſſe abſterritum, liquide conſtare arbitramur. Partim enim cum eximia illius probitate pugnant, propriae utilitati, avaritiae, ambitioni, aliisque cupiditatibus, uti videmus blandientia, partim ſinceritati & moderationi adverſantur, partim prudentia ipſius ſuperari facillime poterant. Quarum virtutum laudem HADRIANO deberi, cum ex antea aſſertis certiores ſimus facti, nulla ne quidem ſuſpicio in Pontificem cadit, impiis ejus generis ſermonibus ipſum pronas praebuiſſe aures. Alius proinde fons, veteranorum ſcilicet Pontificiae dominationis artificum, Cardinalium puta contra nitentium ſtudia & pervicacia, novitati repugnavit. Conqueſtus ideo eſt HADRIANUS inter intimos, perceptis nimirum Cardinalium orationibus, dixitque: *miſeram eſſe Pontificum conditionem, quibus videret deeſſe recte faciendi facultatem, etiam cum maxime velint, & in id operam & diligentiam impendant.* Verum etiam illis obſiſtere efficaciter potuiſſet, ſi poteſtate ac viribus ſuis, quales pro ſeculi conditione erant, & adhuc ſunt, uſus fuiſſet. Quapropter neſcio quae timiditas, ac animus etiam ad inanes ſonos pavidus, impedimento fuit, quo minus firmiter ac conſtanter Cardinalium conſiliis auderet obviam ire. Quae vana & ſupervacanea trepidatio eo magis erat abjicienda, quo plus detrimenti Eccleſiae & animabus hominum intulit. Nam cum nullos inde fructus conſequeretur, corruptio populi Chriſtiani in priſtino ſtatu permanſit, ſaltem quoad potiorem partem; multi enim per B. LUTHERI praedicationem ſaniori doctrinae ſubſcripſerunt. Pleriſque etiam, in quos commoda quaedam ex abuſibus illis redundabant, inſtitutum HADRIANI valde diſplicebat; imo ipſi, qui ſucceſſit, CLEMENTI VII. qui non modo partem quandam gravaminum, quibus auctoritas & utilitas Pontificum intacta relinquebatur, ſolum ſe correcturum eſſe ſimulavit, ſed etiam Concilium liberum, quod Principes Germaniae tantopere expetebant, cunctis viribus eſt averſatus; probe intelligens, ſe ſuamque auctoritatem in majus diſcrimen venire non poſſe, quam quod ab ejusmodi ſynodo eſſet metuendum. Videatur Sarpius lib. I pag. LI. & ſeqq.

# [1] ACTIUS SYNCERUS SANNAZARIUS

Libr. III. Epigramm. IV.

IN

## ADRIANUM PONT. MAX.

Classe virisque potens, domitoque Oriente superbus,
Barbarus in Latias dux quatit arma domos:
In Vaticano noster latet: hunc tamen alto,
Christe, vides coelo, (pro dolor) & pateris?

# [2] JOANN. PIERIUS VALERIANUS

## HADRIANO PONT. MAX.

## DESIGNATO.

Cum fluctuaret cymba, quae magnos Deos,
Romae penates quae vehit,
Leone ademto; providum, vigilem, parem
Optabat infelix ducem.
Dum tota is ora quaeritur Ligustica,
Totoque Tyrrheno mari,
Per Adriatici omne littus, per Padi
Ripas, Lemani per juga:
Per Celtiberos, Gaditanos, Gallici
Vastos per Oceani sinus,
Quaeque aestuosum Sarmatas lambit salum
Qua circuit Britannias:

Repente

1 *Actius Syncerus Sannazarius.*] Ita visis variis encomiis, quibus Auctores gravissimi & fide dignissimi Hadriani laudes & merita prosecuti sunt, his, ne videremur ea tantum produxisse, quae ad ejus laudem pertinent, convitia & contumelias, quibus Itali famam & existimationem viri optimi contaminare conati sunt, addere placuit.

2 *Joannes Pierius Valerianus.*] Exstat illud carmen in Deliciis Poëtarum Italorum tom. II. p. MCCLXXXVIII.

Repente nobis hunc dedit vecors furor
  Regione Rheni ab ultima;
Nil tale Patribus facere se putantibus,
  Nihil minus volentibus
Quam quem eligebant, nil minus poscentibus
  Quam quem vocabant. o mare!
O terra! votis Hadrianus omnium
  Fit Pontifex; sed omnibus,
Quis credat? invitis. Deum vis haec, Deum,
  Deum abditum hoc arbitrium est.
Ut qui natantis despuunt regnum trabis,
  Parere discant viperae:
Ut invicem qui se oderant Patres, ducem
  Invisum haberent omnibus:
Malarum ut esset saevus ultor mentium,
  Acri ipse mente in singulos.
At dira quando Principum impotentia
  Discet vereri quas ferunt
Leges? ut olim sit locus aliquis probis,
  Castis, honestis moribus.
Sit aliquis, o mortalibus demum pudor,
  Mens aliqua sit, pectus aliquod,
Ut eluantur scelera, foedae ut saeculi
  Tollantur infecti notae:
Ne cuncta vis, fraus, & superbia, & furor
  Incessat, evertat, ruat.

Idem lib. II. de Infelic. Literat. p. CXLVIII.

Fuit & sub *Hadriano sexto* par bonarum omnium literarum infortunium. Nam cum is Leoni decimo suffectus esset, ad quem, utpote literatum Principem, magnus literatorum numerus confluxerat, dum non minora de *Hadriano* sibi quisque pollicetur, ecce adest Musarum, & eloquentiae, totiusque nitoris hostis acerrimus, qui literatis omnibus inimicitias minitaretur, quoniam, ut ipse dictitabat, Terentiani essent; quos cum odisse, atque etiam persequi coepisset, voluntarium alii exilium, atque alias alii latebras quaerentes, tam diu latuere, quoad Dei benefi-



Videndus celeberrimus Broekhusius ad Sannazarium d. l. qui carmen illud Pierii Valeriani, quod *virulentum* vocat, ut & alterum locum de Infelic. Literat. ibi producit.

beneficio, altero imperii anno decessit, qui si aliquanto diutius vixisset, Gothica illa tempora adversus bonas literas videbatur suscitaturus.

# BERNI

## CAPITULO CONTRO PAPA ADRIANO.

### *NEL TEMPO CHE FU FATTO PAPA ADRIANO.*

*Oh Poveri infelici cortegiani*
*Usciti delle man de i Fiorentini,*
*E dati in preda á Tedeschi e Marrani!*
*Che credete ch' importin quegli uncini,*
*Che porta per insegna questo arlotto,*
*Figliuol d' un cimator di panni lini?*
*Andate a domandarne un pò Ceccotto,*
*Che fa professìon d' Imperiale,*
*E dirauui il misterio che v'é sotto.*
*Onde diavol cavó quest' animale,*
*Quella bestiaccia di Papa Lione,*
*Che gli mancó da far un Cardinale.*
*E voi reverendissime persone,*
*Che vi faceste cosi bell' honore,*
*Andate adesso á farvi far ragione?*
*O Volterra! o Minerva traditore!*

O

Carmen illud mecum communicavit vir humanissimus & eruditissimus *Petrus Vlaming*, qui & ipse Poëtices tam Belgicae quam Latinae laude insignis, omnis fere aevi celebrium Poëtarum monumenta sibi comparavit, & ex instructissima sua Bibliotheca *Berni* poematum editionem Florentinam anni MDLII. in qua hoc carmen conspicitur, ad me transmisit, & simul monuit, exemplar illud rarissimum esse, cum in aliis ejusdem anni frustra hoc carmen quaeratur, quia folia illa, quibus hi versus continebantur, quantum fieri potuit, jussu magni Etruriae Ducis suppressa dicuntur. Nuper haec *Berni* poemata iterum Londini prodierunt, verum hanc editionem innumeris vitiis scatere docuit me idem vir praestantissimus. Poëta vero vocatur *Franciscus Bernia*, sive *Berni*. De quo Poëta satyrico, & omnium, quotquot Italia umquam produxit, mordacissimo, videndus Baillet Jugemens des Poetes part. IV. pag. XCII. edit. prior.

*O canaglia diserta, asin' furfanti,*
*Havete voi da farci altro favore?*
*Se costui non v' impicea tutti quanti,*
*E non vi squarta, vó ben dir che sia*
*Veramente la stiuma de pedanti.*
*Italia poverella! Italia mia!*
*Che ti par di questi almi allievi tuoi,*
*Che t' han cacciato un porro dietro via?*
*Almanco si voltassi costu' á voi,*
*E vi fessi patir la penitenza*
*Del vostro error, che colpa n' habbiam noi?*
*Che ci ha ad esser negato l' udienza,*
*E dato sul mostaccio delle porte,*
*Che Christo non ci harebbe patienza.*
*Ecco che personaggi, ecco che corte,*
*Che brigate galanti cortigiane*
*Copis, Vinel, Corizio, e Trincheforte?*
*Nomi da fare isbigottir un cane:*
*Da fare spiritare un cimitero,*
*Al suon delle parole horrende e strane.*
*O Pescator diserto di san Piero,*
*Questa é ben quella volta che tu vai*
*In chiasso, ealla stufa daddovero.*
*Commincia pure auviarti a Tornai,*
*E canta per la strada quel versetto*
*Che dice: Andai in Fiandra, e non tornai,*
*Oltre canaglia brutta, oltre al Trajetto,*
*Ladri Cardinalacci, schericati,*
*Date luogo alla fé di Macometto:*
*Che vi castighi de 'vostri peccati,*
*E lievivi la forma del cappello,*
*Al qual senza ragion foste chiamati.*
*Oltre canaglia brutta, oltre al bordello,*
*Che Christo mostró ben d' havervi annoia,*
*Quando in Conclavi, vi tolse il cervello.*
*S' io non dic' hor da buon senno, ch'io muoia,*
*Che mi parrebbe far un sacrifizio*
*A esser per un tratto vostro boia.*

*Oh ignoranti privi di giudizio,*
*Voi potete pur darvi almeno il vanto*
*D' haver messo la Chiesa in precipizio.*
*Basta che gli hanno fatto un Papa santo,*
*Che dice ogni mattina la sua Messa,*
*E non sel tocca mai se non col quanto.*
*Ma state saldi, e non gli fate pressa:*
*Dategli tempo un' anno, e poi vedrete*
*Che piacerá anche á lui l' arista lessa.*
*Oh Christo, o Santi, si che voi vedete*
*Dove ci han messo quaranta poltroni,*
*E state in cielo, e si ve ne ridete?*
*Che maledette sien quante orazioni,*
*E quante letanie vi fur mai dette*
*Dai frati in quelle tante processioni.*
*Ecco per quel che stavan le staffette*
*Apparecchiate, per annunziare*
*La venuta di Christo in Nazarette.*
*Io per me fui vicino a spiritare,*
*Quando senti gridar quella Tortosa:*
*E volli comminciare á scongiurare.*
*Ma 'l bello era á sentir un' altra cosa,*
*Che dubitaven che non accettassi,*
*Come persona troppo scrupulosa.*
*Per questo non volevon levar l' assi*
*Di quel Conclavi, ladro scelerato,*
*Se forse un' altra volta e bisognassi.*
*Da poi che seppon ch' egli hebbe accettato,*
*Cominciarano á dir che non verria,*
*E dubitava ogniun esser chiamato.*
*All' hora il Cesarin volse andar via*
*Per parer diligente, e meno seco*
*Serapica in iscambio di Tubbia.*
*O sciocchi á Ripa, é si tristo vin Greco,*
*Che non havessi dovuto volare,*
*Se fussi stato zoppo, attratto, e cieco?*
*Dubitavate voi del accettare?*
*Non sapevate voi ch' egli havea letto,*

Ch'

*Ch' un Vescovado é buon desiderare?*
*Hor poi che questo Papa benedetto*
*Venne, cosi non fusse mai venuto,*
*Per fare á gli occhi miei questo dispetto.*
*Roma è rinata, il mondo é rihavuto.*
*La peste è spenta, allegri gli ufiziali,*
*Oh che ventura che noi habbiamo havuto?*
*Non si dice piu mal de Cardinali;*
*Anzi son tutte persone dabbene,*
*Tanto Franzesi quanto Imperiali.*
*Oh mente humana come spesso avviene,*
*Ch' un loda e danna una cosa, e la piglia*
*In pro, e'ncontro, come ben gli viene.*
*Cosi adesso non é maraviglia,*
*Se la brigata diventa inconstante*
*E malcontenta di costui bisbiglia.*
*Hor credevate voi gente ignorante,*
*Ch' altrimenti dovessi riuscire,*
*Un sciagurato, hipocrito, pedante?*
*Un nato solamente per far dire*
*Quanto pazzescamente la Fortuna*
*Habbia sopra di noi forza, è ardire.*
*Un che s' havesse in se bontade alcuna,*
*Doverrebbe squartar chi l' ha condotto*
*Alla siede Papal ch' al mondo é una.*
*Dice il suo Todorigo, ch' egli é dotto,*
*E ch' egli ha una buona conscienza,*
*Come colui che glie l' ha visto sotto.*
*L' una e l' altra gli ammetto, e credo senza*
*Che giuri, e credo ch' egli habbia ordinato*
*Di non dar via benefizi a credenza.*
*Piu presto ne fará miglior mercato,*
*E perderanne innanzi qualche cosa,*
*Pur che denar contanti gli sia dato.*
*Questo, perche la Chiesa é bisognosa,*
*E Rodi ha gran mestier d' esser soccorsa*
*Nella fortuna sua pericolosa.*
*Per questo si riempie quella borsa.*

*Che gli fu data vota, onde piu volte*
*La man per rabbia si debbe haver morsa.*
*Ma di che vi dolete, ó genti stolte,*
*Se per difetto di vosti giudizi*
*Vostre speranze tenete sepolte?*
*Lasciate andar l' imprese de gli ufizi,*
*E si habetis auro & argento,*
*Spendetel tutto quanto in benefizi.*
*Che vi staranno a sessante per cento,*
*E non havete piu sospezzione*
*Ch' i danar vostri, se gli porti il vento.*
*Non dubitate di Messer Simone,*
*Che maestro Giovan da Macerata,*
*Ve ne fará plenaria assoluzione,*
*A tutte l' altre cose stá serrata,*
*E dicesi: videbimus, á questa*
*Si dá una udienza troppo grata.*
*Ogni domanda é lecita, e honesta.*
*E che sia il ver, benche fossi difeso,*
*Pure al Lucchese si tagliò la testa.*
*Io non sóse, s'e ver quel chi 'ho inteso,*
*Ch' ei tasta à un, á un, tutti i danari;*
*E guarda se i ducati son di peso.*
*Hora chi nollo sá, studi, e impari,*
*Che la regola vera di giustizia*
*E far che la bilancia stia del pari.*
*Cosi si tiene a Roma la dovizia,*
*E fanno si venir le spedizioni*
*Di Franzia, di Pollonia, e di Galizia.*
*Queste son l' astinenze, e l' orazioni,*
*E le sette virtu Cardinalesche,*
*Che mette san Gregorio ne' sermoni.*
*Dice Franciscus, che quelle fantesche*
*Che tien á Belveder, servon per mostra:*
*Ma con effetto á lui piaccion le pesche.*
*E certo la sua cera lo dimostra,*
*Che gliè pur vecchio, e in parte ha provato*
*La santa cortigiana vita nostra.*

Di

*Di questo quasi l' ho per iscusato,*
*Che non é vizio proprio della mente,*
*Ma difetto, che gli anni gli han portato.*
*E credo in conscienza finalmente*
*Che non sarebbe se non buon Christiano,*
*Se non assassinasse si la gente.*
*Pur quand' io sento dire, oltramontano,*
*Vi fo sopra una chiosa col verzino,*
*Id est nimico al sangue Italiano.*
*O furfante ubbriaco, contadino,*
*Nato alla stufa: hor ecco chi presume*
*Signoreggiare il bel nome Latino?*
*E quando un segue il libero costume,*
*Disfogarsi scrivendo, e di cantare',*
*Lo minaccia di far buttare in fiume.*
*Cosa d' andarsi proprio ad annegare:*
*Poi che l' antica libertá natia*
*Per piu dispetto non si puote usare.*
*San Pier, s'io dico poi qualche pazzia,*
*Qualche parola c' habbia del bestiale,*
*Fá con Domenedio la scusa mia.*
*L' usanza mia non fu mai di dir male,*
*E che sia il ver, leggi le cose mie,*
*Leggi l' anguille, leggi l' orinale:*
*Le pesche, i cardi, el' altre fantasie,*
*Tutte sono hinni, Salmi, laude, elode,*
*Guardati hor tu dalle palinodie.*
*Io ho drento uno sdegno che mi rode,*
*Esforza contro al' ordinario mio*
*Mentre costui di noi trionfa, e gode,*
*A dir di Christo, e di Domenedio.*

# HADRIANI SEXTI
## PONTIFICIS MAXIMI
## VITA EX PRIMO LIBRO EPISTOLARUM
# C. BATTI PARMENSIS,
## JUVENIS ELOQUENTISSIMI.

## C. BATTUS PARMENSIS
## HIERONYMO SAULIO
## S. D.

[1] Numquam ego deterrebor istoc tuo silentio, sive id ex negligentia, sive ex magnis occupationibus nascitur, sive alia quavis de caussa, quominus Te litteris adsidue cumulem. Nescio hercle quid scribam, cum jam tot Epistolis ad Te missis, ne duos quidem versus hactenus elicere potuerim. Nihil habeo, quod tecum jocer, nihil quod serio scribam, nihil prorsus novi, nisi cujus forsitan discere, quam de se Hadrianus posteritati famam reliquerit; nam de obitu certo scio Te jam nuncium a tuis accepisse.

Reliquit sane non bonam. Nec minor admiratio ac stupor de illius moribus mortalium mentes invasit, quam laetitia ex morte exorta sit. Adeo enim per multos annos mores & vitia sua celarat, ut bonitatis ac sanctitatis opinione ad summum sacerdotium cunctis suffragiis, ut nosti, absens vocatus sit. Venit ad Urbem, cum eo pestis metu ad Sabinos confugissem, pestis coepit multo acrius statim saevire, atque in dies magis ac magis increbescebat. Credo, quod omen erat tam pestilentis Pontificis, qui ad nostram perniciem huc ex Hispania convolarat. Tandem adventante hyeme, furor iste relanguit. Nos ad Urbem revertimur, ubi tranquillissime profecto se res habebant, cum propter infrequentiam populi, qui non audebat adhuc in Urbem regredi, permultos etiam pestis interemerat, tum propter novi Pontificis severitatem, quod unum in homine praeter doctrinam laudari poterat.

Edito

1 *Numquam.*] Hanc epistolam atrocissimis calumniis & mendaciis refertam exhibet Wolfius l. tom. II. Lection. Memorabil. pag. CXCI.

Edicto prohibuerat, ne arma portarentur. Jus magiſtratus ſeveriſſime dicere imperaverat, ut nusquam locus eſſet veniae. Hoc non parum laudis apud imperitam multitudinem illi conciliavit. Verum deinde planum factum eſt omnibus, hoc praetextum fuiſſe avaritiae illius immoderatae, non juſtitiae.

Si quisquam levi delicto in jus vocabatur, non, niſi grandi pecunia mulctatus, diſcedebat. Nec gratia & ſtudium bonorum & principum virorum, nec anteactae vitae candor quicquam proderat. Qui gravius deliquiſſent, ſi pecuniam non habebant, qua ſe a noxa redimerent, & ejus ingluviem ſatiarent, nulla tactus miſeratione aut capite puniri, aut in triremes ad perpetuum ſupplicium deportari jubebat; quibus vero ſuppetebant ampliores fortunae, eorum levius fiebat flagitium, & illaeſi abibant. Magiſtratus, qui jus dicebant, quotidie noctu ad ſe accerſiri jubebat, quid de quoque reo extorſiſſent, cum ſumma percunctatione exigebat, aureos nummos ipſe ſtatim pendebat, numerum & delicta reorum, qui eo die aut in jus tracti fuerant, aut in carcerem conjecti, ab his perdiſcebat.

Familiam adeo ſordidam & exiguam alebat, ut ſumtus quotidianus duodecim aureos non excederet. Quid plura? Vaticana domus non jam domus illa Pontificia, & ocellus urbis, ut quondam; ſed domus aliqua, ut Poëtae tradunt, quae propter lemurum formidinem vacua & deſerta ſic prae ſolitudine videbatur. Numquam Cardinales aut Proceres aliquos, aut Legatos Regum, qui in Urbe degunt, & ipſum de more frequenter adibant, ad convivium invitavit, neque ipſe, cum eſſet his moribus, invitabatur a quoquam, neque Helvetiis, neque Equitum turmis, quae, ut ſcis, ſemper ipſum comitantur, quando exit in publicum, & diu noctuque excubant pro foribus aedium, ſtipendium ſolvebatur, ſemper eſuriebant.

Longe iniquius cum interioribus cuſtodibus, qui per diem cubiculi limen aſſervant, ſeſe geſſit. Non modo ſtipendium his non ſolvebat, aut aliquo liberalitatis genere ſublevabat; ſed quod Cardinalibus, aut aliis purpuratis, certis temporibus quotannis elargiri mos eſt, ipſorum rationibus adimebat, atque in rem ſuam vertebat.

Civitatibus, quae Pontificiae parent poteſtati, cum Legatos huc ad eum gratulatum miſiſſent, & ut fieri ſolet, quoties novus creatur Pontifex, ut fidem & obſervantiam ſuorum civium ei declararent, & jurejurando teſtarentur, & conditiones a ſuperiotibus Pontificibus ſancitas, ab eodem confirmatas, domum reportarent, non, ut caeteri Pontifices, aliquod commodum addidit, quo diu celebris, ſi non ſempiterna eſſet, ipſius

ipsius memoria apud populos, sed nonnullis etiam vectigalia auxit.

Pecunias, quas nonnulli populi Cisalpinae Galliae, conductis militibus de suo, Pont. nomine hortatu Patrum dedissent, (aberat enim tunc ille procul ab Italis) ut moenia suarum urbium ab incursionibus atque impetu hostium tuerentur, neutiquam in expensas referri passus est. Tria millia & quingenti Hispani milites eum navigantem in Italiam prosecuti erant. His ne stipendium dissolvere, aliqua liberalitate prosequi pudore ipso cogeretur, permisit, ut in agro Parmensi & Placentino, tanquam in hostili solo, praedabundi discurrerent, & castella & pagos alios incenderent, diriperentque, aliis pecuniam impetrarent.

Haec de ejus avaritia incomparabili, quae etiam cum iniquitate quadam barbarica conjuncta videtur fuisse. Nam ex *omnibus*, *qui* cum eo umquam vixerant, & ejus obsequiis sese addixerant, neminem aut *bene*ficiis aut ornamentis praecipuis, cum tanta esset homini facultas, auxit, praeter unum & alterum, & eos quidem valde improbos, ut liquido appareat, ipsum aut improbum fuisse omnino, aut stolidum, qui judicio deciperetur.

Ceterum, si vera sunt, quae post ejus obitum in vulgus emanarunt, improbus admodum atque impurus fuit; quotidie enim Vaticanum summo mane adscendebat, quem locum ne quisquam mortalis ullo pacto ingrederetur, omnes aditus praecluserat: ibi paucis e familiaribus comitatus, rem divinam faciebat, deinde penitiorem aedium partem solus ingrediebatur. Quid ibi ageret, cum diutius moraretur, nemo scire poterat. Postquam autem compertum est, illic mulierem forma egregia clam habuisse, cujus amoris caussa eo tam frequenter itasse creditur, ejus amplexu frui solitum. Quod ita fuisse praeter formam mulieris elegantem, & frequenter ejus congressum, & alias conjecturas, morbus ipse, quo extinctus est, omnibus argumento esse potest.

Laboravit permultum, antequam e vita excederet, & stranguria & torminibus, in quas aegritudines plerumque incidere solent, qui coitu immodico utuntur.

Datum est hoc insuper crimini, quod puerorum amoribus delectaretur, quia inter caeteros ministros nonnullos tenellae aetatis & eximiae formae habebat.

Magicae artis instrumenta permulta in ejus cubiculo inventa fuisse post obitum dicunt. Ejus familiares, credo, ut tantum facinus tegant, ultro fatentur, ipsum transmutandorum metallorum peritia maxime delectatum, atque id plurimum exercuisse. At ego non sum is, qui facile tam multa credam, praesertim quae de mortuo feruntur.

Verum-

Veruntamen hoc in illo erat ſignum ſumme callidi ingenii, quod adeuntes quam maxime laeto vultu, & blanda oratione excipiebat, nec quemquam triſtem a ſe diſcedere patiebatur; poſtea vero haud ita efficax in rebus erat, quemadmodum verbis & vultu pollicebatur. Praeterea non facilis patebat ad eum aditus, negotia ſemel ſuſcepta ſemper protrahebat, pauca ad exitum producebat, niſi quae ad rem nummariam pertinebant.

Moriens demum multa reliquit imperfecta, quae ab initio Pontificatus inceperat. In illo tamen duo ſine controverſia commendantur, Eruditio & Parſimonia. Probitatem & ſanctitatem dicunt fuiſſe ſimulatam, atque his rationibus ac conjecturis convincunt, quas ſuperius enumeravi, quod vitium ſaepenumero in Germanis hominibus perſpicitur. Nam bonitatem ac ſimplicitatem quandam omnes prae ſe ferunt; aſtutias vero praeter omnium opinionem tenent clauſas in pectore.

Sed ne plura de mortuo, & de Pontifice mortuo loquar praeter quam fas ſit, & inſtitutum meum, hactenus de Hadriani moribus. Quoniam vero me Tibi rem gratam facturum cogito, ſi ejus Pontificis, quem numquam videris, vultum & totius corporis habitum deſcripſero, conabor ut illius effigiem, quam dilucide potero, Tibi ante oculos ſubjiciam.

Erat Hadrianus procera ſtatura, & recta, gracilento corpore, facie oblonga, ac prominenti, & maxime decora, niſi frons depreſſa in verticem plus juſto recederet. Oculos habebat parvos, non tamen prorſus caeruleos, ut bona pars Germanorum, ſed habebat ſplendidos & hilares, & ſuperciliis admodum obtectos, ut hinc facile deprehenderes latentes in eo aſtutias. Habebat naſum Aquilae roſtro non abſimile, ſed obeſum, nec ita prorſus aduncum. Malae oblongae ac prominentes, & naturali rubore perfuſae, totum vultum maximopere honeſtabant. Ipſe incedebat rectus, cum magna venuſtate loquebatur, ut proculdubio diceres, illum fuiſſe natum ad imperandum; quamvis ejus affines, & neceſſarii in extremo ſepulchri margine inſcribi curarunt hunc verſum ſejunctum a reliquo elogio:

*Hic nihil in vita infelicius duxit, quam quod imperaret.*

Quae verba aut ipſius juſſu, aut neceſſariorum decreto, adſcripta fuerunt, nihil equidem vidi unquam impudentius factum.

Hujus Adriani avaritia non minima fuit cauſſa amiſſionis Rhodi. Quare eodem die & hora, qua Rhodus dedebatur, ſaxum ingens a ſuperiore limine portae ſacelli Pontificii in Vaticano prodigioſe decidit, cum Adrianus in ipſo natali Chriſti ingreſſurus eſſet, & duos Helvetios oppreſſit.

Quan-

Quando autem Adrianus hic factus est Papa, ibi celebrata res est Lovanii in magna pompa, quod iste magister Lovaniensis factus esset Papa, suspensa sunt aulea, in quorum uno fuit hoc: *Trajectum plantavit, Lovanium rigavit, Caesar incrementum dedit.* Nihil cogitarunt erigentes haec aulea, nisi de rebus secundis vel humanis, quare non inepte aliquis facetus adscripsit: *Hic Deus nihil fecit.*

# HADRIANI
# ET
# ALIORUM
# AD EUM
# EPISTOLAE.

# DEN VOERSINIGHEN WISEN MAN
# EVERT ZAUDENBALCH
## BORGHERMEYSTER T' UTRECHT
## SYN BISONDERE GOEDE VRIENT.

Eerweerdighe voersienighe wise Heer Borghermeyster.

*Comende t' Antwerpen op sant jans avont laet, heb verbeit des anderen daghes, of ic Gherit u neve, als hy mi toeghesеit had, mochte sien, ende spreken, om 't proces t' ghenighen, ende den Raet daer of t' adverteren, ende t' versekeren van alle dat in die sake ghedaen is; mer en heb hem oft sijn herberghe nijt weten t' vinden: heb soe veel neersticheits gedaen dat ic sinen Procureur ghesproken heb, om t' weten hoe die sake beleyt is. dwelck mi seide dat hy alleen int eynde van d' sake daer toe gheroepen was, claghende dat men hem nijt betaelt en had, ende dat quaet waer t' dienen sonder loen. ic loefden hem sijn woert t' houden dat hy wel gheloent soude werden, biddende dat hy den jonghe by mi brenghen woude om t' moghen comen aen 't proces. ende want ic hem voer mijn vertreck nijt wederom spreken en conste, belasten een mijn goede vrient soe veel t' doen, dat ic scriftelijk alle besceit mochte hebben, waer op ic huden merghen sijnen t' Mechelen noch wesen ontfanghen heb, waer inne hy mi scrijft, als dat die pays ghemaect is met Peter van Tuys, ende dat ic versien woude in den Raet van Brabant, dat men mi gheen peine en stonde als ghi in sinen brif hier inne besloten sien moecht. Daerom, voersienighe wise Heer, wilt mi cortelighe scriven wat daer of is, op dat ic beletten mach dat men in die sake tot meerder costen nijt voert en vaert, ende oic dat ic testificatie mach nemen als van den pays sonder oerlof ghemaect. Hier mede sijt Gode bevolen, ghebiedende altijt over mi in alle dat ic vermach, als over u goede*

 *vrient*

*vrient ende goetwillighe dienaer. Ghescreven haestelijc tot Mechelen den* XXVI[ten] *dach Junii anno* XIIII[e].

U goetwillige dienaer ende vrient

[1] ADRIAEN VAN UTRECHT.



*'T Zegel op root wasch gedrukt ende overdekt met papier daer de brief mede gesloten was.*

# HADRIANO

## EPISCOPO DERTUSENSI

## LEO X. PAPA

*S.*

Quod tuis ad me perhumaniter scriptis literis significavisti, molestissimam tibi fuisse eorum hominum audaciam, qui aperto bello in Reipublicae loca invadere, eaque diripere sunt aggressi, de eo etiam ex Legatorum meorum literis fiebam certior. Equidem valde consolor, cum te hominem & prudentem & gravem, & magna apud Carolum Regem autoritate, non aequissimo animo ferre sentio hanc indignitatem, mederique cupere Reipublicae vulneri, non illi quidem magno aut introrsum adacto, sed tamen vulneri, quod sanari sine Regis tui curatione prope non potest. Itaque cum te de tuo in Remp. optimo amantissimoque animo, quem & mihi, & meis interpretibus ostendisti, vehementer laudo, tum hortor, ut quod laudabiliter coepisti suadere Regi, ut nobis suppetias

1 *Adriaen.* ] Hanc Epistolam ex autographo descriptam communicavit mecum vir Amplissimus & humanissimus *Gerardus Papenbroekius*, saepius inter eos, qui juri dicundo Amstelodami praesunt, adscriptus, Musarum patronus & fautor egregius.

tias ferat, idem insistas pergasque tamdiu facere, dum audacissimi hostes nostri suarum impressionum poenas luant. Totam igitur Reipublicae caussam, vel ipsam potius Rempublicam tibi commendo majorem in modum. Datum Cal. April. MDXVII. [1] Anno quinto Roma.

## PRUDENTI ET PRAECLARO VIRO MAGISTRO JOHANNI DEEL,

Insignium Ecclesiarum S. Salvatoris & B. Mariae Trajectensis Canonico, Domino & Confratri plurimum observando.

## ADRIANUS S.R.E. CARDINALIS.

*Adrianus Papa VI. quando factus Cardinalis, & alia nonnulla.*

[2] Amantissime magister Johannes. In literis datis XXIII. Junii praenuntiasti Dominum Officialem Suggerode in nundinis Daventriensibus circa festum Lebuini comparaturum exactiores trabes. Velit Deus ut securus cum aliis lignis ad Trajectum adducantur. De *Wagenschot* habebit curam Magister Florentius, cui desuper scripsi. Dicetis Domino meo Abbati, etsi forte didicerit, me relatum in Senatum Cardinalium prima hujus mensis Julii, quod ego certe nunquam ambivi, sed postquam Deo & sanctissimo Domino nostro ita placuit, consilio & hortatu amicorum pressus recusare non debui, quin nihilominus non omittet ipse Dominus Abbas comparare necessaria pro aedificio. Etiamsi summus Pontifex essem domum aedificare vellem, & in Trajecto residere. De Domino *Grootvelt* praedilecto meo valde grata est ejus oblatio, & certe ex omnibus ipse plurimum mihi placet propter animi probitatem, vitae honestatem, & mutuam inter nos ab olim contractam amicitiam. Si Dominus Abbas non providit de alio, peto ut ipse inhabitet. Non habeo ipse familiam multam. Bene conveniemus, etiamsi praesens fuero cum



1 *Anno.*] Extat haec Epistola in lib. xv. Epist. Bembi Epist. 3.

2 *Amantissime.*] Haec Epistola edita a Mathaeo in Syllog. Epistol., Epist. CLXXI. pag. CCCCXLVIII.

cum mea familia. Nescio si per retardationem Regii accessus retardabitur meus reditus, aut fortasse jussu Papae. Vellem ob id ut mittatur ad me computus unius anni de Praepositura, & simul status totius fructuum, quid receptum & quid recipiendum, non specifice, sed in summa, videlicet super tali anno recepta est summa LXI. floren. Ren. Restat adhuc recipienda summa tot Renens. Jacobo in Hamburch mittite aliquam pecuniam, cum primum opportune poteritis. Excita vestri ipsius oblivionem, & status vestri memor ero. Non dubito intelligitis quid peto, salutis vestrae zelator & verus amicus. Commendate me ex intimis praecordiis nostro, imo meo Abbati, & suis ac fratrum suorum devotis precibus. Orate illum, ut diligentiam adhibeat in materialibus comparandis, & figat considerationem, ubinam magis conveniat erigere *aedificium*. Videtur mihi paratum inconveniens de rumoribus in Sabbato propter accurrentes currus: ego regulariter mane surgo, & si aeger fuero conferam me ad interiora domus in veteri aedificio. Scribat mihi suam opinionem ac sententiam. Caeterum commendate me humiliter bonae gratiae Reverendissimi domini Trajectensis, omnibus Praelatis, Dominis de Soudenbalch, Burgimagistris & praecipue Domino meo de Montfoort. Hanc promotionem non debeo adscribere Principibus seculi, vel eorum instantiis, sed Deo, & inter homines Pontifici soli. Ego plane recusarem hunc gradum, nisi me premerent amici, qui tales se mihi semper exhibuere, ut turpe ac inhonestum videretur eis contradicere vel non assentiri. Ex Madrid XVI. Jul. Ann. MDXVII. Vester *Adrianus de Trajecto.*

SPECTABILIBUS ET PRAECLARISSIMIS

VIRIS

Magistris nostris Decano & Facultati Theologiae Lovaniensis, amicis tanquam Fratribus. E. P. V. amicus & confrater

# ADRIANUS

CARDINALIS DERTUSENSIS.

Spectabiles, praeclarissimi magistri nostri, amici charissimi. Litteras vestras VII Novembris ad me datas XVI ejusdem accepi, quibus plane

plane explicatis, quae ſit vobis erga Chriſtum affectio, & quis erga ſanctiſſimam ejus fidem zelus.

Vidi errores, quos ex diverſis ſcriptis & tractatibus Lutheri, ſacrae Theologiae Magiſtri, annotatos ad me miſiſtis, qui ſane tam rudes ac palpabiles haereſes mihi prae ſe ferre videntur, ut ne diſcipulus quidem Theologiae, ac prima ejus limina ingreſſus, ita labi merito potuiſſet.

Et ex hoc maxime haereticum ſe probat, quod paratum ſe profitetur, ignem ac mortem pro illis ſubire, & omnem contra ſapientem haereticum eſſe. Taceo cauſſas, quibus de ſingulis articulis declarari poſſet, quemadmodum haereſim contineant, ut prolixitatem vitem in re non ambigua nec neceſſaria. Miror valde, quod homo tam manifeſte, tamque pertinaciter in fide errans, & ſuas haereſes omniaque diffundens, impune errare, & alios in perniciosiſſimos errores trahere impune ſinitur.

Vos certe bene ac laudabiliter facitis, quod peſtiferis hominis dogmatibus (quantum in vobis eſt) obviam itis, doctrinalis condemnationis antidotum illis opponendo, ne illius errata etiam vos involvant, neve rei ſitis apud Dominum animarum, quae occaſione perverſae ejus doctrinae pereunt, quemadmodum fieret, niſi ejusdem doctrinae falſitatem ac perniciem cenſura veſtra ac veritatis manifeſtatione monſtraretis, juxta illud Salvatoris: *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, ſpargit.*

Sed illud imprimis providere debetis, ut in condemnatione per vos publicanda nullum verbum aliter ponatur, quam ab ipſo Auctore ſit ſcriptum, veluti in articulo. Circa vero ſatisfactionem pro *immutare* ſeu *mutare*, ſcriptum eſt, *imitare jus divinum*, errore (ut credo) ſcriptoris, quaſi homo ne divina quidem auctoritate fretus tollere poſſet obligationem de jure divino & natura ortam, nec unquam valeret diſpenſatio in votis, juramentis, & aliis ex quacunque cauſa relaxativa obligationis contractae, quod manifeſte falſum eſt, & omni Eccleſiae conſtitutioni contrarium.

Non ſcribo nunc plura propter occupationes maximas, det Deus ut brevi cum dignationibus veſtris de his & aliis praeſens latius conferre poſſim. Interea tamen non omittam fidei laboranti ſuccurrere in his, quae iſtis malignis temporibus per me fieri ac procurari poterunt.

Valeant diu felices E. dignitates, & me Domino precibus ſuis commendare velint.

SPECTA-

Exſtat haec Epiſtola tom. II. oper. Luther. p.m. xxxv. & laudat Lutherus in reſponſione ad Lovanienſes & Colonienſes, quod *Hadrianus* praemonuerit ne damnarent, quod numquam *Lutherus* dixerat.

# SPECTABILI AC PRAECLARISSIMO VIRO, MAGISTRO FLORENTIO OEM DE WYNGAERDEN,

Utriusque Juris Doctori consultiss. amico tanquam fratri.

Spectabilis Domine Doctor, amice charissime. Scribo impraesentiarum Domino de Nassau, rogans ut vestri misertus velit apud sacram Majestatem Caesaream efficere, ut illae exorbitantes literae contra omnem ordinem juris & justitiae contra vos remissae revocentur, quibus vobis injunctum fuit exilium. Et quoniam multi opinantur, consilio & instigatione Domini Graphiarii eas literas fuisse impetratas, scribo ei ut quemadmodum mihi, dum hic erat, pollicitus fuit, velit inducere dictum Dominum de Nassau ad impetrandam revocationem: Quod ei, ob id facillimum erit, quia ipsius Domini de Nassau consilio vel adhortatione Rex illas fertur dedisse. Ego hic omnia tentavi, & laborem perdidi. Non video remedium nisi ex illa parte, saltem quamdiu in Hispaniis erimus. Mitto vobis ipsarum literarum copias, ut ad eundem intendens, possitis medio Domini de Ysselstein apud eundem Dominum de Nassau laborare. Oravi Dominum Decanum Mechliniensem, ut per securum ministrum mittat ad Dominum de Nassau, & Dominum Graphiarium praedictas literas meas, ut celari non possit quin ad manus eorum pervenerint. Det Deus, ut id operentur, ad quod sunt ordinatae. Ego amotionem exilii vestri & omnem prosperitatem vestram non minus quam vosmet ipsi desidero. Neque quicquam est tam laboriosum, quod non ego promptissimo animo vestri caussa facerem, sicuti vos satis confidere & persuasum habere credo. Commendate me uxori & amicis, ac valete felix & incolumis. Barchionae, XII. Augusti, Anno MDXIX.

*Vester amicus, uti frater*

A. CARDIN. DERTUSENSIS.

*Si in hoc exilio desint vobis pecuniae, utimini meis. Ego mandavi Decano Mechliniensi, ut mea vobis communicet.*

SPECTABILI

SPECTABILI VIRO,

D. MAGISTRO

# LAURENTIO DU BLIOU GRAPHIARIO.

Spectabilis Domine Graphiarie, amice perdilecte. Meministis credo quanta instantia vos rogaverim, ut Dominum de Nassaw velletis inducere ad compatiendum Magistro Florentio Oem, ut possent revocari literae, quibus ei mandatum est, ut infra XXIV. horarum spatium a Dordraco discederet, & non appropinquaret intra distantiam XX. leucarum, eo nec vocato nec audito super iis, quorum occasione mandatum tam exorbitans factum fuerat. Promisit mihi tunc vestra Dominatio, se daturum omnem operam, ut Dominus de Nassaw pietate flexus in eandem veniret sententiam, & bonus Magister Florentius reponi posset adversus praeceptum tam durum. Scioque quod propter absentiam Domini de Nassaw nondum potuistis conficere negotium: nunc vero postquam rediit, concedite, oro, & efficite quam brevissime fieri potest, ut faciat literas illas revocari: quod facile fiet, si unum verbum electo Imperatori nostro scripserit in hominis commendationem, praesertim quia quandoque grata & utilia servitia fecit. Estque de doctioribus & subtilioribus totius patriae Hollandiae: & se ipse offert stare juri, & respondere ad omnia quae illi objici possent, &, si meruit, juxta delicti qualitatem puniri. Precor, agite hac in re syncere non carnaliter. Ego in quibus potero V. D. vicissim libenter & ex corde inserviam. Valete feliciter, & me Dominae uxori vestrae ac filio Magistro Gaspari, filiaeque suo contorali ex animo commendate. Barchinonae, XI. Augusti, Anno MDXIX.

*Vester amicus.*

A. CARDIN. DERTUSENSIS.

Editae sunt hae duae Epistolae a Heinsio Centur. I. Epistol. selectior. illustrium virorum Epist. XCIX. & c. & a Beverw. descript. Dordr. p. CCCXXVIII. & a Balen description. Dordrac. pag. DCCCXI. qui & narrant, quod hic Florentius Syndicus Dordracensis factione quorundam, qui eum Carolo invisum reddebant, jussus fuerit urbe excedere & exulare, Et quod Hadrianus, qui tunc in Hispania degebat, ipsi amicissimus, literis scriptis Henrico Nassovio, qui tunc vices Caroli in Hollandia gerebat, effecerit, ut in urbem revocatus pristinae dignitati sit restitutus. Alteras literas Florentio scriptas ab Hadriano produxit Brantius Histor. Reform. vid supra pag. CCCXCVIII.

# ADRIANO
## CARDINALI DERTUSENSI
## LEO X.

*S.*

Intellexi ex Legati mei literis, qua ſolicitudine eſſes propter vehementem iſtorum populorum motum, cum tibi neque decedere *Hiſpania*, ut ſtatueras, neque manere, quemadmodum voluiſſes, plane licuerit: verſeris autem in maximarum turbarum & moleſtiarum fluctibus, videasque quotidie aliquid eorum, quae te magnopere angunt, propterea quod plurimarum & clariſſimarum urbium & populorum ſtatum, quietemque multorum annorum ſpatio confirmatam ſic labefactant, ut, niſi Dominus prohibuerit, major earum meliorque pars videatur eſſe celeriter ruitura. Equidem pro meo in te amore valde doleo, moereoque tuam vicem. Vellem autem, ut erat quidem aequius, & ut tua virtus bonitasque poſtulabant, te in tuto eſſe hoc ſane tempore tam miſero tamque turbulento, neque tangi commoverique ipſum propter aliorum temeritatem atque inſanias. Sed quoniam ea conditione nati ſumus, omnibus ut caſibus atque periculis propoſita ſit vita noſtra, ferre debes moderate, quae evenerunt, quorum nihil contractum ſit tua culpa, praeſertim cum ipſe ita vitam inſtitueris tuam, ita aliquot jam annos te exercueris magnis tractandis rebus populisque juvandis, nullum ut laborem fugere, per quem illorum ocio conſulas, nullum evitare periculum, in quo ſalus populorum contineatur, honeſte jam poſſis. Hortor igitur te, ut quemadmodum in tempeſtate navium ductores boni atque induſtrii faciunt, qui tametſi vim ventorum ferre non valent, a clavo tamen non recedunt, non tam quidem ut eum curſum teneant, quem volunt, quam re omnino ventis furentibus ſe permittant, citoque pereant: Itaque flectunt illi quidem navim ſaepe vel dextrorſum vel ſiniſtrorſum, cum tamen recta ire cupiant. Sic tu, nunc remittas cenſeo multum de tuo jure populis furore percitis, laxesque de ſeveritate *illa* tua, quam ipſe retinere jam non potes, de juſtitia, quam illi non verentur: de moderatione tua, addo etiam de tuis moribus. Sed nequaquam te ab illorum gubernaculo amoveas, propterea, quod ii ſe regi non ſinant: ſinent enim paulo poſt cum

cum resipuerint, id quod plerumque fert dies, regesque tu illos, & plane duces, quo voles: quod non faceres, si desperavisses, puppimque Hispaniae, in qua nunc es, reliquisses. Quanquam, utcunque se isti nunc tumultus habent, magnam tu certe atque veram & solidam laudem probitatis, prudentiae, continentiae, apud istas nationes consequere, quae te unum ex tot millibus, alienum sane hominem, in tanta rerum mutatione, tanto ardore animorum, & dissensione voluntatum, non solum esse isthic patiuntur, sed etiam precibus omnibus retinent, neque recedere permittunt, ita prorsus colere amareque videntur. Mihi quidem optatissimum accideret, si te tanto ex labore furentibus hominibus serviendi (non enim possum dicere imperandi) tam gravi onere levare, vel meo aliquo magno incommodo & labore possem. Id ego quoniam hoc tempore quemadmodum fiat non perspicio, sperare debes tu Deum Optimum Maximum, cui quidem bene agendo beneque faciendo hostiam maximam facis, tibi certe in istis aerumnis versanti non defuturum. Quod vero ad me attinet, si quid in nobis tibi esse opis & praesidii cognosces, id omne, reliquaque omnia pietati tuae atque virtuti uno verbo pollicemur. duodecimo Cal. Novemb. MDXX. Anno octavo [1] Roma.

## [2] SANCTISSIMO ET CLEMENTISSIMO DOMINO NOSTRO PAPAE.

Post devotissima pedum oscula devotorum. Sanctissime pater, clementissime domine. Quoniam scrutator cordium Deus ad Christianae religionis dignitatem & gloriam, vestram beatudinem virtute, sapientia doctrina & pietate insignem, ob tantam doctrinarum & virtutum ubertatem, ac vitae integritatem, quibus inprimis praestat, & quarum fama reverendissimorum dominorum Cardinalium aures oppleverat, summum Pontificem designavit, tanquam vas novum electionis, congratulamur & applaudimus vestrae Sanctitati, ac universali Ecclesiae, & reipublicae Christianae, & praesertim Ecclesiis & civitati Trajectensi, quibus ex hac promotione bene evenisse putamus. Commune est bonum, communis



1 *Roma.*] Extat haec Epistola in lib. XVI. Epist. Bembi Epist. XXIV.

2 Hanc, ut & eas, quibus Hadrianus respondet, exhibet Matheus tom. VI. Analect. p. CCCLXXX. & Heussen. tom. II. Antiquit. Ecclesiast. p. CXXVI. & seqq.

hic omnibus publica laetitia. Nunquam fuit huic civitati tantus animorum consensus in idem gaudium. Divinitus haec omnia facta credimus. Quia itaque, sicut Domino placuit, ita factum est, ipsum humiliter deprecamur, & die noctuque summa devotione exorare non desistemus, ut vestrae Sanctitati manum suae pietatis porrigat, qua injunctum servitutis Apostolicae officium valeat ad laudem & gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi, ac exaltationem fidei, pacemque, salutemque & tranquillitatem populi Christiani exercere, orantes humillime, quod statum, decorem, privilegia, & promotionem Ecclesiarum nostrarum vestra sibi Sanctitas suscipiat commendata, quem Altissimus conservet ad consolationem Ecclesiae suae sacrosanctae. Ex Trajecto die quinta Februarii anno MDXXII. Vestrae Sanctitatis humillimi & devotissimi Capellani, Praelati & Capitula quinque Ecclesiarum Trajectensium.

# MAGISTRATUS

## TRAJECTENSIS

## EPISTOLA CONGRATULATORIA.

## SANCTISSIMO ET CLEMENTISSIMO DOMINO NOSTRO PAPAE

# HADRIANO DE TRAJECTO.

Post devotissima pedum oscula beatorum, Beatissime Pater, clementissime Domine. Quoniam scrutator cordum Deus ad Christianae religionis dignitatem & gloriam, vestram beatitudinem virtute, sapientia, doctrina & pietate insignem, ob tantam doctrinarum & virtutum ubertatem, ac vitae integritatem, quibus imprimis praestat, & quarum fama reverendissimorum Dominorum Cardinalium aures oppleverat, summum Pontificem designavit, tanquam vas novum electionis, congratulamur & applaudimus vestrae Sanctitati, ac universali Ecclesiae, Reipublicae Christianae & Civitati Trajectensi, quibus ex hac promotione bene evenisse putamus. Commune est bonum, & communis hic omnibus publica laetitia. Numquam fuit huic civitati tantus animorum consensus in idem gaudium.

gaudium. Divinitus haec omnia facta credimus. Quia itaque ficut Domino placuit, ita factum eft, ipfum humiliter deprecamur, ac diu noctuque fincera devotione exorare non defiftemus, ut veftrae Sanctitati manum fuae pietatis porrigat, qua injunctum Apoftolicae fervitutis officium valeat ad laudem & gloriam nominis Domini noftri Jefu Chrifti, ac exaltationem fidei, pacemque, falutem ac tranquillitatem populi Chriftiani exercere, orantes humillime, quod ftatum, decorem, privilegia & promotionem Civitatis Trajectenfis E. V. S^tas^. fufcipiat commendata, quem altiffimus confervet ad confolationem Ecclefiae fuae facrofanctae. Ex Trajecto fub figneto civitatis noftrae, die quinta Februarii Anno MDXXII. E. V. S^tis^. humillimi & devotiffimi Burgimagiftri, Scabini & Confules Cathedralis Civitatis Trajectenfis.

*In eadem Epiftola injecta erat fchedula, haec continens:*

Wilhelmum Hermanni Civem Trajectenfem, latorem praefentium, qui primitias hujus novi gaudii nobis detulit,[1] ultra gratuitatem fibi per nos propterea factam, Sanctitati veftrae plurimum commendamus.

# HADRIANUS

## PAPA VI.

Dilecti filii, Salutem & Apoftolicam benedictionem. Dilectus filius Antonius de Amerongken reddidit nobis litteras veftras congratulatorias fuper affumptione noftri ad fummi Apoftolatus apicem, vivaque voce nobis retulit varia exuberantis laetitiae figna, quae ea de cauffa publice privatimque demonftraftis. Quibus de rebus vehementer exhilarati fuimus, non quidem quia dignitas ipfa Pontificalis, quam nobis gratulabimini, nobis grata effet; quippe quam, ficut nunquam concupivimus,



1 *Ultra gratuitatem.*] Vide quae notavimus ad Cornelii Aurelii allocutionem ad Trajectenfes.

Hanc Epiftolam iisdem fere verbis, quibus praecedens, conceptam, non exhibet Mathaeus. Verum nactus fum eam ex humanitate viri illuftriffimi & ampliffimi Gerardi Papenbroeckii, literatorum Mecenatis & fautoris optimi, qui & tres alias fequentes, fcilicet refponforias, hic Trajecti impreffas mihi tradendas curavit, quae hunc titulum prae fe ferunt. *Brevia Apoftolica Congratulatoria Sanctiffimi in Chrifto patris & Domini noftri Adriani, divina providentia Papae fexti, miffa Decano & Capitulo Ecclefiae Trajectenfis, nec non Praelatis & Capitulis quinque Ecclefiarum, ac Burgimagiftris & Magiftratibus Civitatis Trajectenfis, impreffa Trajecti apud Pontem Sancti Martini per Johannem Bernardi Civem Trajectenfem.*

mus, ita ultro delatam propter oneris annexi immensitatem, vehementer reformidavimus acceptare; sed quod valde nobis placeret in clero civitatis nostrae natalis tantam erga Deum pietatem devotionemque, & tantam erga nos benevolentiam cernere. Itaque cum omnium undique amicorum nostrorum gratulationes nobis acceptae fuerint, vestrae certe nos peculiariter delectarunt. Nimirum sicut patriae communio & prioris conversationis necessitudo arctior nobis inter nos quam inter alios intercedere noscitur, unde fit, ut omnem honoris accessionem nobis hac promotione factam, vestram quoque reputare merito possitis. Verum ne inutilis neve damnosa nobis & reipubli. Christiane sit hujus dignitatis accessio, vestri officii erit sedulas ad Deum fundere preces, ut ipse, qui nos de pulvere ad hanc summam in terris dignitatem sublimavit, vires quoque & robur animae pariter & corporis, ad illam salubriter administrandam, suppeditare dignetur. Experiemini vicissim in nobis eam erga vos & ecclesias vestras indulgentiam, quam optimus quisque pater erga charissimos filios praestare debet. Datum Caesaraugustae sub annulo piscatoris. Die prima Maii MDXXII. suscepti a nobis Apostolatus officii anno primo. In plica erat: *C. Hezius.* Inscripio erat: *Dilectis filiis Decanis & Capitulis quinque Ecclesiarum Trajectensium.*

# COLLEGIO S. SALVATORIS

## H A D R I A N U S

### P A P A VI.

Dilecti filii, Salutem & Apostolicam benedictionem. Quod de nostri in summum Pontificem assumptione, & ipsi adeo ex corde gavisi, & nobis tam amice congratulati fueritis, omnino quidem gratissimum nobis fuit. Sed nequaquam mirati fuimus; fieri enim non potuit, quin quem in minoribus constitutum semper unice dilexistis, confratremque & concivem habuistis vestri amantissimum, eum gestiretis ad dignitatem, quae inter mortales maxima reputatur, & est, exaltatum cernere. Itaque officio quidem vestro vehementer delectati sumus; sed dignitate ipsa propter annexi oneris immensitatem potius animo gravati. Quis enim imbecillitatis suae conscius non horreat tam immensum pondus curarum humeris suis impositum cernere. Itaque sine omni comparatione maluissemus

femus privatam in Praepofitura noftra vitam agere, quam usque adeo fupra humilitatem noftram extolli. Sed Dei fumus. Ejus voluntati refiftere nequaquam poffumus, & quum maximum onus maximam quoque ad ferendum virium fufficientiam expofcit, veftrum erit Deum omnium bonorum largitorem fedulis precibus pulfare, ut ipfe nos Pontificatum hunc taliter adminiftrare faciat, ut inde & gloria fancti nominis fui amplietur, & nobis, gregique fidelium nobis commiffo falutis occafio acquiratur. Caeterum in his quae Ecclefiae veftrae & uniuscujusque veftrum commodum & honorem concernunt, eundem in nobis affectum experiemini, quem in minoribus conftitutis femper experti eftis, fperamusque futurum, ut non videamur de illis effe, qui cum honore mores mutare, & veterum amicorum oblivifci confueverunt. Datum Caefaraugustae fub annulo pifcatoris die prima Maii MDXXII. fufcepti a nobis officii Apoftolatus anno primo. In plica erat *C. Hezius*: Infcriptio erat: *Decano & Capitulo Ecclefiae Trajectenfis.*

DILECTIS FILIIS

# BURGIMAGISTRIS ET MAGISTRATIBUS

CIVITATIS TRAJECTENSIS

# HADRIANUS

PAPA VI.

Dilecti filii. Salutem & Apoftolicam benedictionem. Ex literis veftris, & relatione dilecti filii Anthonii de Amerongen familiaris & continui commenfalis noftri, intelleximus incredibilem laetitiam & exultationem, quam de noftri in fummum Pontificem electione concepiftis, quemadmodum fupplicationes propter hoc ad Deum per vos factae, & largae eleemofynae in pauperes erogatae, & alia exuberantis gaudii figna probe declararunt. Gratiffima fane habuimus officia haec veftra, quod dubitandum non fit ea ex fincera veftra erga Deum pietate, & fingulari erga nos benevolentia profecta effe. Nec mirum eft, fi fumme vos exhilaraverit concivis veftri ad fummi Apoftolatus apicem asfumptio,

ſumptio, quem in minoribus conſtitutum tanta eſtis a teneris annis caritate proſecuti, maxime cum quicquid nobis honoris ac facultatis hac promotione acceſſit, commodis veſtris accreviſſe reputare debeatis. Nos dignitatem hanc nunquam ambivimus, neque ultro delatam gaviſi ſumus, propter immenſitatem oneris, cui vires noſtras longe impares eſſe novimus. Sed poſtquam Deo placuit illam humeris noſtris imponere, formidavimus ejus indignationem incurrere, ſi quietis & commoditatis gratia illud acceptare recuſaſſem, Eccleſiam ſchiſmatis diſcrimini expoſuiſſem. Veſtrum erit frequentibus veſtris ad Deum precibus ſatagere, ut ipſe nobis vires ad ſarcinam hanc alias importabilem, ad ejus honorem ferendam ſupportare dignetur. Nobis viciſſim curae erit, tales nos erga vos, ac inſignem civitatem veſtram ad omnem occaſionem exhibere, ut cunctis palam fiat, nos eam quam debemus patriae & concivium noſtrorum rationem habere. Datum Caeſarauguſtae ſub annulo piſcatoris die prima Maii MDXXII. ſuſcepti a nobis officii Apoſtolatus anno primo. C. *Hezius*.

## LUDOVICUS VIVES

Tom. II. oper. pag. DCCCCXXXIV.

DE

EUROPAE STATU AC TUMULTIBUS

# JOANN. LUDOVICUS VIVES

## HADRIANO SEXTO

## PONTIFICI MAXIMO.

*S.*

Beatiſſime Papa, & Vicarie Dei omnipotentis, deterruit me ratio negotiorum tuorum, ne quid, ex quo auditum eſt te Pontificem Maximum eſſe deſignatum, ad te ſcripſerim. Nam inter tot gratulantium Epiſtolas & voces, nullum putavi literis meis locum futurum. Nunc tandem, remiſſo illo animorum fervore, qui novis magiſtratibus atque hono-

honoribus solet excitari, maturum mihi visum est pauca verba Sanctitati tuae scribere, jam principi sacerdotum, & pietatis Christianae, qui ad Decanum Lovaniensem scripsi, qui ad Episcopum Dertusensem. Neque enim dignitate moveor, tametsi in terris summa ac praestantissima; quam tamen indignis quoque contigisse hominibus scimus omnes. Vir optimus venerabilem reddit optimum honorem, & tum demum prosequuntur homines justa reverentia dignitatem, quum in illo esse vident quem etiam privatum susciperent & adorarent. Rident, qui scelestum hominem, & facinoribus obrutum, Sanctissimum Patrem nominaturi sunt, & dant eum titulum non sententiae animi sui, sed consuetudini loquendi, pudetque Vicarium Christi eum nuncupare, quem suum nemo vellet. At quanta veneratione perfundi putas illos, qui sanctissimum de solis moribus nominassent Pontificem Maximum, veterum illorum similem, in eremo, seminudum, & solum oleribus victitantem. Perstringit oculos nostros fortunae splendor, non cogit animos. Tu quidem ad fastigium rerum humanarum sola vita innocentissime acta evectus, ostendisti locum adhuc esse virtuti, ejusque respectum non prorsus humanis mentibus excidisse. Et, ut liceat verum dicere, superiorum Pontificum vita effecit, ut maximum in terris ornamentum ipse ornasse videaris. Excogitantur tituli consuetorum dissimiles, quibus adearis tu illorum Pontificum, quos nostra vidit aetas, dissimillimus. Ne pigeat haec audire, quem non piget aliter vivere, quam vixerunt illi, nisi velis homines contrarios mores eisdem laudibus honestare. Non impetrabis hoc a libertate publica, ut interea, dum tu illorum vitam actionibus tuis reprobas, nos eam oratione nostra comprobemus. Sed de tuis laudibus & alias audies, & ab aliis doctius, atque accuratius. Nunc a me paucula more meo simpliciter quidem ac imperite accipies, caeterum amoris & observantiae in te meae plenissima. Nam nisi me opinio ac judicium animi mei de humanitate ac mansuetudine tua vehementer falsum habuit, confirmatum tamen plurimis experimentis, non rejicies Romanus Pontifex epistolam ejus, cujus Episcopus Dertusensis non es aspernatus. Neque enim te sic mutavit tanta dignitas, ut virtutes summas ac singulares, quas in te unicas semper laudavimus, semper admirati sumus, quaeque te ad istum ipsum honorem perduxerunt, vel ademerint, vel minuerint. Patieris igitur te paucis admoneri ab aliis forsan peritius; a nullo profecto amantius, quam a me; at quam prudenter aut commode; ipse existimaris, qui ut recto monitori auscultare, ita non capi a pravo didiceris. Idcirco qualiscunque haec admonitio futura est, in te non erit periculosa; nam & bona proderit, & non oberit mala. Quo die nuntiatum nobis est te

amplissimis comitiis Pontificem summum declaratum esse, alii quidem omnes incredibili tenebantur laetitia; ego vero, qui felicitatem humanam non opibus aut potentia metior, non tam gaudebam, quam amici vicem eram sollicitus. Gaudebam equidem contigisse virtuti aliquod ex istis nostris praemiis; si modo non omnia ad subtilem illam, exactamque Philosophorum & Stoicorum praecipue, seu Christianorum verius formulam redigimus. Gaudebam datam aliquando non ambienti, quod ambienti soleret: valuisse tantum virtutem, quantum opes, fraudem, imposturam. Gaudebam tibi, quae meritus es, contigisse, & optimo viro maximum esse mandatum honorem: tum etiam datam tibi occasionem ostendendae, seu, ut aptius dicam, exercendae probitatis & prudentiae tuae, rebus praesertim adeo collapsis, & tanta materia *benefaciendi*. Sed hinc mea nascebatur sollicitudo, esse rem Christianam in eum statum adductam, hinc bellis, hinc turbis ab hominibus prave sentientibus excitatis, ut restitui priori gradui non minus sit operosum & difficile, quam pulchrum & omni laude dignissimum. Tum etiam unde aliis gaudium nasci solet, inde mihi cura suboriebatur, quod praecessoribus tuis melior esses. Ita enim res sunt a multis illorum tam diu administratae, ut quum tibi displiciturae sint, tamen hoc usu & assuefactione tam diuturna mutari a te vix possint; & tamen mutandas esse tu, ac omnes Divi atque homines censemus, mutari omnes cupimus, actu in primis. His de caussis & rationibus non aeque tibi gratulandum censeo, cui contigit altissimus in mortalitate locus. Atque excitandus es, ut modicus iste animus & vere sanctus res amplissimas incipiat cogitare, & isto fastigio congruentes: adhortandus, ne defatigeris in negotio tam vario, tam difficili, tam molesto, quo minus dies ac noctes in id incumbas, quomodo tanto muneri satisfacias, & actionem ad susceptam personam attemperes; ne quum tota tua superior vita summa sit tibi cum laude acta, & ad personas, quas sustinebas, convenientissime, nunc in postremo actu, quod procul absit, deficias, quum plausus excitandus est. Duo sunt, quae a te postulantur atque expectantur: quies ab armis inter Principes, quies a tumultibus inter privatos. Reliqua in praesentia omittam. De his duobus paucula quaedam disseram libere, ut coepi. Equidem scio alia auditu jucundiora, & possem dicere, si vellem; sed haec, quae dixi, ac dicam, usu potiora invenientur. Nemo ex me quaerat: quid tu non apud Pontificem esse putas, qui haec & meliora consulat? Ego vero & plurimos; sed magnitudo Pontificatus facit, ne unquam nimis multi consultores esse videantur; praesertim ubi Pontifici licet, auditis omnibus, quod optimum factu sit, eligere, nec cogitur, ut quemque audivit, ex-

templo

templo id exequi. Nec illa quaestione velim premi: An non melius haec Pontifex ipse? Certe melius multo; sed consilia omnia, & admonitiones tollat e vita necesse est, quisquis non vult prudentiorem moneri a minus prudente. Quis Princeps consuli sibi patietur, ne dicam moneri se, si consultores omnes hoc ipso, quod consulunt, peritiores se ac prudentiores esse prae se ferat, & profiteatur? Itaque audies ipse, quae non ignoras, & hoc magis ad perficienda, quae sanctissime cogitas, excitaberis, quum idem alios quoque cupere intelliges; & erit hic animo tuo stimulus non segnis, quod videas optare homines intus exteriusque tranquillitatem. Nunc vero sic, ut aliis temporibus, quum sola vota faciebant, & optare poterant magis, quam sperare. De te autem tanta est in mentibus omnium opinio, tanta fiducia, ut sperent facile, quod optant, confidant futurum, quod sperant, factum prope credant, quod confidunt. Commovit anteacta vita tua hanc de futuris exspectationem, ut integrum jam tibi non sit aliter agere, quam quod omnes sperant, quam quod universis consensus pro te publicus spopondit; nisi cunctos velut efflagitantes creditores fallere semel sustineas, quod facere non potes sine magna invidia, etiam istius tantae celsitudinis, de qua tam male multi suspicabuntur, ut ejus vitio mutari credant mores eorum, qui illuc ascendunt. Omnes quae scripseris, quae gesseris, norunt. Si tu, quod omnes sibi promittunt, remedium non affers tantis malis, quae poterit esse in posterum spes? Quem fieri optabunt Romanum Pontificem, ut fessis labefactisque rebus succurrat? Meliorem te? At nullus speratur. Parem? difficile inventu: sed mutabitur honore; nam pejoris quid attinet vel meminisse, si meliorem corruperit fortuna? Hic fidem Dei atque hominum implorabis, si quod fueris privatus optimus, non ideo liceat nunc tibi similem esse praecessorum tuorum. Haec est conditio rerum, sic ingressus es in vitam, ut naturae leges mutare non possis. Sapientissimi viri dictum illud est, *duriorem esse conditionem spectatae virtutis, quam incognitae.* Benefacta pro debitis exigimus, quae aliter eveniunt, ut decepti ab his infesto animo reprehendimus. Mediocris virtus illi, a quo nulla certe expectabatur, magnae laudi vertitur; qui vero sui expectationem aliquam fecit, non nisi amplissimis illam factis implet. Quanquam gaudere nimirum debes, obtigisse tibi materiam, in qua ingenium, probitas, prudentia tua possint enitescere, ac exercendo augeri. Nam illa torpent, si quiescant, & vires amittunt, ut ventus in plano concitatus, aut ignis, cui nihil fit obvium, quod incendat. Optabant veteres illi bellum, ut virtutem in eo, vigoremque animi & corporis ostentarent. Optari poterat tibi, sed longe diversa ratio-

ratione. Illi enim vaſtando, ſternendo, occidendo, cladem ſtragemque longe faciendo ac late, magnam laudem, clarum nomen, immortalem parari gloriam arbitrabantur, ut eorum memoria ſacroſancta eſſet mortalibus, qui magnam mortalium partem deleviſſent; & ii eſſent humano generi chari, qui adeo homines oderant, ut plurimos de poſſeſſionibus, de fortunis, plurimos de vita dejeciſſent; & grati bonis hominibus eſſent, quibus ſolum bellum faciebant, latronibus & conſceleratis comitati ac adjuti. Quanto tu rectius, atque ad ipſam hominis naturam accommodatius, amicum te fore hominum genti exiſtimas, ſi eos inter ſe feceris amicos: gratum omnibus, ſi odium ſuſtuleris, ſi effeceris, ut ſuae cuique fortunae, uxor, liberi, amici grati ſint, quod ſola pax praeſtat. Quanto id humanius, rectius, melius, quod *non ſolum* Chriſtiani optimum & ſanctiſſimum factum nominarunt, ſed Ethnici quoque, Senecae omnes, Cicerones, Platones, Socrates. Decet hoc magis & bonum virum, & Chriſtianum & Epiſcopum, & principem Epiſcoporum. Sed profecto ad tantam impudentiam non progrediar, ut etiam de officio tibi tuo praecipiam. Non diſſeram, quid te deceat, nec ex humanitate tua tantum mihi licentiae arrogabo, cui fuerit ſatis, quid abs te ſperent homines, indicaſſe. Quanquam ne hoc quidem ignorare te arbitror; niſi dignitatum gradus, per quos ad iſtud culmen perveniſti, omnem privati hominis cogitationum memoriam ſenſumque excuſſerunt. Recordare quid privatus a novo Pontifice optaris, facile conjicies, quid à te deſideretur. Utinam Principes omnes aliquando in privata vita verſati eſſent, quanto facilius ſubditorum neceſſitatibus obſecundarent? & diſcerent ſuccurrere miſeris, non ignari & ipſi malorum. Nunc contra nati & educati inter regias opes, indulgentiſſima ſemper uſi fortuna, calamitates civium, quia non intelligunt, rident. Ita pro nihilo habent propter ſuam vel rixulam, vel ambitionem, vel avaritiam, vaſtari agros, villas, & oppida exſcindi, populos, gentesque unica belli procella abſumi, florentiſſimas nationes, & firmatiſſima regna funditus interire. Non putant ſe Reges, niſi has afferant humano generi ſtrages. Hinc nomen, hinc gloriam parari ab aſſentatoribus audierunt, qui in publico bono egeni, malis publicis magni, atque potentes ſunt. Nec videre poſſumus ſine gemitu, nec referre ſine lachrymis, greges ſenum & parvulorum abjectos mediis foris, & ante ſacras aedes lamentantes, mediocres, interdum etiam amplas ſuas fortunas direptas ab hoſtibus, nonnunquam ab amicis militibus, & quod indignius eſt, combuſtas. Nam ſi raptae tantum eſſent, hominibus ſaltem prodeſſent. Nunc nova ratio gerendi belli excogitata eſt, ut incendantur

omnia,

omnia. Galli nostra incenderunt, nos nunc victores Gallica: illi rursus per occasionem collecta manu, nostra: finisque sit brevi nominis Christiani, spectaculum Turcae gratissimum, cum nos ipsi ministri simus votorum illius, nisi quod mitiorem illum credo, quam ut sic vellet in nos saevire, aut certe saniorem, quam ut vellet perdere, quae victor possidere posset. Quae sic unquam belligeravit Barbaria, ut nec sibi pateretur prodesse victoriam, nec hosti? Hoc illorum est, qui perditi spem omnem & cogitationem vitae abjecerunt. At nos pulchrum id, si Deo placet, & magnificum ducimus. Hoc demum putamus vincere, si sentiant se victos esse, qui vincuntur, & verum fiat vetus illud a crudelitate quorundam deductum: *quid victis aliud, quam moeror?* Feros & Barbaros populos Graeci Romanique devicerunt, erepta tantum injuriae licentia, & opibus, & artibus, & moribus locupletiores, instructioresque ex victoria reliquerunt; ut praestaret ab ejusmodi magistris vitae vinci, quam illos vincere. Et illa inter se Gentiles, quibus incerta erat animorum immortalitas, nihil dictum de charitate, non unum audierant humani generis parentem, non a divino magistro commendatam atque adeo jussam patientiam, prohibitam vindictam: non audierant ab oraculo, nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur. Nos Christianos a Deo ipso haec omnia edoctos, & inter quos vel leves esse rixas destomachabatur Paulus, nihil pudet tantas strages edere, hominum etiam immerentium, ita ut mitius pugnaturos appareat cum Ursis aut Leonibus, quam cum Christianis. Et ista faciunt, qui inter haec non exhorrent patrem appellare Christum; quum ipsi Christi filios, non fratres, sed hostes esse suos arbitrentur. Nec tremunt, quum proelium inituri vota Christo faciunt, nullius rei magis inimico, quam belli: nempe unius amicitiae praedicatori & commendatori unius disciplinae, pacis magistro, solius charitatis legislatori. *Hoc est*, inquit, *praeceptum meum, ut diligatis invicem.* Quid igitur praeceptori charitatis cum tot animis odio tumentibus, & exulceratis? ut si quis, quae Christus praeceperit, cum iis, quae nos agimus, conferat, commentitiam nos & ridiculam agere fabulam juret, quum sacris intersumus, quum Christiani & dici & haberi volumus. Scio quid jam dudum ista legens cogites: vellem, si per illos liceret. Fortassis rem invidiosam dicam, sed certe non minus veram, & ad praesens institutum in primis utilem. Haec tibi scribuntur uni: quo apertius & simplicius loquar, eo me existimare debes tui decoris & publici commodi studiosiorem, qui contempta propria utilitate, etiam cum invidia moneam, quae in rem esse tuam communemque videantur. Sunt, Beatissime Pater,

nonnulli docti homines, qui proximi & probati Principibus, magnaque apud illos auctoritate, quum de bello consuluntur, ita de justo & *injusto* bello differunt; ut facile ex eorum oratione ansam Principes, alioqui in suos affectus proni & praecipites, arripiant existimandi quodlibet bellum, modo placeat, justum esse. Praetextus & colores nunquam desunt, dum non desit facultas & occasio. Qui si aliter censerent, ac disputarent, injecta in Principum animos religione, cohiberent ac revocarent homines ad arma proclives, & affectionibus impulsos. Tuum est, Pater sanctissime, ex praeceptis nostrae pietatis, quorum interpres mundo praesides, docere & Principes, & Principum consultores, *bellum* hoc inter fratres, & quod plus est, initiatos eodem baptismate, iniquum, sceleratum esse, contra fas, contra pium: nec secus *quam si* membra corporis ejusdem inter se dimicent, ex Pauli doctrina, juxta quam apud Deum jam non est Graecus, aut Judaeus, aut Gallus, aut Hispanus quisquis per CHRISTUM renatus est, sed nova creatura. Quod qui cogitant, & exequuntur, pax super eos. Si tu ita doceas, primum tantus Theologus, deinde vir optimus, tum Princeps nostrae religionis: si ita statuas Vicarius in terris maximi Dei: quis in contrarium vel tantae eruditionis disputare, vel istius edicti niti, aut sine impietate poterit, aut sine noxa audebit? Sed hoc loco sint ista nobis satis dicta. Nunc ne te publico bono occupatum diutius interpellemus, paucis de quiete religionis nostrae agendum est, & eo parcius ac modestius, quod apud summum Pontificem, & virum tanta doctrina verba facimus. Vides qualicunque coeperint affectu, progressos tamen esse homines quosdam extra vetita septa, & firmata partim divinis legibus, partim antiquae Ecclesiae consensu ac ritu ausos impetere. Huic malo quemadmodum subveniendum sit, non crediderim te ignorare. Vetus verbum est, civitatis imperandi prudentissimae imperium eisdem artibus *retineri*, *quibus* initio partum sit. Repetamus origines illas magnitudinis hujus Ecclesiae, quid nobis modo faciendum sit, ibi videbimus. Quorum vel tutius, vel commodius exempla possumus sequi, quam eorum, quibus ita opitulata est virtus divina, ut haec ex parvis initiis tam aucta nobis reliquerint? Omni memoria tumultibus Ecclesiae occursum est, indictis conventibus Patrum, quod generale Concilium vocamus. Haec una est medicina morbis etiam, qui deplorati putabantur. Ibi expositis vel querelis, vel rationibus, quibus adducti erant, qui parum recte sentirent, cognitis morbis praesentia remedia adhibebantur. Nulli morbi periculosiores sunt, quam qui latent. Nulla sanies noxia magis, quam quae non exprimitur. Multas inimicitias ad capitale odium adultas scimus, quod

vel

vel occultae creverint, vel purgare virus expoſtulando aut jurgando non licuerit: coiiſſe in amicitiam videmus, qui rixa aliqua conceptum dolorem effuderunt. Hinc illud vulgare:

*Animantium iras eſſe amoris redintegrationem.*

Ferunt aliquot & noſtra & patrum memoria Pontifices, Concilium non ſecus ac venenum devitaſſe, quod dicerentur vereri, ne aliquid ſuae potentiae fortunaeque, conſtitutis cleri moribus, detraheretur. Male cuſtodit potentiam metus. Etſi ſaepe ſuſpectus quis ſit, pro manifeſto habetur. Quale argumentum eſt innocentiae, refugere coetus, & libera judicia? non exiſtimare ſe tutum fore, ſi de meliore rerum ſtatu conſulatur? Neque id ignorant multi: idcirco ſignum conſcientiae interpretantur, etiam ubi culpa nulla ſubeſt, quod in disquiſitionem prodire non audent. Tibi vero nihil tale metuendum eſt. Primum in iſta animi tui moderatione, quae libentius laetiusque ſine tanto fortunae ſtrepitu viveret: deinde in moribus ſanctiſſimis ac orbi univerſo ſpectatiſſimis: poſtremo in conſcientia mentis tuae, quae quum non terret, omnia undique ſecura ſunt. Ergo expedit indici commune toti Chriſtianae genti Concilium, eo loci, ad quem ſi quis non venerit accerſitus, non loco videatur diffiſus, ſed conſcientiae. Ibi humanis omnibus ſepoſitis affectibus, ſumptis tantummodo Chriſtianis, hoc eſt divinis, de tota cauſſa gravius & accuratius cognoſcatur. Quaeret aliquis: Quod igitur? an non graviſſime eſt jam & diligentiſſime cognitum? Ut maxime ſit: quid tamen illis facias, qui hactenus privatis tantum premi ſe auctoritatibus, nulla publica, nulla ſatis gravi exiſtimant? Iſtis eſt aliquid dandum, & non contemnenda tot animarum millia, pro quibus Dominus paſſus eſt. Quanto tumultu, quibus apparatibus una Turcarum civitas oppugnaretur? ex qua alii diffugerent, ne baptiſarentur, alii baptiſati ſuum ſemper retinerent Mahumetem, pauci boni eſſent: Ecce tibi tot civitates baptiſatas, deflexas de via, ſuſcipiatur laboris aliquid, ut ſenſim redeant in viam: praeſertim cum facilis ſit initio opera, quae nulla proficiet, ſi res (quod avertat Deus) invaleſcat, & tempore vires atque incrementum ſumat. Neceſſaria res eſt Concilium, etiamſi haec tempeſtas non incidiſſet. Eadem opera multa poterunt fieri compendia, multis obviam malis ibitur. Alia ſunt etiam complura, ſuper quibus oportet in Eccleſia conſultari. In eo Concilio magna cum placiditate animi ac commoditate, quemadmodum faciendum eſſe probe noſti, de iis ſolis & inquiratur & ſtatuatur rebus, quae ad ſummam pietatis ſpectant, ad ſanctos mores. Alia quae in utramque partem disputata, contentionem

nem possent scholis suppeditare, nec ullam facit, quomodocunque definiantur, vel religio jacturam, vel bonorum morum institutio, in Gymnasia, & disputantium circulos, liberasque opiniones, & sectarum placita referantur. Ne dum omnia mordicus apprehendimus, non tam dicta videamur damnare, quam dicentem: & quum aliquid fortasse dubium pro certo atque explorato, aut indifferens pro necessario tradimus, fenestram pravis & versutis hominibus, sinistreque omnia interpretantibus aperiamus, suspicandi pleraque omnia esse talia, nosque incomperta pro certis affirmare: quae suspicio quantum hactenus adversarios adjuverit, dici non potest. Dum enim quivis tanquam ruenti Ecclesiae conatur opem adferre, atque illam ceu Atlas quidam fulcire, fragiles & putres bacillos subjecit, qui etiam inter admovendum confracti sunt. Ea dixerunt atque asseverarunt, quae partim ambigua pro certissimis tradita, partim frivola pro solidis, alias ridicula pro maxime seriis, pro verissimis vanissima, ex coeno quorundam libellorum hausta, pondus ac robur suae caussae detraxerunt, addiderunt contrariae: ut non aliter viderentur facturi, si praevaricari, & acuto vafroque ingenio adversariis caussam prodere in animum induxissent: alii concionibus, alii privatis colloquiis, alii scriptis. Ex quibus fuere quidam, qui nec suis, nec adversarii perpensis viribus, cum fortiore congressi, vehementer caussam totam afflixerunt: quum ex illis omnes censerentur, alii ad hoc inducti sunt pietate quidam, sed inconsulta, & zelo Dei, sed non secundum scientiam: nonnulli quod ea sit ipsorum existimatio de re, ut neminem credant adfuturum, si absint ipsi. Quemadmodum dixisse olim quendam accepimus: *Si ipse eam, quis manebit? sin vero maneam, quis ibit?* Sunt qui non nihil vel a populo captabant aurae, vel auri a potentibus, rati juxta Pauli sententiam, *quaestum esse pietatem.* Inter haec quis locus ad scribendum magno viro, & aliquid allaturo utilitatis? quum tanta turba etiam claros occultet, dum nemini omnes vacat cognoscere: nec sit, qui optimum quemque & legi dignum judicet; unoquoque se, aut eum, cui addictus atque adjuratus est, reliquis praeferente, nec contentus suo suffragio extulisse, aliena promit, injuriamque interpretatur non modo si cui secundus habeatur, sed etiam si secundus exiguo subsequatur intervallo. Ita res geritur privatis commodis, non publicis; nec spectatur quantum quisque possit juvare in commune, sed quantum pecuniae rediturum est, vel nominis. Ergo magni viri partim indignitate despondent animos, partim desperatione profectus tacent. Prima debebat esse cura, ni ego fallor, ac nunc debet esse, ne quilibet passim scribat. Deligantur prudentissime, atque acerrimo judicio, qui hoc agant; & qui

scri-

ſcribant, aſſumant ſecum judicium in conſilium, non impetum: Chriſtum, non humanam libidinem: coeleſte praemium, non divitias: laudem a Deo, non ab hominibus: eorumque ſcripta Concilium univerſae Eccleſiae accuratiſſime examinet, ut communi conſenſu, quae videbuntur, approbet, aut confirmet, reliqua partim rejiciat, partim, ſi ambigua fuerint, vel obruat ſilentio, vel tanquam materia detur ingeniis exercendis. Haec ego, Beatiſſime Pater, multis praetermiſſis, & aliud in tempus dilatis, Sanctitati tuae auſus ſum ſcribere: non fiducia ingenii aut prudentiae meae, quaſi meliora ipſe mihi inventurus viderer, quam alius quivis; ſed probitatis, & manſuetudinis animi tui, quae ultro ad ſe plurimos invitat: tum amore publicae Europae totius concordiae, quam non poſſum non ingemiſcere ſic inter ſe diſciſſam, tanto omnium damno conflictari: populum, quem Chriſtus ſanguine ſuo redemptum, unum in corpus charitate velut glutino quodam coagmentari praeceperat. Poteram de tuis laudibus longiſſimam orationem contexere, nihil admonendo. Id forſan aliis Pontificibus gratius fuiſſet. Sed eo liberior, & procul magis omni aſſentatione fuit animus, quod ad te haec mittenda erant, & nulla opum ſpe ducebar, tametſi tibi ampliſſimae ſuppetunt, tantum amore in te veteri ac confirmato, & obſervantia in iſtius tuae dignitatis non ditionem, ſed majeſtatem. Tuum erit boni conſulendo praeſtare, ne mihi vel inconſultus amor, vel immodica pietas fraudi ſint, neve commeruiſſe videar, dum bene mereri ſtudeo. Reliquum eſt Chriſtum maximum obteſtari, ut quaecunque ſtatueris, approbet, feliciterque evenire ſinat. Vale, Beatiſſime Papa, & vere ſancte. Lovanii XII. Octobris MDXXII.

[1] DILECTO FILIO, NOBILI VIRO

# FREDERICO DUCI SAXONIAE,

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI ELECTORI ETC.

## HADRIANUS PAPA VI.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Audito per vos nuper nobiliſſimum Germanorum Principum conventum Norimbergae habendum, laeti id, ac multo laetius accepimus Nobilitatem tuam eo conventuram eſſe. Ubi enim tot orthodoxi Principes in Domino congregentur, tuque in primis accedas, ſperandum eſt ibi de univerſali fidei Chriſtianae commodo & ſalute, aut potius de tot malorum remediis tractandum ac providendum eſſe.

Ea de cauſa ne nos pro noſtro paſtorali officio tam ornato conventui deeſſemus, ſtatuimus de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio Nuncium iſtic Apoſtolicum, apud iſtam inclytam nobis ſemper dilectam nationem poſtea remanſurum, mittere.

Qui dum ſe expedit atque accingit, juſſimus interea dilectum Filium *Hieronymum Rorarium*, familiarem & Camerarium noſtrum, exhibitorem praeſentium, eo praecurrere, cui quidem in mandatis dedimus, ut Nobilitatem tuam, quam in minoribus conſtituti peculiariter dileximus, ſumusque deinceps paterne dilecturi, adeat, noſtramque ei ad commune bonum propenſam voluntatem exponat, plenius ab illo qui ſubſequetur ad explicandam.

Nos autem Nobilitatem tuam pro ſuo officio, cum ſacri Imperii Romanae Eccleſiae advocati membrum atque Elector ſis, paterne hortamur, & ex animo requirimus, ut ad dignitatem Apoſtolicae ſedis, imo ſalutem & tranquillitatem totius Chriſtianae Reipublicae, ſanctamque fidem tuendam incumbas, ſicuti tui majores, quorum gloriam in caeteris auxiſti non minuiſti, incubuerunt, & Te incubiturum confidimus. Haec autem *Hieronymus* ipſe pluribus verbis explicabit, cui ſuper his cupimus a Nobilitate tua fidem adhiberi. [2] Datum Romae apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris. die V. Octobris anno MDXXII. Pontificatus noſtri anno primo.

HADRIANUS

1 *Dilect.*] Exſtat haec Epiſtola in tom. II. Oper. Luther. p. m. CCCLIII.

2 *Datum Romae.*] De his literis vid. Seckend. lib. I. Hiſt. Lutheran. ſect. LVI. §. CXLI.

# [1] HADRIANUS

## PAPA VI.

### ILLUSTRISSIMIS GERMANIAE PRINCIPIBUS, AC S. R. IMPERII PROCERIBUS, IN CIVITATE NORIMBERGA CONGREGATIS, S. ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

[1] Venerabiles fratres & dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſtquam ad Apoſtolatus officium, divina diſponente providentia, aſſumti ſumus, teſtis nobis eſt ille, qui nos ut immeritos, ita nil tale exſpectantes, promovit, nil nos aliud [2] diu noctuque cogitaſſe, quam ut in curando grege nobis credito tam in univerſum, quam ſingulatim, boni Paſtoris partes modis omnibus impleremus, atque adeo nullam exiſtimaſſe e noſtris ovibus tam morboſam, quam non pro viribus curare, nullam tam vagam, & a caeteris errantem, quam non [3] perquirere, & ad Dominicam caulam reducere ſummopere cuperemus.

Et ſane ab ineunte ſtatim Pontificatu noſtro (quod tum potiſſimum expedire videbamus) Chriſtianorum Principum animos, heu nimis jam inter ſe diſſidentes, ad pacem & concordiam ineundam, deponendaque arma, (aut ſi bellandum eſſet, ea in fidei hoſtes convertenda) tam per diverſos Nuncios noſtros, quam per quotidianas fere literas hortari, animare, precari, hactenus [4] nunquam deſtitimus. Et ne verbo tantum, ſed re ipſa hujus noſtri deſiderii ederemus exempla, Deus ſcit, quanto rei noſtrae familiaris, his praeſertim temporibus, incommodo, pecunias & alia ſubſidia ad Rhodienſes milites, ſtrenuos fidei propugnatores, ab immaniſſimo Turcarum tyranno atrociter obſeſſos, ac in alia etiam loca, in ejuſdem hoſtis faucibus periclitantia, miſimus.

[1] Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Filiis, nobilibus viris, Eccleſiaſtici & Politici ordinis Electoribus, & plerisque Principibus & ſtatibus ſacri Romani Imperii Norinbergae in conventu congregatis Hadrianus Papa VI. L.
[2] die L.
[3] Requirere L.
[4] non L.

Mox vero ab externis ad inteſtina animarum advertentes, non ſine gravi animi moleſtia percepimus *Martinum Lutherum* (quem



ſua

1 *Hadrianus Papa* VI.] Hanc Epiſtolam exhibet Wolfius tom. II. Lection. Memorab. & exſtat in tom, II. oper. Luther. p. CCCLIV. & in quibus variat ab illa quam Wolfius habet, in margine adnotavimus.

ſua culpa jam filium noſtrum vocare non poſſe dolemus) hominem veterum & jam damnatarum haereſium ſuſcitatorem (poſt ſedis Apoſtolicae paterna primum monita, deinde etiam non absque conſilio optimorum & doctiſſimorum virorum, & diverſarum Univerſitatum legitime contra eum latam ſententiam, poſt chariſſimi in Chriſto filii noſtri *Caroli*, Romanorum & Hiſpaniarum Regis Catholici in Imperatorem electi, & veſtrum Imperiale Edictum ſuper ejusdem ſententiae executione, in proximis Comitiis Wor-
[1] Maturo L. maciae habitis [1] mature decretum, & per totam fere Germaniam promulgatum) non modo, per quos deceret, non punitum, aut per ſe cohibitum, a praviſſimis inceptis non deſiſtere; ſed omnis Chriſtianae charitatis & pietatis Euangelicae non oblitum modo, ſed & impie contemnentem, novos quotidie libros errorum, haereſium, contumeliarum, ac ſeditionum plenos, ſive
[2] De L. de ſuo, ſive [2] ab aliis adjutum, divulgare, ac veluti peſtem quandam Germaniam & vicinas regiones longe lateque perva-
[3] Bonos L. dentem, venenatae linguae ſpeculis [3] bonas & [4] animas &
[4] Animos L. mores inficere & corrumpere conari, & quod pejus eſt, [5] ho-
[5] Deeſt apud L. rum ſuorum facinorum non plebejos modo, ſed & nobiles pleroſque habere fautores; adeo ut (quae fortaſſe iſtorum tumultuum primaria fuit cauſſa) in ſacerdotum bona iri, & obedientiam tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus debitam, vilipendi coeptum ſit, & tandem inter nonnullos veſtrum ad civilia bella deventum. Quod quam male cadat Chriſtianae Reipublicae, hoc praeſertim tempore, mente & cogitatione facile proſpicere poteſtis. Etſi enim praedixit Apoſtolus, *oportet haereſes eſſe, ut ii, qui probati ſunt, manifeſti fiant*, nullum tamen videas tempus
[6] Importunum L. huic rei magis [6] opportunum, quam hoc, aut quod citius ab haereſibus, ſi quae ortae ſunt, neceſſario veniat repurgandum. Quum enim humani generis perpetuus hoſtis Diabolus, ſub Leonis rugientis ſpecie, per Turcarum vires in Chriſtianas oves continue debacchetur, non videmus quomodo contra tantos impetus obſiſtere poſſimus, quamdiu eundem Dia-
[7] Deeſt apud L. bolum, ſub Draconis ſubdoli forma iſtas haereſes [7] domi noſtrae diſſeminantem, interque fortiſſimos Germanos noſtros discordias & ſeditiones ſuſcitantem, fovebimus. Atque ut etiam debellare externos hoſtes maxime poſſimus, irritus tamen fuerit labor impenſaque, & animarum ſaluti minime utilis, foris hoſtes vincere, & domi haereſibus ſchismatibusque laborare. Memini-

minimus, [1] cum etiam in minoribus constituti in Hispania [1] Etiam num cum
essemus, multa ad nos & varia de *Luthero*, & ejus perversis L.
dogmatibus frequenter perferri. Quae cum per se durissima auditu, eo nobis duriora videbantur, quod ex ea regione venirent, unde nobis secundum carnem origo est.

Sed solabatur nos tum rei ipsius adeo manifesta vel iniquitas vel [2] soliditas, ut a nemine diu toleranda crederetur, tum [2] Stoliditas L.
illa subinde nobiscum facta reputatio, qua [3] procul dubio [3] Deest
confidebamus istas venenatas plantas, aliunde in Germaniam apud L.
translatas, non perventuras ad frugem in ea terra, quae acerrimos haeresium, & omnis infidelitatis hostes semper protulisset. Nunc vero postquam haec mala arbor (sive divino judicio sic populi sui peccata puniente, sive socordia eorum, qui, ut debebant & poterant, principio non obstiterunt) quos videtis & auditis, longe lateque ramos expandere coepit, considerandum vobis est, [4] Germani Principes & Populi, ac providendum, [4] Germaniae L.
ne vos, qui ab initio, hujus mali culpa aliunde orta, facile excusari poteratis per istam nimiam tolerantiam, & pristinae virtutis naturaeque obliti, & tanto facinori, dum illi non resistitis, consentire videamini. Omittimus, quod enormissimum est, tantam tamque religiosam nationem per unum fraterculum (qui a Catholica fide & religione Christiana, quam ab ineunte aetate non solum profiteri, & sequi visus est, sed etiam multis annis praedicasse ac docuisse [5] dicit, novissime infeliciter aposta- [5] Dicitur L.
vit, ac Deo mentitus est) seduci ab ea via, [6] qua a Redem- [6] quam L.
tore nostro & ejus sanctissimis Apostolis [7] demonstrata, tot [7] Demonstratam L.
martyres, tot praeclari doctrina & sanctitate viri, & majores denique vestri omnes hactenus incesserunt. Quasi solus *Lutherus* sapiat, & sciat, solus nunc primum (ut de se haereticus *Montanus* [8] gloriabatur) Spiritum Sanctum acceperit, & Ec- [8] Gloriatur L.
clesia ipsa, cum qua se futurum ad consummationem seculi benignissimus humani generis Redemtor pollicitus est,) in tenebris ignorantiae & perditionis ambagibus semper erraverit, donec novo *Lutheri* lumine illustraretur. Quae omnia quamquam apud eos, qui sapiunt, perridicula judicantur, simplicibus tamen animis plurimum sunt perniciosa, & eis, qui novarum rerum cupiditate omnem ordinem immutatum vellent, plurimas ad ea perpetranda, quae nunc experimini, caussas & fomenta subministrant. An non consideratis, [9] Germani Principes & Apo- [9] Germaniae L.
stoli,

ſtoli, praeludium eſſe quoddam hoc eorum malorum, quae *Lutherus* & ejus ſectores moliuntur? An non aperte videtis, iſtud praetenſum principio a Lutheranis veritatis Euangelicae patrocinium, detectum nunc, eſſe rerum veſtrarum merum latrocinium? An putatis alio tendere iſtos iniquitatis filios, quam ut libertatis nomine omni obedientia ſublata, quod cuique libuerit, faciendi licentiam inducant? An ullius penſi juſſa & leges veſtras habituros creditis, qui ſacros canones & Patrum decreta, nec non ſacroſancta Concilia, quorum authoritati Imperatorum leges ſemper & libenter ceſſerunt, & promte famulatae ſunt, non ſolum vilipendunt, ſed etiam Diabolica rabie lacerare & comburere non verentur? Denique, qui Sacerdotibus, qui *Episcopis*, qui Pontifici ſummo debitam obedientiam detrectant? An ſperatis contenturos ſacrilegas manus a Laicorum bonis, & non omnia potius ſibi, quae poterunt, vindicaturos, qui res Deo dicatas quotidie, vobis praeſentibus [1] & videntibus, ferunt aguntque? An denique veſtris cervicibus [2] parſuros, qui non tangendos Chriſtos Domini [3] contemnere, caedere, trucidare auſi ſunt? In vos, in veſtras res, domos, uxores, liberos, ditiones, dominatus, templa, quae colitis, haec miſeranda calamitas tendit, niſi mature obviam eatis. Proinde fraternitates, nobilitates, & devotiones veſtras omnium & ſingulorum in Domino hortamur, & per Chriſtianam charitatem & religionem, quam tam ſaepe majores veſtri ſuo ſanguine & tutati ſunt & auxerunt, obſecramus, atque in virtute ſanctae obedientiae, quam Deo, & beato *Petro*, ejusque Vicario omnes Chriſtiani debent, a vobis requirimus, ut depoſitis, ſi quae ſint inter vos, ſimultatibus, ad hoc commune incendium extinguendum nunc ſaltem toto animo incumbatis, & *Martinum Lutherum*, caeterosque iſtorum tumultuum & errorum autores, ad rectam ſentiendi & vivendi viam (quod nobis gratiſſimum & jucundiſſimum eſſet) omnibus ſanctis modis reducere enitamini. Quod ſi (quod avertat Deus) veluti aspides, obturatis auribus, audire recuſaverint ne quod reliquum & nunc ſanum conſtat, cum magna & evidenti nationis veſtrae macula, & totius Reipublicae Chriſtianae manifeſto periculo inficiatur, in eos juxta ſacras conſtitutiones, juxta leges a veſtratibus Imperatoribus latas, atque adeo recens veſtrum ſuper hac re Imperiale edictum, ſeveritatis virgas animadvertatis. Novit ille, cui ſola arcana humanorum pectorum aperta ſunt, quam

[1] Deſunt apud L.
[2] Parcituros L.
[3] Contemerare L.

quam nos & pro natura nostra, institutoque & pro pastorali, quod gerimus, officio, ad ignoscendum potius, quam ad ulciscendum simus propensi. Sed ubi [1] tetrum illud [2] carcinoma ita hulcerosum esset, ut blandis levibusque medicamentis curari non posset, aspera erunt & ignita cauteria adhibenda, & abalienata membra ab integro corpore penitus resecanda. Sic Deus omnipotens schismaticos fratres *Dathan* & *Abyron* in terrae barathrum vivos demersit, & nolentes obedire sacerdotis imperio, capitali supplicio puniri jussit. Sic Apostolorum princeps *Petrus Ananiam* & *Saphiram*, sibi in Deum mentientes, subito morituros denunciavit. Sic veteres & pii Imperatores *Jovianum* & *Priscilianum* haereticos gladio seculi sustulerunt. Sic *Divus Hieronymus Vigilantium* item haereticum optat in interitum carnis tradi, ut spiritus salvus fiat. Sic denique majores vestri de *Joanne Hussita* & *Hieronymo Pragensi*, qui nunc in *Luthero* revivixisse videntur, a quo & in summa habentur veneratione, in Constantiensi Concilio debitas sumsere poenas Quorum sancta & praeclara gesta, si etiam hac in parte (ubi aliter fieri nequeat) fueritis imitati, non [3] dubitamus, quin divina clementia ad eundum mox suppetias Ecclesiae Dei (quae ab infidelibus vexata in nationem vestram, virtute bellica, & hominem numero facile praestantem, [4] oculos jam diu intendit) sensus & corda vestra inspiret, unde omnipotentis Dei, & beati *Petri* benedictione per nos accepta, & de triumphato Dracone ac Leone Diabolo, id est, sublatis domo haeresibus, & devictis foris fidei hostibus, gloriosam victoriam, & in futuro seculo aeternae salutis praemia reportetis. Vos vero pro compertissimo habeatis, quicquid nobis opum & auctoritatis Altissimus concedere dignatus est, id omne & vitam ipsam pro tam sanctis operibus, & pro salute commissarum nobis ovium libentissime exposituros. Caetera, quae tam in hoc Lutherano, quam aliis negotiis particularibus vobiscum communicata cupimus, dilecto filio *Francisco Cheregato*, electo [5] Aprutini, quem nuper mense Septembri ad negotia fidei & religionis nostro nomine vobiscum tractanda, nostrum & hujus sanctae sedis Nuncium, ad insignem istum conventum ire jussimus, vobis latius [1] explicanda commisimus, cujus verbis hortamur vos

[1] Deest apud L.
[2] Cancer L.
[3] Dubitabimus L.
[4] Os oculosque L.
[5] Aprutiensi L.

1 *Explicanda commisimus.*] Mandata, quae p. CCCLXXV. & seqq. Hadrianus Legato suo dedit, vid. supra p.

[1] Adhibete L. vos eandem, quam noſtris haberetis, fidem [1] adhibere. Datum Romae apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XXV. Novembris MDXXII. Pontificatus noſtri anno primo.

T. HEZIUS.

BREVE

# HADRIANI

PAPAE VI.

AD

## FREDERICUM SAXONIAE DUCEM

ADVERSUS

# LUTHERUM.

[1] Ex tomo XIV. Concil. General. Labbaei pag. CCCCII.

*Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Satis & plus quam ſatis ſuſtinuimus, dilecte in Chriſto, ſi forte Dei pietas tuam animam dignetur inviſere, ac dare poenitentiam ad cognoſcendam veritatem, ut reſipiſceres a Diaboli laqueis, a quo captivus detineris. Novimus te paterne monitum a felicis recordationis praedeceſſore noſtro, ut a te ſeparares perniciem illam Chriſtianae religionis *Martinum Lutherum*: & cum jam toti orbi manifeſtae eſſent ſceleſtiſſimae machinationes illius, ſperamus & te ad cor poenitens reverſurum.

Jerem. VI. Sed quoniam expectavimus uvas, & *ecce quia fruſtra conflavit conflator, malitiae enim tuae non ſunt conſumptae*, coegit nos miſeratio tui, coegit paternus amor, quo te & tibi ſubditos Saxones in Domino ſemper fuimus proſecuti, ſalutaribus & paternis

1 *Ex tomo.*] Hanc Epiſtolam totam quoque exhibet Chapeavillus in tom. III. de Geſtis Pontificum Leodienſium p. CCLXXIX. ubi eam *doctiſſimam & paternae benevolentiae pleniſſimam* nuncupat.

ternis monitis adhuc convenire, ut vel tandem resipiscatis, antequam plane in vos conveniat, quod mox subdit Propheta: *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit eos.* Ibidem.

Et quid dicemus vobis, quam quod Galatis suis Paulus? *O insensati, quis vos fascinavit veritati non obedire? Currebatis bene, interrogate patres vestros, ac dicent vobis: majores vestros, & interrogabunt vobis*, quod ab ea aetate, qua uno eodemque tempore vixere Hadrianus Romanus Pontifex, & Carolus ille Magnus Imperator, Saxonicae fidei plantatores, ad nostra usque, & carissimi in Christo filii nostri Caroli tempora, avi & proavi vestri, atque adeo Saxones, semper habiti estis veluti pacis amatores, fidei propugnatores, per omnia obedientiae pacifici filii: talesque, ut non immerito Gregorius v., natione Saxo, olim Romanus Pontifex, Saxoniae Ducem in Romani Imperatoris constituerit Electorem. *Quomodo ergo tam cito mutatus est color optimus? Cur tam facile transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt quidam, qui vos conturbant, & volunt convertere Euangelium Christi? Quis vineam Domini Sabaoth tam pulchre plantatam est demolitus? Certe exterminavit eam aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam. Sed vae illud a vobis, a domesticis & amicis, a cruciatu praecordiorum.* Observamus te fili dilecte in Christo, leva oculos tuos in directum, & vide ubi sis prostratus.

Galat. III. Deut. XXXII. Galat. I. Jesaiae V. Psalm. LXXIX.

Considera quantam Ecclesiae Christi, tot malis undique circumvallatae ac pene oppressae, pro opera qua illi subvenire debueras, cladem insuper intulisti. Oppugnatur foris ab infestissimo illo ac potentissimo Christiani nominis hoste. Diffident intus Principes Reipublicae Christianae, & in mutuam armati perniciem, cruentissimis inter se odiis confli&ctantur, & in fraterna viscera ferrum stringunt, ut vix Ethnici inter se crudelius. An haec ita tibi visa sunt non satis gravia, nisi contritionem induceres super contritionem, nutriens ac fovens serpentem illum in sinu tuo, qui veneno linguae suae Ecclesiam & terram infecit adeo, ut nunc pervenerit gladius etiam usque ad animam? Quanto autem pluris est anima quam corpus, tanto gravius est praedictis omnibus horrendum illud & plus quam Tartareum venenum, quo haereseon ac schismatum contagione tot myriades animarum interierunt, intereuntque. Ita tibi debemus omnes,

quod nunc passim ab unitate matris Ecclesiae receditur: quod avertatur vulgus indoctum, ac bis mille praestigiis ac fascinationibus retrahatur a fide, quam suxit ab ubere materno: quod Basilicae sint sine plebibus, plebs sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia, & sine Christo denique Christiani: quod sacramenta fidei non sacra censeantur: quod sanctuarium Christi sanctum esse negetur: quod dies festi festivis frustrentur solenniis: quod moriantur homines in peccatis suis, rapiantur animae ad tribunal terrificum, nec poenitentia reconciliati, nec sacra communione muniti: quod pulcherrimus ille tabernaculi ordo confusus sit, & pro Christiana pace ac tranquillitate ad rebellionem, ad rapinas, ad caedes, ad incendia, cum magno ac manifesto Christianae reipublicae discrimine, veluti classico passim excitati. Pro quibus egregiis tuis in Ecclesiam Christi meritis, quo te praemio, imo quo non supplicio dignum censebimus? At dices forte, serpens me decepit. Dignam certe recepisti mercedem, qui illum nutrivisti in sinu tuo. Sed itane stultus es ac sine corde, ut in eis maxime rebus, in quibus errare damnari est, uni homuncioni cooperto peccatis, quam tot sanctissimis ab initio patribus, qui in lege Dei meditati sunt die ac nocte, & quam tot universalibus Conciliis, adversus quae impudens os illud, velut sepulchrum patens, se aperire non erubescit: sanctae denique & catholicae Ecclesiae, cujus ritum, consuetudinem & decreta, a temporibus Apostolorum ad nos usque inviolabiliter observata, unus iste sacrilega temeritate damnare praesumit, plus credere potueris? O coecam dementiam, ac plus quam Judaicam coecitatem! At fortassis hoc tibi imposuit, quod veterator ille *Martinus*, & ejus sequaces, de capitulis scripturarum visi sunt sua confirmare. Et quis tandem haereticorum ita non fecit? An non hae sunt veteris serpentis astutiae, qui hac veluti esca obducto hamo miseris animabus mille technis & versutiis semper est insidiatus: quique, quo angularem infringeret verae fidei lapidem, ac Christianam scinderet unitatem, in scripturarum agrum suum seminare semen, & perversam scripturarum intelligentiam jampridem est aggressus? Cum itaque maxima semper pars Ecclesiarum imperita turba sit, & vix unus reperiatur aut alter, qui spiritualibus oculis de scripturarum intelligentia digne valeat judicare: siquidem librum signatum legimus,
Apoc. v. quem solus Leo de tribu Juda dignatus est aperire, ac solvere signa-

ſignacula ejus: quae tandem eſt iſta diabolica excoecatio, uni carnali homuncioni, ſemper eructanti crapulam & potum, quam reliquo orbi univerſo, quam tot ſpiritualibus patribus, quorum voluntas ſemper fuit in lege Domini, qui vitae ſanctimonia, oſtenſione ſpiritus, ac virtute, glorioſo denique martyrio ſuam doctrinam comprobaverunt, in ſcripturarum intelligentia plus apud te fidei habere potuiſſe? O coecitatem novam & inauditam! Unus apoſtata tibi potuit perſuadere, fefelliſſe priores univerſos, errare poſteros, & in ſolum ſe, & quos decepit, perveniſſe regnum Dei, perveniſſe totas miſerationum Dei divitias, ac gratiam univerſitatis? Et quid non dicimus cum Propheta: *Heu, heu, heu Domine, ergone decepiſti populum tuum?* Quin potius, cur non devitatis (ſecundum Apoſtolicum praeceptum) quaeſtionibus ac pugnis verborum, ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, ſuſpiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum, & ſubvertunt colla audientium ex operibus ſuis, juxta dominicam deſignationem, ſtuduiſtis cognoſcere filium profanum iſtum, qui ad vos venit primum in veſtimentis ovium, lupus intrinſecus rapaciſſimus? Siquidem non ex foliis, non ex floribus, ſed ex fructibus arbor cognoſcenda erat.

Jerem. IV.

Matth. VII.

An non manifeſti ſunt nequiſſimi fructus ejus? Siquidem ſacrilegus hic adverſus Deum, imagines ſacras, atque adeo ipſam crucem Chriſti, ſceleratis manibus confringere, & pollutis conculcare pedibus non formidat: contra ſacerdotes Dei furore impio temerarie debacchans, non deſinit laicos ad lavandas ſibi in eorum ſanguine manus ſedulo concitare: Eccleſiam Chriſti parricidalibus armis oppugnans, hoc agit aſſiduo, ut ſuffocentur homines in peccatis ſuis: hoc unum elaborat, ne divina miſericordia ſuis ſacramentis, quae peccatorum remedia efficacia eſſe voluit, vulneratos in Eccleſia ſua curet. Ita enim ea aut ſuſtulit univerſa, aut haereſeos ſuae peſtifero infecit veneno, ut toxicum magis requirat, quam animarum medicinas.

Praecepit ſuis, ne indignanti Deo quis ſatisfaciat: ne jejuniis, orationibus, lamentationibus peccata redimat: ne hoſtia illa placens Deo, corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti a ſacerdotibus offeratur quotidie pro peccatis noſtris. Vota docet non reddere Domino Deo ſuo. Et cum ipſe ſit apoſtata, ac profesſionis ſuae deſertor, ut plurimos ſui faciat ſimiles, ſancta illa

Deo vasa polluere non veretur, consecratasque Christo virgines, & vitam monasticam professas, extrahere a monasteriis suis, & mundo, imo Diabolo, quem semel abjuraverunt, reddere. Quod in veteri lege in umbraticis sacerdotibus Dominus non tulit, quod Ethnici in idolorum suorum Flaminibus omnes sunt abominati, Christi sacerdotes etiam vilissimis copulat meretricibus. Sanctos patres illos, quorum vita & doctrina illustravit universum mundum, non solum debito honore non prosequitur; sed multo quam Cain scelestius despicit, deridet, contemnit, insectatur. Sacrosanctis omnibus universalibus Conciliis impudenti ore palam contradicit, ac sacrilega lingua detrahit: libertatis specie licentiosam quandam vitam: nullis constrictam legibus, ac fere ferinam, inducere conatur. Unde & exlex homo, contemptor & violator legum omnium, in tantam erupit mentis vesaniam, ut sanctissimorum Patrum decreta, & Ecclesiasticos canones igne publico concremare non formidarit. Et breviter Christianam veritatem, omnem rerum ordinem, pulcherrimam denique Ecclesiae faciem, a Christo, ab Apostolis, Apostolicisque viris ac sanctissimis Patribus ab initio constitutam, unus hic post tot centenos annos discindere, invertere, ac deformare molitur.

Quod si nondum satis etiam internoscis, de Christiano magisterio, an de Antichristi spiritu ista proficiscantur: si ita fascinavit te praestigiator ille, ut credere possis unum hunc perfidissimum apostatam veluti alterum Elisaeum habere duplicem spiritum Eliae, aut alterum esse, quem se jactitat, Danielem, in quo sit spiritus amplior & intelligentia scripturarum major, quam in omnibus olim sanctissimis illis doctissimisque viris, quam in sacrosancta Ecclesia catholica, quid est te uno coecius? Aut si jam ex fructibus arborem cognoscens, in errore persistis tamen, quid te miserius?

Sed esto: transfiguratus sit coram te Satanas in Angelum lucis, & quae manifesta sunt opera carnis ac diabolica, spiritus esse & Christi opera venenata sua facundia persuadere potuerit. Numquid non ubique vel hoc ipso prodit, cujusnam spiritus sit, quod omnis ejus sermo amarus est, virulentus, arrogans, ac maledicentissimus, nusquam non scatens vitiis, blasphemiis ac scommatibus plusquam venenatis, adversus omne Christianae pietatis, modestiae, mansuetudinis, ac benignitatis officium? Numquid ita docuit Paulus, cujus se jactitat spiritum habere, cum nulla ejus extet epistola, quae non pacem & unitatem, ac alias id

genus

genus virtutes redoleat? An non Romanos suos hortatur in Domino, ut in caritate fraternitatis se diligant invicem, sectentur, quae sunt pacis, & quae aedificationis custodiant? Corinthiis an non testatur, se docere in ecclesiis Deum, non dissensionis, sed pacis Deum esse? Et breviter, numquid non ubique clamat, ubique docet Euangelica illa tuba, ut digne ambulemus in omni humilitate ac mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, utque deponamus omnem iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem? Quo igitur pacto maledicentiam, amaritudinem, iram, indignationem, blasphemiam, inflationem, jactationem, quae ita huic peculiaria sunt, ut illa Paulo, ac illius discipulis universis, qui mitis est ac humilis corde: non Paulini, non Christiani, sed Diabolici spiritus esse certissima indicia, vel coeco non clarissime appareat? Galat. VI. Ephes. IV. Coloss. III.

Ex verbis illius quomodo non intellexisti, Christum in corde suo, an vero Antichristum haberet, secundum quod ipsa Veritas in Euangelio ait: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? De abundantia enim cordis os loquitur.* Et cum scriptum sit, quod *maledici regnum Dei non possidebunt.* Itemque cum in Euangelio dicat Dominus: *Quicumque dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio: Qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennae incendio.* Matth. III. I Corinth. V. Matth. V.

Illumne esse Antichristi Apostolum, cuiquam obscurum esse poterit? qui non modo sacerdotes Dei, sed & principem sacerdotum Petri successorem, Jesu Christi in terris vicarium, tam infandis infamibusque nominibus, tam inauditis contumeliis, convitiis ac blasphemiis, nusquam non lacerat, discerpit & insectatur, ut ea commemorare pudica refugiat lingua, & audire horreant aures castae: Qui Apostolicam cathedram, in qua praesedit caput Apostolorum Petrus, cui praefuerunt tot sancti Pontifices, quam Ecclesiam principalem, unde sit exorta unitas sacerdotalis, sanctus ille & gloriosus martyr Cyprianus, non dubitat asserere, impio ac pestilenti ore cathedram pestilentiae, antichristianam, diabolicam, & si quae potuit excogitare nefandiora, toties appellare non cessat: Qui scholas Christianas, quae tam multos doctissimos sanctissimosque viros, tam egregias in Ecclesia Dei columnas nobis protulerunt, impudica lingua sua lupanaria, Sodomas & Gomorrhas ubique vocare non verecun-

datur: Qui non ſatis habet omnipotentis Dei ſacerdotes probris omnibus, conviciis, contumeliis, ac blasphemiis horrendis & inauditis, nunquam non publice ac privatim inſectari, quibusvis viliores facere, niſi etiam laicos concitet ad lavandas ſibi manus in ſanguine ipſorum; cum tamen quanto honore haberi velit ſacerdotes ſuos, maxime autem principem ſacerdotum, ipſe idem

Deut. XVII. Dominus in Deuteronomio teſtatus eſt, dicens: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad ſacerdotes Levitici ordinis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem: & facies quaecumque dixerint, qui praeſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus; ſequerisque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat ſuperbia.* Et Samuel cum ſperneretur a

I Reg. VIII. filiis Iſraël, an non dicit Dominus: *Non enim te ſpreverunt, ſed me, ne regnem ſuper eos:* manifeſte oſtendens, inviſibilem ſe contemni, cum viſibilem quis ſpernit ſacerdotem? Quare &

Exod. XVI. Moſes murmuranti adverſus ſe populo reſpondit: *Non adverſus me murmuraſtis, ſed adverſus Dominum Deum veſtrum.* Quod ſi Leviticos illos ſacerdotes tanta honoris praerogativa praecellere voluerit Dominus, qui exemplari tantum ac umbrae deſerviebant coeleſtium, in umbratico illo tabernaculo ſacrificiorum of-

Matth. XVI. ficia conſumentes: quo tandem honoris loco eos haberi voluit, quibus tradidit claves regni coelorum? tantamque tribuit poteſtatem, ut quae ligarent ſuper terram, ligarentur & in coelis: & quae ſolverent ſuper terram, ſoluta eſſent & in coelis: utque, quorum ipſi dimitterent peccata, dimiſſa forent: quorum retinerent, forent & retenta? Qui non ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed hoſtiam vivam, ſanctam, & immaculatam, corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti offerunt quotidie pro peccatis noſtris, conficiunt verbo ſuo ac manibus tractant? breviter ſacramenta omnia, quibus hominibus vita ſalusque tribuitur animarum, ſuis perficiunt orationibus? Quanto, inquam, honore

honore hos praecellere voluerit Dominus, quis tandem dubitabit, quod nec ipse tacuit in Euangelio, cum dixit ad eos: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit & eum qui misit me?* Et quid consequitur? quod in eundem Christum blasphemus est & maledicus, qui sacerdoti Christi blasphemat aut maledicit. An non hoc primum mandatum in retributione: *Honora patrem & matrem, ut sis longaevus super terram? Qui autem maledicit patri aut matri, morte moriatur.* Numquid ad carnales tantum parentes illud est referendum? & num minus ad eos, qui nos in Christo regeneraverunt, per quos Christiani sumus, qui nobis peccata dimittunt, qui coelestibus nos pascunt sacramentis? Quid si peccatores sunt & mali sacerdotes? Quid si parentes? Numquid propterea eos non honorare, aut eis maledicere licebit? Numquid non & Judas erat inter eos, quos Dominus misit ante faciem suam, & ad quos dicebat: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo aut civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terrae Sodomorum & Gomorrhaeorum in die judicii, quam illi civitati.* An non praecepit ita Apostolus: *Obedite praepositis vestris & subjacete eis?* Quod si malis & peccatoribus non sit obediendum, quibus tandem? Quoniam *si dixerimus peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ovis es, noli discutere pastorem: noli te judicem Dei constituere & Christi. An non ita praecepit Dominus in Euangelio, dicens: *Super cathedram Mosis sederunt Scribae & Pharisaei; omnia quaecumqe dixerint vobis, servate & facite: si quae autem fecerint male, facere nolite:* manifeste significans, habere eos dignitatem, tametsi vitae essent perditae. Numquid idem Dominus, cum postea tempore passionis alapham accepisset a servo sacerdotis, dicenti sibi: *Sic respondes Pontifici?* adversus Pontificem quidquam dixit contumeliose? quin magis innocentiam suam asserens & ostendens: *Si male,* inquit, *locutus sum, exprobra de malo: sin bene, quid me caedis?* An non & Paulus, cum caederetur in concilio jussu Ananiae, diceretque ad eum: *Percutiet te Deus, paries dealbate: Et tu sedens judicas me secundum legem, & contra legem jubes me percuti:* audiens ab astantibus: *Sic insimulas sacerdotem Dei, maledicendo ipsum?* tamen inane nomen & umbram quamdam sacerdotis cogitans expavit? *Nesciebam,*

Luc. x. Exod. xx. Deut. III. Luc. x. Matth. x. Hebr. XIII. I Joan. I. Matth. XXIII. Joann. XVIII. Actor. XXIII.

Actor. XXIII. *ſciebam*, inquit, *fratres, quia princeps eſt ſacerdotum. Scri-*
Exod. XXII. *ptum eſt enim: Principi populi tui non maledices.* Quo magis miramur, quod ex iſtis diabolici ſpiritus operibus, veluti fructibus nequiſſimis arborem peſſimam nondum cognoviſtis. Et quis tandem eſt ita hebes animo, ut non videat, quo nunc prorumpant furioſiſſimi conatus iſtius, cum ut quisque eſt facinoroſiſſimus, deſperatiſſimus, aut perditiſſimus latro aut homicida, ſub iſtius vexillis ac ſignis conveniant? Eccleſiam jam Chriſti parricidalibus armis ac ſacrilegis manibus non clam, ſed palam oppugnantes, conſecrata Deo loca, templa & monaſteria exurunt & prophanant: Chriſto dicatas virgines, ſacerdotes Chriſti & Monachos crudeliſſime perſequuntur, Eccleſiarum bona diripiunt: & breviter, rapinis, latrociniis, coedibus, incendiis, confundunt univerſa: excoecante nimirum eos juſto Dei judicio, & in inſaniam tam manifeſtam erumpere permittente, ut neminem jam latere poſſint ſceleſtiſſimae machinationes iſtius. Atque hi, qui peſtifera contagione ipſius infectos ſeſe nunc tandem cognoverunt, ſchismatico errore depoſito ac haeretico furore deſerto, unitatis ac veritatis domicilium fidei ſanitate repetunt. Inter quos, dilecte nobis in Chriſto Jeſu, cum a te non ex poſtremis reverſurum ad ſalutarem matris ſinum ſperaviſſemus, quem revertentem libenter & obviis excepiſſemus manibus, bona ſpe tandem noſtra fruſtrati, videmus ſupra petram induraviſſe te faciem tuam: videmus perniciem illam animarum *Lutherum* ſub tuo pa-
Matth. III. tricinio latitantem, ſuum adhuc virus longe lateque ſpargere. Sed quoniam adhuc potens eſt Dominus Deus etiam de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahae, antequam egrediatur ut ignis indignatio ejus, & ſuccendatur, nec ſit, qui extinguat: ideo te, fili dilecte in Chriſto, obſecramus per viſcera noſtri redemptoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, per Chriſtianam unitatem, per patriae caritatem, per tuam denique ipſius tuorumque ſalutem, miſerere Eccleſiae Chriſti, & tot jam malorum procellis undique exagitatae ac pene oppreſſae, tua maxime culpa, aliquando fer opem: miſerere patriae noſtrae, quae ſincerae olim fidei eximiae religionis, ſanctae ſub jugo Domini ac religioſae obedientiae inſigni praecellens gloria, perniciem iſtam religionis Chriſtianae, ac fidei ac pietatis publicum hoſtem *Martinum*, in ſuis ſe peperiſſe ac foviſſe viſceribus non erubeſcit. Miſerere denique tui ipſius, tuorumque miſerere ſeductorum Saxonum. Quos, niſi

reſipi-

resipiscatis, & quidem cito, manet praesens & certa ultio divina, quam neque in hoc seculo effugietis, neque in futuro. Haec dicit Dominus Deus: *Audi popule stulte, audi Princeps, qui non habes cor: qui habetis oculos, & non videtis: aures, & non auditis: Me ergo non timebitis, & a facie mea non dolebitis? numquid non audistis, quae fecerim in diebus antiquis?* Legite Scripturas, in quibus putatis vos vitam aeternam habere, & invenietis, quam gravis semper fuerit, & quam terribilis divina vindicta in illos, qui in populo Dei schisma concitaverunt. Numquid non legistis horribilem divinam ultionem adversus Dathan & Abiron, quod multitudinem adversus Mosen concitavissent, quos dehiscens sub pedibus terra, & aperiens os suum, deglutivit, & omnia, quae ad eos pertinuerunt; ita ut descenderent viventes in infernum? Et adversus Core, quem eandem ob causam cum ducentis & quinquaginta viris coelestis flamma devoravit. Quod si ob durius imperium fortassis, aut quorumdam pastorum seu ignaviam, seu malitiam, schismata excitanda putatis: numquid non ex libro Regum audistis adeo indignatum fuisse Dominum adversus decem tribus filiorum Israël, & in omne semen eorum, ut dimoverit eos, & tradiderit in direptionem, donec projiceret eos a facie sua? Ob quam tandem culpam, nisi quod ob durius imperium Salomonis, & imprudentius arrogantiusque responsum Roboam Regis Jerusalem, scissae fuerunt a tribu Juda & Benjamin? Quam praesens semper fuerit dominus vindex sacerdotibus suis, an non Saul ab regio abjectus honore, & Ozias Rex Judae percussus lepra, propterea quod quae sacerdotes Domini sunt ausi usurpare, sufficienti vobis potuerunt esse argumento? Et breviter, an non omnes testantur historiae, universos ultrice Domini manu infelice periisse exitu, qui in Christos Domini sacrilegas manus injicere non formidaverunt? Contra autem felicia omnia, & longam illis contigisse vitam, qui Christum in sacerdotibus suis venerati sunt? Moveant ergo vos exempla aliorum, & cogitate quid vobis sit expectandum, qui venerabilem Dei chorum in manus tentatis tradere profanas. Proinde quod Dominus per Mosen praecepit universo populo Israël, ut separarentur a tabernaculis Core, Dathan, & Abiron, nec tangerent quicquam, quod ad eos pertineret, ne involverentur in peccatis eorum, hoc & vobis, praecipue autem Tibi, dilecte fili, ejusdem Domini nostri auctoritate praecipimus, & obsecra-

Jerem. v.

Joann. v.

Numer. XVI.

II Reg. XVII.

I Reg. XII.

I Samuel. XV.

II Paral. XXVI.

Numer. XVI.

secramus in Christo Jesu, ut separemini a *Martino Luthero*, auferatis a vobis petram illam scandali, neque tangatis quod illius est, ne & vos divina ultio involvat subito in peccatis illius. *Ex-*
1 Corint. v. *purgate quamprimum fermentum illud, quod reliquam fidei vestrae massam corrupit, ut sitis nova consperfio, novaque creatura.*

Non dedigneris, Fili dilecte, Paulum imitari, quem sicuti vicisti in Ecclesiae Dei persecutione, tam gravem animarum perniciem sub tuo nutriens patrocinio: ita reversus ad cor, effice, ut omnes intelligant tuam conversionem: utque, qui per te sunt scandalizati, in te rursus glorificent Deum. Maxime autem hoc praesta quamprimum, ut impurum os illud obstruatur, ut capuletur blasphema lingua, quae contra Deum ac Sanctos ejus loqui non cessat, & virus suum undique spargit. Et ut Propheticis
Jerem. vi. vos verbis admoneamus, *State super vias, ac videte & interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, & ambulate in ea. & invenietis refrigerium animabus vestris.* State, inquam, & doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, per quam ambulaverunt patres vestri, quam demonstraverunt tot myriades Martyrum, docueruntque tot millia confessorum, & ambulate in ea.

Quod si a vobis impetraverimus, sicut & sincere speramus, erit quod gaudeamus cum Angelis de peccatore poenitentiam agente, & perditam rursus inventam ovem humeris nostris ad ovile Domini gaudentes reportabimus, paternaque pietate, quantum in nobis fuerit, stolam vobis pristinam restituemus.

Quod si dixeritis, *Non ambulabimus*, & paterne salubriterque vos monenti respondebitis, *Non audiemus. Ideo audite gen-*
Jerem. vi. *tes*, dicit Dominus, *& cognoscite congregationes, quanta ego faciam eis. Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus: quia verba mea non audierunt, & legem meam projecerunt.* Sed & hoc tibi denuntiamus in virtute omnipotentis Dei & Domini nostri Jesu Christi, cujus in terris vicarius sumus, nec te in praesenti seculo hoc laturum impune, & in futuro aeterni te ignis expectare incendium. Vivunt una Pontifex Hadrianus, & religiosissimus Imperator Carolus, meus carissimus in Christo filius & alumnus, cujus tu edictum vere Christianum adversus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, non sine gravi offensa ac vilipensione Caesareae maje-

majeſtatis violare non timuiſti. Non committemus, ut quos olim cum Magno Carolo Hadrianus Pontifex in Chriſto genuerunt, nunc Hadrianus Pontifex & Imperator Carolus ſub ſchismatico ac haeretico tyranno, haereſeon ac ſchismatum ſinamus interire contagione. Quare revertimini ad cor, & reſipiſcite tu tuique miſere ſeducti Saxones, niſi utrumque gladium, Apoſtolicum ſimul & Caeſareum, olim velitis experiri.

Scripta Romae anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo.

## [1] BREVE PAPAE HADRIANI VI. ADVERSUS LUTHERUM.

Dilectis Filiis, Conſulibus & Senatui Civitatis Bambergenſis,

# HADRIANUS PAPA VI.

*Dilecti filii ſalutem*, & [a] *Apoſtolicam benedictionem.*

[a] Humanam pro divina, cum imprecetur Paulus gratiam & pacem &c.

Non poſſumus non vehementer admirari, pariter & dolere, dum conſideramus *Martinum Lutherum* Germanum, quem quantumvis errantem [b] oviculam noſtram negare non poſſumus, eo usque inſaniae, ſeu potius Diabolicae praeſumptionis, prorupiſſe, ut contempta [c] Catholica doctrina, & ſanctorum Patrum traditionibus, nec non totius Eccleſiae Catholicae ritibus ſpretis, omnibusque ſolitis in dubium revocatis, ipſe complura nova atque contraria dogmata, novasque [d] haereſes non tam introducere, quam veteres renovare, fundamentumque aliud, quam poſitum eſt, ponere, aliamque fidem, quam Patres [e] noſtri tenuerunt, docere non ſit veritus. Quaſi ſolus ipſe Spiritu Sancto afflatus, veritatem Eange-

[b] Audis lupi Aeſopici vocem.

[c] Vitium eſt ſcriptori *Catholica* pro *canoniſtica.*

[d] Metatheſis pro *non tam novas.*

[e] De quibus dicitur *Patres veſtri deliquerunt me.*



1 De hoc vid. Seckendorf. lib. I. Hiſt. Luther. ſect. LIV. §. CXXXII. Ceterum notandum, quae in margine adſcripta ſunt, eſſe Lutheri.

angelicam, nunc demum in fine feculorum prospexerit, ac Patres vestri & prope tota fidelium congregatio, qui hanc Lutheri fidem nescivere, & pro fide contraria, id est, catholica, quam tenemus, etiam usque ad [a] mortem dimicare parati erant, tot jam seculis in damnabili errore ac tenebris ignorantiae jacuerint. Miranda certe res est, in cor hominis illius hanc praesumptionem ascendere potuisse, ut solus ipse sibi plus omnibus Ecclesiae Doctoribus, sanctisque Patribus, & toto fidelium coetu sapere videretur. Sed multo majori admiratione dignum reputamus, eundem *Lutherum*, postquam in hoc barathrum superbiae (Deo propter peccata sua atque etiam nostra permittente) praecipitatus est, in natione nostra Germanica, quae ab initio, ex quo ad [b] Dominum conversa fuit, semper religiosissima & Catholicae fidei tenacissima, nec non pietatis erga Deum & charitatis, justitiaeque erga proximos sincerissima cultrix fuit, non unum nec paucos, sed (quod cum magno cordis dolore dicimus) prope innumeros homines utriusque sexus invenire potuisse, qui ejus stolidissima, nec minus perniciosissima dogmata, quae antehac saepe cum suis auctoribus ab Ecclesia [c] damnata fuisse constat, non solum patienter audire, verum etiam libenter amplecti vellent, & quod amplius est, pertinaciter etiam armis defendere parati forent: qui libros ejus, ejusque sequacium omnino pernitiosissimos, veneno plenos, maledictis redundantes, spurciciis, scurrilitatibus, contentionibus, amaritudinibus ubique scatentes, etiam postquam in vim sententiae Apostolicae [d] & Imperialis Edicti saepe in plurimis locis concremati sunt, certatim emerent, avide legerent, libenter audirent. Cum tamen vel ex hoc ipso, quod ejusmodi sunt, quales modo diximus, omnibus rationi & Spiritui Dei vel paululum auscultantibus facile fuisset intelligere eundem spiritum Dei suavem, benignum, mitem, veritatis & pacis amatorem & conciliatorem, scandalorum, contentionum, & discordiarum pacificatorem, novitatum refugientem, ab eisdem libris eorumque autoribus longe abfuisse: imo contra spiritum malignum horum contrariis gaudentem, ac dictae nationis prospero in via Domini [e] cursui invidentem, ipsorum librorum autores ad talia evomenda exagitasse. Quos a fructibus eorum cognoscentes, una cum perversis dogmatibus suis, sicut mor-

[a] *Usque ad mortem*, exclusive.

[b] Scil. Papam.

[c] Scil. Papae.

[d] Argumentum ab autoritate utriusque potestatis, vere profanae, & vere sacrae.

[e] Scil. Papae, sicut alias.

mortem fugere & abominari debuerant. Quid enim aliud iſti homines quaerunt, quam ſcandalum? Quid aliud hominibus perſuadent, quam rebelliones, ſchismata, bonorum direptiones, caedes, carnalitates? Et, ut uno verbo dicamus, ſuavis jugi dominici [a] & ſanctae Eccleſiae [b] omni victima praeſtantioris, abjectionem, idque ſub ſpecie libertatis, cum ipſi corruptionis ſervi manifeſti comprobentur. [c] Sed non eſt, Filii, [d] non eſt haec libertas, quam Dominus electis ſuis in Euangelio promittit, qua ſcilicet legi ſuae, & ſuis [e] in terra Vicariis ſubjecti (quos etiam [f] malos in cathedra Moſis ſedentes ſicut ſe ipſum audire voluit) peccati ſervitutem evadimus. Sed libertas, quam ſibi Lucifer ille quaeſivit, cum Altiſſimo, cui ſubeſſe debuit, par eſſe volens, ſedem ſibi ad Aquilonem conſtituit, unde in ima Inferni praecipitatus eſt, qui finis proculdubio etiam *Martinum Lutherum*, & omnes, qui ei adhaerent, manet, niſi celerius reſipuerint, & ad unitatem Eccleſiae, a qua ſe damnabiliter ſegregarunt, & extra quam, tanquam arcam [g] Noë, nemo ſalvari poteſt, redire ſtuduerint. Nec enim dubium eſt iſtos & ſimiles eſſe, de quibus beatus Apoſtolus Petrus loquebatur, cum praediceret, *ſurrecturos inter fideles magiſtros mendaces, qui introducturi eſſent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Deum negaturi, introducentes ſibi celerem perditionem*, ſubditque *multos ſequuturos eorum* [h] *luxurias, per quos*, inquiens, *via veritatis blasphemabitur, & in avaritia* [i] *fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.* At paucis interjectis ait: *Magis autem* (ſcilicet [k] puniet Deus) *eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiae ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes,* [l] *ſectas non metuunt introducere blasphemantes.* Quae an iſtis conveniant, [m] vobis judicandum relinquimus. Quapropter chariſſimi, quos in viſceribus charitatis gerimus, vos in Domino Jeſu Chriſto hortamur, & per viſcera miſericordiae ejus rogamus & obteſtamur, ut per errores illorum, quos Apoſtolica providentia vobis [n] digito monſtravit, vos traduci non patiamini; ſed potius, tanquam Filii electi & populi

[a] Id eſt, papiſtici vel dominaſtrici a Dominico.

[b] Rhetorica amplificatio.

[c] Apoſtrophe.

[d] ἀναδίπλωσις.

[e] Additio neceſſaria, ſed cujus tamen in Euangelio nulla mentio fit.

[f] O quam neceſſaria occupatio!

[g] Allegoria.

[h] Nota, *Luxuriae* non ſunt Adriano Papiſtici generis foedae libidines, ſed luxurias docere ſentit eos, qui divinum conjugium probant. Et ex hoc loco Adriani rhetoricen aeſtimaveris, cum Petri ſententiam ad ſuam cauſam torquet.

[h] Hic Adriano Petrus nihil dixit de cauponatione praebendarum, Indulgentiarum & ſimilium Romanarum mercium. [k] Grammaticam neſciebant iſti boni Laici, ideo gloſſa adjecta eſt. [l] Neque hic Adriano Petrus de Monachorum ordinibus locutus eſt. [m] Ecce hic Papa renunciat ſuo jure interpretandi ſcripturas. [n] Digito non Dei, ſed Papa

acquiſitionis, veſtigiis Patrum veſtrorum & omnium Sanctorum, qui utique regiam veritatis Euangelicae viam ingreſſi ſunt, inhaerentes, doctrinam iſtorum pernicioſiſſimam, perfidam, blasphemam, Diabolicam, & ut ſemel dicamus, in interitum trahentem, cum ſuis autoribus, tanquam [a] Infernum horreatis, eorumque libros venenatos non ſolum ipſi non legatis, ſed nec legentibus aures admovere velitis, aut ipſis *Lutheranis* ad cor redire contemnentibus, ave dixeritis. Nec vero vos moveat, quod *Lutherani* ipſi [b] ſacrae Scripturae verba dogmatibus ſuis paſſim admiſcent, ſcientes, quod hoc ipſum omnes ſemper haeretici uſurparunt, quorum nullus unquam novum dogma introducere niſus eſt, quod non ſacrae ſcripturae [c] auctoritate conſtituere conaretur. Ut enim, qui veneni amaritudinem temperare volunt, illud melle aut alio grato ſapore contegunt, ita iſti proprium virus coeleſtium verborum dulcedine linientes, illud ſimplicibus, & rudibus animis propinant, ut ita demum eos facilius intoxicare poſſint. Quanquam vix quenquam adeo ſimplicem eſſe credimus, qui ſi vel paululum [d] lumen vultus divini, quod ſuper omnes homines ſignatum eſt, aſpicere voluerit, non protinus intelligere poſſit, iſtos mendacii & erroris Magiſtros esſe, non veritatis, eosque hujusmodi novitates attentare, non quod ſalutem animarum quaerant, cum ipſi ſuas manifeſte perdant; ſed potius ut placentia dicendo, & ea quae in arcta via Domini hominibus carnalibus, & animalibus difficiliora judicantur, ſub ſpecie Chriſtianae libertatis adimendo, mortifera dogmata ſua ejusmodi carnalibus hominibus (quorum ſemper major numerus extitit) favorabiliora magisque credibilia reddant, & illos aeternae damnationis reatu, ſibi caeterisque diffidentiae filiis praeparatae, ſecum involvant. Sed idem procul dubio Magiſtris iſtis eveniet, quod anteceſſoribus ipſorum, earundem vel aliarum haereſium autoribus, quoties ſuperbos intellectus ſuos adverſus ſcientiam Dei [e] extollere praeſumpſerunt, eveniſſe conſtat. Qui ad tempus quidem propter peccata hominum proſperari, & tanquam ſupra cedros Libani ſuperexaltari (permittente Deo) viſi ſunt, ſed ad extremum ſemper vicit [f] mendacium veritas, & ſapientia, ſuaviter omnia diſponens, malitiam triumphavit. Caeterum quoniam videmus hujusmodi venenatorum librorum impreſſio, diſtractio,

[a] Homericum hoc eſt ὁμῶς ἀΐδαο πυλῄσιν.

[b] Ecce confutatio, quia apud Adrianum nihil valet verbum Dei.

[c] Nota: Papiſtae ne fiant haeretici, non recipiunt, aut docent ſcripturas.

[d] Expoſitiones Papae.

[e] Scil. terreſtris, ſeu ventris.

[f] Hic Caiphas prophetat de ſe ipſo.

ctio, atque lectio, quantum verae fidei ac pietati longe lateque obfuerit, vos, quibus insignis istius Civitatis gubernatio credita est, in Domino hortamur, & in virtute sanctae obedientiae, & sub contestatione divini judicii requirimus, ut solitae vestrae erga Deum dictamque ejus fidem pietatis, ac singularis prudentiae memores, omnibus modis providere curetis, ne apud vos, aut in territorio civitatis vestrae, hujusmodi libri vel impressi ultra divendantur, vel nondum impressi deinceps imprimantur. Imo vero quotquot in dicta civitate vestra inveneritis, juxta sedis Apostolicae sententiam, & Imperiale Edictum comburi faciatis. Alioqui si perversitatem impressorum vestrorum, qui pecunia (uti credendum est) a *Lutheranis* corrupti (si vera sunt, quae audivimus) *Lutheranorum* opera promptissime imprimunt, quae vero a Catholicis pro veritate contra illos scribantur, imprimere nequaquam volunt, corrigere & emendare neglexeritis, denunciamus vobis, quod divinam, eamque terribilem ultionem, etiamsi alioquin Christianissimi sitis, non evadetis. Nec enim vos Deo satisfacere putaveritis, si vos ipsi fidem ejus integram & illibatam conservetis, nisi & pro virili operam dederitis, ut quidquid Fratres vestros scandalisare, & in hujusmodi errores inducere aptum [a] sit, celerius per vos de medio tollatur. Qui enim non est cum Domino, contra eum esse probatur, & qui malum ejusmodi, cum possit, non excludit, illud coram Deo ipsemet committere & inferre censetur. Jam tempus est, quo qui in vobis probati & electi sunt, se manifestare, quo optimus quisque vestrum vel sponte se pro domo Domini murum opponere debeat, ut coronam gloriae, quae strenue se gerentibus promittitur ab eodem Domino, consequi mereatur.

[a] *Aptum sit*, pro *aptum natum sit*, secundum Lovanienses.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die ultima Novembris, anno MDXXII. Pontificatus nostri anno primo.

T. HEZIUS.

MARTINUS

# MARTINUS LUTHERUS

## OMNIBUS

## CHRISTIANIS LECTORIBUS

Non Pontificiam ſalutem & benedictionem, ſed gratiam & pacem in Chriſto optat.

Hoc nullus unquam ante hac Pontifex Romanus *fecit*, quod iſte *Adrianus* VI. facit, qui tanquam abdicata & depoſita illa poteſtate, quam hactenus ſibi uni arrogavit, omnia judicandi, nunc judicium permittit Bambergenſibus, recte ne a ſe dictum S. Petri allegatum & enarratum ſit, an non? Atque ego quidem valde oro non ſolum Bambergenſes, ſed omnes Chriſtianos ubique locorum, ut permiſſum illud judicium amplectantur, & inter me ac Papam judicent, utrum *Lutherus*, an Pontifex Romanus ſectas, nova vitae genera, & ordines inſtituerit extra illum communem Chriſtianae fidei ordinem? Item, utrum *Lutherus*, an Papa, aliquid amplius, quam ſolum verbum Dei doceat? Ita deprehendetur, qui ſint illi *Magiſtri mendaces* a S. Petro hic nominati, & quam belle *Adrianus* Pontifex Lovanii Scripturam interpretari didicerit. Item, utrum *Lutherus*, an Papiſtae, per avaritiam fictis verbis de Chriſtianis negocientur, & carnem ſequentes in concupiſcentia pollutionis ambulent, ac dominationem contemnant? Item, utrum *Lutherus*, an Papa, Reges ac Principes contemnat, excommunicet, & in tertiam, quartam, ac nonam generationem devoveat? & ſic de caeteris omnibus, de quibus S. Petrus in citato loco loquitur. Sed Deo ſit laus & gratiarum actio, Romani Pontificis & Papiſtarum ſtultitia & inſcitia plane vult in lucem proferri, ut confundantur & pudefiant, & ipſi ſeſe apud omnes contemptos reddant, quo Danielis
Dan. VIII. II Tim. III. prophetia impleatur, ubi de Antichriſto inquit: *Sine manu conteretur.* Daniel. VIII. & II Timoth. III. *Non proficient amplius; inſipientia enim eorum evidens erit omnibus, quemadmodum Janni & Jambri accidebat.*

An non ſummum ſcelus & dedecus eſt? quod Papa, qui vult perhi-

perhiberi Magifter omnium Chriftianorum, nihil amplius dicere novit quam illud: *Lutherus folus vult fapere. An vero nos cum tot majoribus noftris erraffe oportuit?* Sunt hae fane muliebres, pueriles. Monachorum & Sophiftarum querelae. Decebat Pontificem Romanum allegare fcripturam, atque ita ratiocinari: Ecce hic eft verbum Dei, hoc & illo modo *Lutherus* contra verbum Dei docuit. Jam vero belle hoc diffimulat, & ait: Hoc & illo modo *Lutherus* contra antiquum morem, contra confuetudinem, contra Doctores docuit, perinde ac fi fides noftra veteri more ac confuetudine, & dictis Doctorum nitatur.

Quod fi fola confuetudo & mos vetuftus fufficit, cur non Judaicam, Turcicam & Ethnicam fidem amplectimur? Cur non affentimur Diabolo, cui jam inde ab initio perpetua confuetudo eft effe malo? Sin autem fola confuetudo non fufficit, cur non oftendit Papa veras rationes ac fundamenta iftius confuetudinis, aut qui minus licet nobis de fontibus & initiis illius confuetudinis quaerere, bona ne an prava fit? Certe nofter Deus non vocatur confuetudo, fed veritas, & fides noftra non confuetudine nititur, fed veritate, quae eft Deus ipfe. Jactitas etiam Pontifex, hactenus etiam femper veritatem mendacio fuperiorem fuiffe. Verum eft veritatem femper vincere, fed eadem faepe opprimitur; nam cogitur illa interdum, quemadmodum & Chrifto accidit, mori & fepeliri, fed rurfus tamen emergit, & refurgit. Ita fub Papatu Chriftiana veritas oppreffa jacuit, ficut Daniel praedixit cap. VIII. fore, ut temporibus Antichrifti veritas palam profternatur. Verum oppreffionis illius jam finis eft: fatis diu jam veritas fub mendacio oppreffa, & cum Chrifto fepulta jacuit; nunc eam rurfus emergere, & mendacia Papiftica viciffim profternere oportet, ut quemadmodum Caiphas, ita & Papa contra fe ipfum hic vaticinetur, quod veritas hoc tempore mendacia velut in triumpho palam oftentatura fit. Joh. 11.

Praeclare autem id jam fieri coepiffe arbitror, exiftimoque Papatum una cum fuis fquamis vere mundo factum effe oftentui, magno cum ipforum probro & ignominia, adeo, ut eorum fcelera & turpitudines clam & aperte hactenus perpetratae, etiam a pueris & fcurris decantentur, quemadmodum Idolis accidebat Apoftolorum & Martyrum temporibus, ut retribuatur ipfis pro fuperbia fua, qua quidem antea fummis etiam Regibus ac Principibus (qui ab illis extreme & e fublimi defpecti funt) terrori

 fuerunt.

fuerunt. Nunc vero iidem etiam contemptissimis & infirmis hominibus contemptui ac ludibrio sunt, ut dictum illud Esaiae XXXIII. compleatur: *Vae qui praedaris, nonne & ipse spoliaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? Cum consumaveris depraedationem, praedae patebis, cum defatigatus desieris contemnere, contemneris.* Et quemadmodum Christus inquit Math. VII. *Qua mensura metimini, ea metientur vobis alii.*

Ac poenitet me, me bonas horas tam male collocasse, ut ineruditis & vere Papalibus literis responderim; sunt enim tam barbarice & insulse scriptae, ut indignae sint, quibus vel a puero respondeatur. Verum Deus miraculis aggreditur Antichristum, quod illi usque adeo nullum amplius successum largitur, ut posthac neque linguam ullam, neque artem noverit, & per omnia infans & stultus factus sit. Turpissimum est, ejusmodi latina scripta ad Germanos mitti, & tam insulsas interpretationes scripturae hominibus prudentibus proponi. Omnia sunt vere & belle Papistica, Monachalia, & Lovaniensia. Anno MDXXIII.

# BREVE HADRIANI PAPAE VI. AD INQUISITOREM COMENSEM.

Inquisitoribus haereticae pravitatis datur facultas procedendi contra incantatores, sortilegos, Diabolo obedientiam praestantes, fidem abnegantes &c.

*Hadrianus Episcopus &c. Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Dudum, uti nobis exponi fecisti, per felicis recordationis Julium Papam secundum, praedecessorem nostrum, non sine magna tunc animi

a *Breve.*] Extat in tom. XIV. Concil. General. Labbaei.

mi sui displicentia accepto, quod per quemdam Georgium de Casali, ordinis Fratrum Praedicatorum professorem, & in civitate Cremonensi haereticae pravitatis Inquisitorem deputatum, in nonnullis Lombardiae partibus, & praesertim in locis, in quibus dictus Georgius Inquisitor deputatus erat, repertae fuerunt quamplures utriusque sexus personae, propriae salutis immemores, & a fide catholica deviantes, certam sectam facientes, fidem, quam in sacri susceptione baptismatis susceperunt, abnegantes, sanctam crucem pedibus conculcantes, & opprobria super eam perpetrantes, Ecclesiasticis & praesertim Eucharistiae sacramentis abutentes, Diabolum in suum dominum & patronum assumentes, eique obedientiam & reverentiam exhibentes, & suis incantationibus, carminibus, sortilegiis, aliisque nefandis superstitionibus, jumenta & fructus terrae multipliciter laedentes: aliaque quam plurima nefanda, excessus & crimina, eodem Diabolo instigante, committentes & perpetrantes, in animarum suarum periculum, divinae majestatis offensam, perniciosumque exemplum, & scandalum plurimorum.

Contra quas cum dictus Georgius tunc, ut asserebat, in dictis locis suae inquisitioni deputatis, prout ipsius Georgii incumbebat officio, ipse Georgius processisset: nonnulli autem tam Clerici quam Laici, illarum partium, quaerentes plus sapere quam oportet, praemissa delicta ad ejusdem Georgii inquisitionis officium non pertinere temere asserentes, praesumentes in populo errores & scandala seminaverunt: sicque eumdem Georgium in populo odiosum reddere, & dicti Georgii officium impedire conati fuerunt, prout etiam tunc impediebant: ita quod propter praemissa, personae praedictae delicta hujusmodi perpetrantes, remanebant impunitae, & aliae eorum exemplo ad similia perpetranda quotidie inducebantur, in non modicum fidei opprobrium, animarum periculum, & scandalum plurimorum.

Dictus praedecessor volens (ne inquisitionis officii executio quomodolibet retardaretur, & labes haereticae pravitatis longius venena diffunderet) providere, dicto Georgio per quasdam suas in forma brevis literas commisit & mandavit, quatenus in locis ejusdem Georgii inquisitioni deputatis, de excessibus hujusmodi cognoscere, & contra quascumque personas, cujuscumque conditionis & praeeminentiae forent, inquisitionis officium exercere & exequi; ipsasque personas, quas in praemissis culpabiles reperiret, una cum locorum ordinariorum Vicariis, quatenus voluissent interesse, juxta dictarum personarum demerita corrigere & punire deberet, secundum modum contra alios haereticos a jure ex sacris canonibus statutum, contradictores quoscumque per censuram Ecclesiasticam, & alia juris oppor-

tuna remedia compescendo. Eos vero qui in praemissis consilium, auxilium, vel favorem praestarent, praefatus praedecessor noster, eisdem Indulgentiis uti & gaudere decrevit, quibus Crucesignati contra alios haereticos, ex indulto Apostolico eis concesso, tunc gaudebant, & utebantur, prout in dictis literis plenius contineri dicitur.

Et sicut eadem expositio subjungebat, non solum delicta & crimina hujusmodi contra fidem catholicam & Christianam religionem, sub jurisdictione Inquisitoris Cremonensis committuntur & perpetrantur; sed omnibus aliis locis & dioecesibus sub jurisdictione aliorum Inquisitorum dicti ordinis congregationis Lombardiae, in dies perpetrantur & committuntur. Et cum eadem sint delicta, eadem profecto provisione & castigatione eis est earumdem literarum tenore providendum. Quare tu, sicut asseris, in civitate Comensi, ubi dictae pravitatis Inquisitor *existis*, tam tuo, quam omnium aliorum dictorum ordinis & congregationis haereticae pravitatis Inquisitorum ubilibet consistentium & deputatorum nominibus, fecisti nobis humiliter supplicari, ut literas praedictas ad vos extendere & ampliare, aliasque desuper opportune dignaremur providere.

Nos igitur hujusmodi supplicationi inclinati, literas praedictas cum omnibus in eis contentis clausibus, in omnibus & per omnia, prout in eisdem literis continetur, ad te, & ad alios ordinis & congregationis hujusmodi Inquisitores, tam impraesentiarum deputatos, quam in futurum perpetuis futuris temporibus deputandos, ac si tibi, & cuilibet Inquisitorum praedictorum dirigerentur, & directae fuissent, Apostolica auctoritate tenore praesentium extendimus; ipsasque literas tibi & illis, ut praemittitur, eisdem auctoritate & tenore concedimus: non obstantibus omnibus illis, quae idem Julius praedecessor voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Et quia difficile foret praesentes literas ad singula loca, in quibus de eis fides forsan fuerit facienda, deferre: volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transsumptis, manu cujuscumque Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Curiae, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, in judicio, & alibi ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesima Julii, millesimo quingentesimo vigesimo tertio, Pontificatus nostri anno primo.

EUANGELISTA.
HAD.

# [1] HADRIANUS SEXTUS
## PAPA
# ERASMO
## ROTEROD.

*Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem.*

[2] Literas tuas, tam eas quas manu tua ad nos exarasti, quam eas, quibus in fronte Commentariorum Arnobii excusis labores tuos nobis nuncupas, semel atque iterum legimus perlibenter: tum quia abs te veniebant, quem ob egregiam eruditionem semper plurimi fecimus; tum quia singularem quandam in nos, & religionem nostram, pietatem prae se ferebant. Nam de *Arnobio*, etsi eum per gravissimas occupationes nondum nobis perlegere licuit, ex iis tamen quae huc usque quasi raptim de eo libavimus, tum ex veneranda ejus vetustate, reique, de qua agit, argumento, & tua denique commendatione, persuasum habemus, non posse eum non esse optimum Auctorem. Quod vero scribis, vereri te, ne aliorum odiis & insusurrationibus *Lutheranae* factionis nomine sis nobis suspectus, bono in hoc te esse animo volumus. Licet enim, ut verum fateamur, nomen in hac re tuum ab uno forte vel altero, tui non multum studioso, nonnihil apud nos delatum sit; ex natura tamen nostra & instituto, adde etiam ex eo quod gerimus officio, non faciles solemus aures praebere ad ea, quae de doctis & virtute praeditis viris sinistre nobis referuntur; quos quanto scimus excellentiore doctrina praeditos, tanto videmus esse invidiae morsibus magis obnoxios. Pro ea tamen qua te prosequimur charitate, proque famae & verae gloriae tuae desiderio te hortari non omittimus, ut contra novas istas haereses stylum istum qui tibi Dei benignitate felicissimus contigit, exerceas, cum multis de causis tu provinciam hanc tibi potissimum a Deo reservatam reputare merito debeas. Inest enim tibi magna ingenii vis, varia eruditio, scribendi promptitudo, quanta nostra memoria paucissimis aliis, ne dicamus nullis: praeter haec vero apud eas nationes, unde hoc malum ortum est,



1 Haec Epistola legitur in Erasmi Epistolis Epist, DCXXXIX. 2 Eae leguntur in Epistol. Erasmi DCXXXII & DCXXXIII.

ſumma auctoritas & gratia, quibus ſane dotibus ad ejus honoris, & Ecclesiae fideique defenſionem uti debes, qui eas tibi ſola ſua benignitate elargitus eſt. Quod ea potiſſimum de cauſa a te fieri cupimus, ut & his, qui te ſuper re *Lutherana* ſuſpectum reddere conantur, hoc demum pacto ſilentium imponas: & labores tuos, quos locupletandis politioribus literis, & expoliendis ſacris diu impendiſti, hac tam ſanctiſſima opera, qua nulla Deo gratior, nulla veris Catholicis optatior, nulla te & ingenio, eruditione, eloquentiaque tua dignior eſſe poteſt, exornes. Cave enim exſpectes tibi tota vita tua datum iri occaſionem, qua vel majus Deo obſequium, vel uberius nationi tuae, imo univerſae Reipublicae Chriſtianae beneficium impendere poſſis: quam ſi non minus ſtolidas, ruſticasque, quam malignas iſtas haereſes, a *Martino Luthero* non quidem inventas, ſed a priſcis haereſiarchis, quos Catholica Eccleſia ac ſanctiſſimi Patres, divino ſpiritu proculdubio afflati, ſaepius condemnarunt, acceptas, quaſi ab inferis denuo erutas: quae tot animas fratrum tuorum quotidie ſubvertunt, & univerſa confundunt, turbationibusque replent: *Hieronymi* tui, *Auguſtini*, & aliorum ſanctorum Patrum zelum, exemplaque imitatus, lucidiſſimis rationibus, & ſanctae Scripturae auctoritatibus confuderis, ſuſtuleris, exploſeris. Multa quidem, *Erasme*, magno ſtudio, magnoque ſucceſſu antehac ſcripſiſti, quae licet permagnam doctis omnibus utilitatem attulerint, tamen prae hoc opere, ad quod te hortamur, & quod hominum abs te conſenſus exſpectat, minus neceſſaria: cum illa doctis tantum proſint, hoc vero in communem omnium Chriſtianorum pacem & tranquillitatem (qui fere unus in hoc ſeculo eſt Euangelicae doctrinae finis) Deo aſpirante ſit redundaturum. Quod quum ita ſit, non debes, fili *Erasme*, tu, qui a puero ad hoc aetatis, quaſi per omnes gradus eas artes quascunque tractaſti, ſemper aliquid meditando & ſcribendo juviſti, ad hanc rem iſti profeſſioni, iſti aetati debitam, diutius ſubſiſtere: cum idem in te ad ſcribendum vigeat tenor, judicium longe ſit firmius, doctrina vero (ut par eſt) etiam locupletior acceſſerit quam prius: neque vero provinciam hanc rationabiliter declinare queas, quod forte ex modeſtia tua te huic rei imparem dicas. Nam praeterquam quod contrarium & omnes norunt, & rei habet veritas, aderit tibi in hac laboranti Deus, cui in hoc ſervies: aderit & juſtiſſima fidei cauſa, quae adverſus haereticorum impetus & inſidias ad extremum ſemper victrix fuit, & proculdubio etiam nunc erit; licet Deus juſtiſſimo judicio propter graviſſima hominum ſcelera, maxime Eccleſiaſticorum, Eccleſiae ſuae naviculam in his fluctibus nonnihil laborare permittat. An putamus eundem Deum ſponſam

ſuam

ſuam Eccleſiam, quam precioſo ſanguine ſuo ſibi acquiſivit, & cum qua usque ad conſummationem ſeculi ſe futurum pollicitus eſt, nunc deſerturum, & non potius confuſurum eos, qui ſuperbos intellectus ſuos contra Dei ſcientiam, & contra catholicam veritatem extollere non verentur? quibus judicium jam olim non tardat, & perditio illorum non dormitat. *Vidi*, inquit Propheta, *imperium ſuperexaltatum ſuper cedros Libani, & tranſivi, & ecce non erat; quaeſivi, & non eſt inventus locus ejus.* Quod procul dubio etiam *Luthero* & ſuis, niſi reſipuerint, cito eveniet. Qui ut ipſi ſunt carnales, & dominationis contemnentes, ita omnes ſui ſimiles reddere ſtudent. An igitur contra iſtorum inſaniam ſtylum tuum convertere dubitabis, quos Deus jam a facie ſua projeciſſe, & in reprobum ſenſum manifeſte tradidiſſe conſpicitur, ut dicerent, docerent, atque agerent quae non conveniunt: quibus univerſa *Chriſti* Eccleſia perturbatur, innumerabiles animae aeternae damnationis reatu cum eis involvuntur? Exſurge, exſurge in adjutorium cauſae Dei, & praeclaris dotibus ingenii, quas ab eo accepiſti, in ejus honorem, ſicut huc usque feciſti, utere! Cogita in te poſitum eſſe, cum Dei adjutorio, ut magna eorum, qui per *Lutherum* ſubverſi ſunt, pars in rectam viam redeat: qui nondum ceciderunt, ſtabiles permaneant: qui vero vacillantes, ac lapſui propinqui ſunt, a labendo penitus praeſerventur. Quae res quam grata Deo, & veris Catholicis jucunda futura ſit, tu ipſe facile aeſtimare potes. Qui etiam meminiſſe debes dicti illius beati *Jacobi* Apoſtoli, quo aſſerit eum, qui fratrem ſuum a veritate errantem converterit, & peccatorem ab errore viae ſuae revocaverit, ſervare illum a morte, & operire multitudinem peccatorum. Nobis certe dici non poteſt, quam acceptam rem facies, ſi tua opera fiet, ut qui peſſima iſta haereſi infecti ſunt, ſponte potius ſua reſipiſcant, quam cenſoria ſacrorum canonum, legumque imperialium virga percuti expectent. Quod quam a noſtra natura ſit alienum, tu ipſe, uti credimus, ex eo tempore, quo ſimul in jucundo literarum otio, & privata adhuc vita, *Lovanii* degimus, optime noſti. Quod ſi rem hanc, quam ſalutis creditarum nobis ovium Chriſtianaeque tranquillitatis deſiderio, tanto ſtudio abs te poſcimus, pleniore adhuc obſequio augere cupis (fac, tranſacta hyeme, & aëre Romano, qui aliquot jam menſibus peſte laborat, purgato, ad nos quamprimum venias, ſed incolumis, ſed laetus. Juvabit enim non parum te ad hoc opus, quod tam praeſtare debes, quam potes, magna, quos hic habemus, librorum copia, & frequens nobiscum & cum pluribus aliis piis & doctis viris de hac re commentatio. Nos vero viciſſim dabimus operam, & brevi cum Dei auxilio, ut ne te iſtius itineris, aut

tam.

tam sancti laboris poeniteat. Prout dilectus filius magister *Joan. Faber*, vir zelosus & egregie doctus, tuique amantissimus, & magnus laudum tuarum ubique praeco, tibi viva voce, vel scriptis latius explicabit; cui eandem, quam nobis habiturus esses, fidem adhibebis. Datum Romae apud sanctum *Petrum* sub annulo Piscatoris. 1 Decemb. An. MDXXII. Pontificatus nostri anno primo.

S. P. N.

# HADRIANO SEXTO

## ERASMUS ROT.

*S. D.*

1 Beatissime Pater, pietatis in te meae, promptaeque erga Sedem istam obedientiae pignus, iterum mitto per publicum nuncium civitatis Basiliensis, si forte libellus, quem pridem misi, redditus non est. Tum aliud ad manum non erat, ubi sese uberior attulerit occasio, non defuturus sum officio meo. Nihil his temporibus potest esse turbulentius, in quibus difficillimum sit omnibus satisfacere. Ego certe hactenus satisfeci conscientiae meae, quam spero me Christo etiam approbaturum. Neque simplex est rerum tempestas; armis, opinionibus, studiis, factionibus, odiis, convulsa sunt omnia. Mundus unum te spectat, qui rebus humanis serenitatem reducas. Si tua Sanctitas jubebit, audebo secretis literis indicare consilium meum, si non prudens, certe fidele, quo malum hoc sic extingui possit, ut non facile repullulet. Nec enim magni refert, sic opprimi violentia, ut mox erumpat majore cum periculo, quemadmodum solent male curata ulcera. In magnis tempestatibus a quovis etiam se moneri patiuntur, quamlibet periti, gubernatores. Nec *Moses* repudiavit *Jetro* consilium, etiamsi ego *Jetro* non sum; sed tamen apud *Terentium Davus* fidele consilium impartit hero suo. Si quid erit, quod probabitur, licebit uti. Si nihil erit, quoniam praeter duos nos nemo cognoscet, nullo periculo res obliterabitur. Nos humiles videmus, & audimus fortasse quaedam non adspernanda, quae summos viros fugiunt. Inprimis illud cavendum censeo, ne privata quorundam odia laedant publicum orbis & *Christi* negotium, & si vindicetur

1 *Beatissime.*] Vid. Erasm. Epist. DCXLI.

tur hominum auctoritas, ut non prodatur auctoritas *Jesu Christi*, qui solus est heri & hodie ipse & in secula. Nos olim quaedam liberius lusimus, sic tum ferebat temporum tranquillitas, non suspiscantes hoc seculum exoriturum. Nunc quoniam video rem Christianam in grave discrimen adduci, modis omnibus advigilandum est, neque quicquam omnino dandum privatis affectibus. Nolim ominari male. Tamen video plus imminere periculi, quam vellem, aut quam multi intelligant. Utinam Christus omnia vertat in bonum exitum. Civitas haec Basilea, multis dotibus eximie florens, peculiari quodam studio ducitur erga Sedem istam, cum ob multa, tum ob Synodum quondam hic habitam. Proinde digna est, meo judicio, favore Sanctitatis tuae, praesertim quum quod petit, nec iniquum sit, nec difficile. Hoc jussus sum adscribere, quum nihil esset opus. Si tua Sanctitas dignabitur obedientiae meae periculum facere, injungat quod volet; nisi promptus & alacer paruero, ne numeret Erasmum inter suos. Spiritus Domini Jesu dirigat animum tuum & omnes tuos conatus ad salutem orbis ac Dei gloriam. Basileae XXII. Decembris Anno MDXXII.

## [1] HADRIANUS SEXTUS PAPA ERASMO ROT.

*Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Redditae sunt nobis his proximis diebus literae tuae undecimo Calend. Januarii Basileae ad nos datae, cum altero exemplari, eleganter & sumptuose apparato, *Arnobii* tua opera castigati, & sub nostro nomine in lucem emissi, propterea quod nondum certior factus esses, an, quod primo miseras, ad manus nostras pervenisset. Quibus duabus rebus vere ex animo, & plus quam credi facile queat, in Domino laetati sumus. Nam & munus ipsum tale est, ut quantum ex longa Epistola tua opera praescripta credere, & ex paucis, quae hactenus per diversas occupationes in illo legere potuimus, odorari licet, vel per se ipsum, nedum ex eo quod abs te probatum & editum sit, magnopere doctis omni-



1 Vid. Epist. Erasmi DCXLVIII.

omnibus placere debeat: & literae ipſae tantam animi tui ſinceritatem, religionem, zelum Dei, pietatem, ergaque nos, & hanc beati *Petri* ſedem, devotionem & obſervantiam prae ſe ferunt, ut ſi qua unquam ex minus amicis de te delationibus (quales excellentibus viris nunquam deeſſe ſolent) irrepere potuiſſet animo noſtro ſiniſterior de tua integritate ſuſpicio, eam omnem hae literae penitus ſuſtuliſſent: omninoque credas ex illis ad eam benevolentiam, qua te, tum ob patriae ſtudiorumque & vitae communionem, tum ob multiplices ingenii & naturae dotes, quas bonorum omnium largitor in te collocavit, ſemper ſumus proſequuti, maximum pondus acceſſiſſe. Summopere vero in illis gratum fuit, quod nobis conſilium pollicearis tuum, quo temporum iſtorum turbulentia atque confuſio ſic, ut ais, exſtinqui poſſit, ut non facile repullulet. Teque in Domino hortamur, & quam maxime poſſumus ſerio, & in abundantia charitatis requirimus, ut quantum tibi Dominus donaverit, nobis modum ac rationem aperire ſatagas, quibus tetrum hoc malum (dum adhuc medicabile eſt) de medio nationis noſtrae auferri valeat. Qua re nihil eſt ſub ſole quod ardentius deſideremus; neque id quidem, quod noſtra auctoritas atque potentia (quod ad nos privatim attinet) hac ſaeva tempeſtate nonnihil periclitari videatur: quippe quarum neutram non modo unquam concupiverimus, verum etiam ultro delatas vehementer reformidaverimus, plane (Deum teſtamur) recuſaturi, niſi inde Dei offenſam, & conſcientiae noſtrae laeſionem veriti fuiſſemus: ſed quod tot millia animarum Chriſti ſanguine redemptarum, & curae noſtrae paſtorali creditarum, idque noſtrae ſecundum carnem nationis, ſub ſpe Euangelicae libertatis, re autem vera Diabolicae ſervitutis, recta in perditionem trahi videamus. Quanto vero & citius & ſecretius nobis hujusmodi tuum conſilium patefeceris, tanto Deo majus obſequium, & nobis rem gratiorem praeſtiteris. Celeritate enim propter commune periculum, ſecreto vero propter tuum, cujus incolumitatem ut noſtram cupimus, opus eſt. Et quamvis jam dudum ad te perveniſſe credamus literas noſtras prioribus tuis, cum quibus alterum exemplar *Arnobii* ad nos dederas, reſpondentes, in quarum calce te invitabamus, ut, transacta hyeme, aëre Romano a praeſentis peſtis contagione repurgato, ad nos venires, magnamque ex his poſtremis literis fiduciam conceperimus, te ei deſiderio noſtro morem geſturum: omittere tamen noluimus, quin id ipſum & per has noſtras abs te etiam inſtantius depoſceremus; niſi forte tibi evidentiſſime conſtaret, te iſtic plus quam apud nos Deo obſequi, & Eccleſiae ſuae prodeſſe poſſe. Eo enim caſu contra rationem propoſitumque noſtrum, quo Dei honorem, & Eccleſiae ſuae aedificationem, poſt-

habitis

habitis omnibus privatis affectibus, quaerimus, futurum esset, si te ex uberiori messe avocaremus. Alioqui vero scito, te nil nobis gratius, quam si ad nos veneris, & cito veneris, (quatenus tamen id citra incommodum tuum fieri valeat) praestare posse; nobisque omnino curae fore, ne itineris ac laboris te tui poeniteat: veluti prioribus literis promisimus, & hisce repromittimus. Non est autem cur ob alterutram dictarum caussarum venire differas, cum jam & hyems declinare incipiat, & pestis contagio adeo facta sit exigua, ut in tanta urbe prope nulla videri possit. Negotium istius civitatis, & ob illius nobilitatem, ergaque hanc sedem devotionem, & ob tuam intercessionem, commendatissimum habemus, brevique expeditum ad ipsam civitatem cum ejus nuncio revertetur. Datum *Romae* apud Sanctum *Petrum* sub annulo Piscatoris, XXIII. Januarii, Anno MDXXIII. Pontificatus nostri anno primo.

## [1] HADRIANO SEXTO ERASMUS ROT.

*S. D.*

Beatissime Pater, qui has perfert, ut mihi visus est utcunque certus, ita praeter exspectationem oblatus est a prandio, postridie diluculo profecturus. Itaque parum abfuit, quin consultius ducerem, ad tantum Principem, de re tam ardua nihil omnino scribere, quam ex tempore scribere. Tamen quoniam utroque diplomate (nam utrumque redditum est) sic urget, obtestatur, ac propemodum adjurat tua Sanctitas, ut si quod habeam consilium his tumultibus sedandis, pro mea virili conferam, & tua compulsus auctoritate, & tua vere Pontificia mansuetudine fretus, vel ex tempore scribam, scripturus copiosius, simul atque dabitur & ocium, & grammatophorus certior. Tutius simul & commodius erat haec coram agere, planeque erat animus, quo sane quam amantissime invitat tua benignitas. Sed cogor edictis saevissimi tyranni parere. Cujus inquies? longe *Mezentio* & *Phalaride* crudelioris, Calculus illi nomen est. Atque istic quidem remisit se pestis, remisit hyems, sed longum est iter, ut jam tutum sit per nivosas Alpes, per

 hypo-

1 Vid. Erasm. Epist. DCXLIX.

hypocausta, ad quorum solum odorem exanimor, per sordida & incommoda diversoria, per acria vina, ad quorum gustum ilico periclitor. *Si* valetudo suppeteret, tutius esset iter per Galliam, verum id fiet, ubi volet Dominus. Interim Dominum *Jesum* testem facio hujus conscientiae, me quicquid scripturus sum, simplici sinceroque animo scribere. Nemo mortalium leget hanc Epistolam, nisi nos duo, si quid placet, utere: si quid displicet, puta non esse scriptum. Utinam adessent mihi praesidia, quae mihi tribuis ad coercendum hoc dissidium, non dubitarim hujus vitae jactura publicis mederi malis. Primum stylo vincor a multis, nec haec res stylo geritur. Eruditio longe est infra mediocritatem, & si qua est, ex vetustis Auctoribus hausta est, ut aptior sit concioni quam pugnae. Jam hujus homunculi quae possit esse auctoritas? An apud hos valeat auctoritas *Erasmi*, apud quos nihil habet ponderis auctoritas tot Academiarum, tot Principum, ac summi denique Pontificis? Gratia si qua fuit, aut sic refrixit, ut pene nulla sit, aut prorsus interiit, aut in odium etiam versa est. Qui autem sexcentis Epistolis describebar, *Ter maximus heros Princeps literarum*, *Sydus Germaniae*, *Sol studiorum*, *Antistes bonarum literarum*, *Vindex sincerioris Theologiae*, nunc aut sileor, aut longe diversis coloribus depingor. Nihil moror inanes illos titulos, quibus nihil aliud quam gravabar. Quibus conviciis multi nunc debacchantur in caput meum, quam amarulentis libellis incessunt, quibus minis territant? Nec enim defuerunt qui mihi exitium denunciarent, si quid me commoverem. At interim alii clamitant, mihi convenire cum *Lutheranis*, clamitant, me nihil in illum scribere: sed qui vehementer *Luthero* favent, fremunt, me nimium frequenter incessere *Lutherum*, & amarulentius quam decet. Quiritatur hoc ipsum *Lutherus* in suis ad amicos Epistolis. Late patet *Germania*, & abundat excellentibus ingeniis. Nec hanc tamen solum hic habet affectus; non ausim scribere in quam multis regionibus, quam penitus popularibus animis sit infixus *Lutheri* favor, & odium Pontificii nominis. Porro vix credat aliquis, quanta sit ingeniorum pervicacia, constantiam vocant ipsi. Nec abhorret ab his bona pars eorum, qui deamant politiores literas. Haec dolens ac gemens refero, beatissime Pater, & utinam vana. Cum omnibus eruditis erat mihi jucundissima sodalitas, hac sola possessione videbar mihi felix; pene mori maluissem, quam tot amicitiis renunciare, ac mundi prope dixerim odium concitare in caput meum. Et tamen hoc malui, quam videri factiosus, nec adhuc hujus animi me poenitet. Non hic commemorabo quantam tragoediam, fortassis immedicabilem, potuerim excitare, si quorundam affectibus me praebuissem. Malo

Malo fraudari hac gratia, quam arcanum effutire. Nec hoc nomine mihi posco gratiam, quod a maleficio temperavi, utcunque diversa pars pietatem appellat. Si valetudinis ac senectutis excusatione tantum conquievissem in hoc negotio, habenda, opinor, erat gratia: nunc tot Epistolis, tot libellis editis testatus sum me esse alienissimum a foedere *Lutherano*, omnem spem mei ademi omnibus, ac ne nominis quidem mei praetextu passus sum illos uti apud vulgus. Publice dehortatus sum a seditioso negotio, privatim quoscunque potui vel coercui, vel revocavi, vel certe moderatus sum. Neque nihil profeci, sunt qui mihi pro fidelibus monitis agunt gratias. Quoties palam *Lutheri* maledicentiam detestatus sum? Quis tulit indignius quam ego, Regis Anglorum nomen tam irreverenter attactum? Atque interim dum haec ego apud *Germanos*, *Romae* traducor furiosis ac plus quam famosis libellis: in *Brabantia* non jam in conviviis tantum ac vehiculis, sed in publicis concionibus ac solennibus praelectionibus praedicor haereticus, haeresiarcha, schismaticus ac falsarius; haec neque raro facta sunt, neque clam ut ignorari possint. Sciscitetur a populo tua sanctitas, audiet a quovis, illorum nomina. Habet *Lutheri* factio quosdam, qui sic promovent illius causam, quasi devoverint se ipsos, nisi illam modis omnibus subvertant. Et isti sibi videntur Pontificis causam humeris suis sustinere. Jactant nihil esse pestis in libris *Lutheri*, quod idem non sit in meis. Nec ullus adhuc articulus proferri potuit, qui mihi cum *Luthero* conveniat. Sed isti interpretantur quaedam, verum, sed depravatissime, suspicantur, sed malitiosissime. Sic ego centum locos colligam ex *Paulinis* Epist. qui congruunt cum his quae damnata sunt in *Lutheri* libris. O grave exemplum eorum, qui sibi credi postulant in negocio fidei! Quid enim isti aliud proficiunt, nisi quod dum palam serviunt suis privatis affectibus, & fidei causam perdunt, & sibi auctoritatem abrogant, & vulgi odium in Pontificem exacerbant. Multa scripsi priusquam suspicarer *Lutherum* esse natum, aut priusquam quisquam somniaret hoc seculum exoriturum. Praecipitavi, fateor, pleraque omnia. Nam hoc mihi vitium est genuinum, doctorum tamen, ac praesertim Ecclesiae, judicio me semper submisi. Multos rogavi, monerent, si quid inesset in lucubrationibus emendandum, & qui tum vel obticuerunt, vel approbabant, exorto *Luthero* damnant, quod approbaverant. Nihil non calumniantur, sub omni lapide, quod ajunt, cubat scorpius, hoc suspectum, hoc scandalosum, hoc irreverenter dictum. Et quum nullius Academiae, nullius Episcopi, censura in me prodita sit, tamen quidam privata auctoritate clamitant haereticum, haeresiarcham. Quem animum quantumvis constantem hae

injuriae non propellerent in factionem? Me tamen nulla vis a recto deflectere potuit. Et tamen sic primum impulsus est *Arius*, sic *Tertullianus*: quare dispiciat tua Sanctitas, an hunc animum dignum judicet, qui dedatur quorundam impotentibus odiis, tum an hoc expediat negotio, quod est in manibus. Qui bene volunt Pontificiae causae, dant operam, ut ex haereticis reddant orthodoxos, ut alienatos revocent, vacillantes confirment; quod tua quoque Sanctitas non minus prudenter, quam Christiane fieri suadet. At isti religionis & Ecclesiae nutantis Atlantes vacillantes impellunt, amicos alienant, ex ortodoxis faciunt haereticos, bene dicta depravant. An non merito deplorem senectutem meam, quae velut in picem mus, ut ajunt, in hoc seculum inciderit? Multos evexit ac ditavit *Lutherus*, nonnullis profuit esse *Lutheranis*. Mea conditione quid infelicius, qui dum omnium commodis meo victu sumptuque noctes ac dies inservio, nihil aliud refero praemii, quam quod utrinque dilaceror? Sed ostendit tua Sanctitas horum malorum remedium. Confer, inquis, te *Romam*, aut scribe quam odiosissime in *Lutherum*, indicito bellum omnibus *Lutheranis*. Primum quum audio, *confer te Romam*, quid aliud fit, quam si quis Cancro dicat, Vola: Respondit Cancer, Da alas. Dicam & ego: redde juventutem, redde bonam valetudinem. Utinam hic esset mihi minus justa excusatio. Prolixum esset commemorare causas, quae mihi persuaserunt, ut hactenus manerem Basileae: illud semel ausim dejerare, si quid vidissem utilius Reip. Christianae, me vel cum vitae periculo facturum fuisse. Nunquam defuit perficiendi voluntas, sed proficiendi spes. Quid autem stultius, quam movere malum bene quiescens, si nihil speres, nisi majus incommodum? Etiam atque etiam te rogo, permittas hanc veniam oviculae tuae, et aliquantisper liberius loquatur apud suum pastorem. Ut liceat per valetudinem, quid profecturus sum *Romae*? Abfuturus sum a consortio *Lutheranorum*. Jam nunc absum maxime: nihil enim mihi cum illis commercii. Itaque mihi quidem nihil est periculi ab illis, quod ad animum attinet. Porro quod attinet ad illos corrigendos, citius profecero vicinus, quam procul remotus. Quid faciet medicus aegrotis, si se procul abducat? Quum hic increbuisset rumor me *Romam* accersitum, qui statim fremitus exstitit jactantium me isthuc ad praedam advolare? Quid igitur habiturum est ponderis, si quid isthuc scripsero, praemiis corruptus, quemadmodum isti sibi persuaserunt? Agam isthic, aut scribam fortasse tutior, at isthuc est mihi consuluisse, non causae. Si moderate civiliterque scripserim in *Lutherum*, videbor cum illo ludere: sin ipsius stylum imiter, si bello lacessam *Lutheranos*, quid aliud quam

crabro-

crabrones irritabo? Hactenus, fateor alui quibus potui modis doctorum hominum amicitiam: sic enim video me plus proficere. Sed hactenus, inquies, nihil audio praeter querimonias, consilium expecto. Et haec, quae hactenus dixi, consilii pars est. Caeterum, ut aggrediar, video multis placere ut malum hoc sanetur austeritate, sed vereor ne rerum exitus doceat olim hoc inconsultum fuisse consilium. Plus enim video periculi, quam vellem, ne res exeat in atrocem caedem. Non jam disputo quid istis dignum sit, sed quid expediat tranquillitati publicae. Latius serpsit hoc malum, quam ut sectione aut ustione sanandum sit. Fateor sic olim apud *Anglos* Regum potentia oppressa est factio *Wiclevitarum*, sed oppressa verius quam exstincta. Et tamen quod tum in eo regno licuit, quod totum ab unius nutu pendet, nescio an hic liceat in tam vasta regione, inque tot Principes dissecta: certe, si stat sententia carceribus, flagris, confiscationibus, exiliis, censuris, mortibus obruere hoc malum, nihil hic opus fuerit meo consilio. Quanquam video tuae mansuetissimae naturae diversum placere consilium, qui mederi malis quam punire. Id fuerit non admodum difficile, si omnibus adesset idem animus, qui tibi, ut sepositis, quemadmodum scribis, privatis affectibus, sinceriter consultum vellent gloriae *Christi*, & saluti populi *Christiani*. Quod si suo quisque commodo privatim intentus est, si Theologi suam auctoritatem undique sartam tectam haberi postulant, si Monachi suis commodis nihil patiuntur decedere, si Principes omne jus suum mordicus retinent, difficillimum fuerit in commune consulere. Primum erit explorare fontes, unde hoc malum toties repullulat, his ante omnia medendum. Tum autem non inutile fuerit, si rursus ostendatur impunitas his, qui ex persuasione aut impulsu alieno errarunt, vel potius omnium malorum superiorum ἀμνηστία, quae fato quodam accidisse videntur. Si sic quotidie nobiscum agit Deus omnium obliviscens admissorum, quoties ingemuerit peccator, quid vetat quo minus idem faciat Dei vicarius? Et tamen interim per Magistratus ac Principes coerceantur novitates, quae minimum faciunt ad pietatem, plurimum ad seditionem. Optarim, si fieri possit, & libellorum procudendorum licentiam cohiberi. Ad haec praebeatur mundo spes mutandorum quorundam, quibus non injuria se queritur gravari. Ad libertatis dulce nomen respirabunt omnes. Huic modis omnibus consulendum erit, quatenus salva pietate licet, consulendum est explicandis hominum conscientiis, sed interim nihilo secius consulendum dignitati Principum & Episcoporum. Verum haec dignitas aestimanda est his rebus, in quibus vere sita est illorum dignitas, quemadmodum aestimanda est & populi libertas. Dicet

tua

tua Sanctitas: Qui sunt isti fontes, aut quae sunt ista mutanda? *Ad harum rerum* expensionem censeo evocandos e singulis regionibus viros incorruptos, graves, mansuetos. gratiosos, sedatos affectibus, quorum sententia . . . . . [1]

1 Cetera desunt, & perierunt.

## VENERABILIBUS AC EGREGIIS VIRIS ET DOMINIS, DECANO ET CAPITULO ECCLESIAE SANCTAE MARIAE TRAJECTENSIS, PRAECEPTORIBUS ET CONFRATRIBUS HONORANDISSIMIS ET CHARISSIMIS.

Praesentatae in Profesto XI. M. Virginum & die sequenti in capitulo lectae anno 1523.

Post debitam Commendationem, Colendissimi Domini & Confratres charissimi, quod literis D. vestrarum in causis Ecclesiae nostrae mihi redditis prius ad unguem non responderim, in causa fuit tristis acerbaque jactura Reip. Christianae. Die exaltationis vivificae *Crucis*, Adrianus Papa VI. Patriae nostrae pater unicunque decus, nescio quo morbo extinctus est. Nam pridie nonas Augusti (quo die Romae festum Sanctae Mariae ad nives celebratur) Optimus Patrum pater, religionis publicaeque laetitiae causa (nam eo die publicata fuit pax & concordia inter Principes & Potentatus Italiae illius sollicitudine procurata) ex palacio ad Sanctam Mariam majorem cum coetu Cardineo proficiscens aestuantibus caloribus, quos semper antea formidaverat, submoratus ibidem per noctem ac diem celebrem in hortis & vinea Card. Sanctae Crucis, Convivium dominis Cardinalibus dantis, ecce ad Palatium reversus, seu nimio aestu laboreque fatigatus, sive infesto esu aut potu refectus, incidit in morbum, & quidem latentem principio ac remissum, mox apertum, & graviorem. Attonitis subito cunctis advolant medici duo Hispani & duo Latini aegroto patri affuturi, adventu primo anxium & aestuantem recreant, ingravescente morbo cura & sollitudine. Verum sive medicamentis, sive vi morbi occulta conficiente vires, ita dejectus est, ut nullis excitari fomentis potuerit, nihil a Cubiculariis (& nocturnis vigiliis circa patronum emaceratis ac ferme collapsis) prae-

Hanc *Hermanni Lochorstii* de morte Hadriani nostri Epistolam produxit Lappius in Append. ad Bek. & Hed. pag. XI. & nos eam iterum edituros promisimus ad Moring. p. XIV. & LXXVIII. & LXXIX.

praetermiſſum eſt, & quod indolendum magis eſt, Urbs tota ſollicita de ejus ſalute fuit praeter avaros, quibus nocuit juſti Sanctique PONT. reformatio, multi amicorum famulorumque votis ſeſe damnavere, conquiſita undique remedia & pleraque ultro allata. Sed fruſtra implores medicos aut remedia quaeras, ubi mors imminet, paulatim extenuatus ad ultimam receſſerat maciem, & ipſe labi ſe frigeſcere ſentiebat, quanquam medici non deſperabant, ſi natura paululum potuiſſet attolli. Vocem paululum amiſit priusquam moreretur. Dum loqui potuit, afflictum & miſerabile fuit audire quo pondere, quibus argumentis amicos conſolabatur. Ut diceret velle excedere eum vita non cogi. Mortuus eſt poſt horam primam pomeridianam, ſumptis ante meridiem rite Eccleſiaſticis Sacramentis. Sicut vixit pacifice, moroſe, devote & ſancte, ita obiit. Moriens teſtamento edixit, donavit & legavit (conſenſu Collegii deſuper requiſito) familiae ſuae antiquae deſcriptae bona ſua mobilia ante Papatum acquiſita, ex Hiſpaniis ad Urbem Romam aſportata, aſſerens illis eſſe ſobrie proviſum juxta modum laborum & periculorum, ſeque noluiſſe abuti bonis Eccleſiae, ſeu Sacerdotiis, ad eos ditandum, exemplum dans ſucceſſoribus, &c. Inſuper commiſit Reverendiſſimo Cardinali Enckevoert, neſcio an pluribus, diſpoſitionem omnium bonorum mobilium & immobilium per eum relictorum Trajecti & Lovanii ad pios uſus, & praeſertim pro alimentatione pauperum affinium, ac dotibus pro ſalute animae ſuae, &c. Interrogatus de ſepultura & humatione ſaepius, parum reſpondit, vetuit tamen pompam & magnificentiam ſepulchri, juxta Anaxagoram Philoſophum dicentem, ſepulchra eſſe divitiarum teſtimonia, non mortis honeſtamenta, mortuisque nullam eſſe jacturam minorem quam ſepulchri, undique ſe aperientibus viis ad ſuperos ſeu inferos. Pollicetur tamen Dominus Cardinalis Enckevoert propriis impenſis (& non immerito) circa monumentum docens expenſas mille ducatorum. Poſtquam nuntiata eſt mors per Urbem & loca vicina, efferrique funus, ſtatim clauſae omnes fores, concurſum undique ad funus eſt, moeſtitia publica Urbis viſa eſt, magnus luctus optimorum virorum, movebant clariſſimae Virtutes, modeſtia multa in ore, multa in verbis, tum dignitas quanta deſiderari ad gratiam poſſet. Corpus procerum & erectum cum gracilitate non indecora, facies candida & viva plena dignitatis, gratiae & Majeſtatis. Verecundia

tanta ut omnem corruptorum improbitatem deterreret. *Vita* libera non licentiosa. Consilium multum ac ponderis, ut responsa Delphica docti appellarent. Oratio desiderata non tarda, eloquentia cum opus esset, praeterea contracta & modica, Imperium in Hispaniis summa cum integritate gestum absque superbia, absque avaritia aut crudelitate summo moderamine, in severitate benignitas, in benignitate severitas laudabatur. Devotus foemineus sexus ingemiscere, fortunae accusare acerbitatem audiebatur, sacros pedes castasque manus adorare & osculari videbantur omnes. Verumtamen Cardinales, Mercatores avari & mendaces officiarii, quorum solita lucra reformatione aequissimi Pastoris cessaverant, & id genus hominum novarum rerum studiosum, aequo animo, quae a Diis Immortalibus seu mortal*ibus* aguntur, accipere patique, ac vitae hujus imbecillitatem & fortunae impetus patientius ferre, & suam ut in prosperis secundisque rebus, sic in adversis dignitatem servare visi sunt, ne debilitari aut frangi fortunae ictibus videantur. Quamobrem acerbitatem & calamitatem istam Reip. Christianae patientia potius quam lachrymis prosequuntur, rem tenetis. Hodie coeptae sunt exequiae, humatus est in sacello Divi Andreae. Inter duos pios tenet medium pientissimus. Monumenti superior pars talem scripturam. *Hic nihil sibi infelicius in vita duxit quam quod imperaret.* In Inferiore vero parte est album, epitaphium desiderans. Cui inscribi posset illud Tranquilli Molossi Casalensis.

*Quod bonus & recti custos, quod pacis amator,*
*Correctorque aulae luxuriantis eras;*
*Scilicet hac una caussa, vir Sancte, peristi,*
*Vixisses annos Nestoris improbior.*

Primo etiam die affixa fuere funeri haec carmina.

*Cita Mors Adriani.*
*Hinc Mors tam cita, quod mores & tempora nostra*
*Prava nimis, talem non meruere Virum.*
*O Mors. O Tempora.*

In causa & negocio Ecclesiae nostrae inceptis per Dominum Antonium de Amerongen, signata est supplicatio & facta minuta, quas habeo penes me, allaturus mecum. Quibus visis D. vestrae consultare poterunt super expeditione bullae, quae omni tempore fieri poterit. In causa vero Unionis cum novo Pontifice forsan melius obtinebimus intentum, quia ibitur indubie in antiquam

quam ſilvam ſtabula alta ferarum. Adrianus fuiſſet difficillimus. In negocio autem Theſaurariae & Canonicatus adoravi Domino Petro de Mael cubiculáriorum facile principi fuiſſe proviſum. Sed an ad uſum de Gaesbeeck patebit in proceſſu. Si itaque ex teſtamento omnia iſtic relicta ſint piis uſibus applicanda, minus laedemus quemquam (meo judicio) fructus hujus anni Eccleſiae noſtrae applicando, immo & motu proprio apud Cardinalem Enckevoert curare propoſui, etiam importune & inverecunde, fructus anni XXII. Pro fabrica noſtra quod ſatis turpe eſſet non annuere attenta ſumma tot annorum fructuum ad Eccleſia receptorum. Quare ſi fructus illi penes Dominum Henricum Beyer adhuc extiterint, peti poterunt ne facile diſtrahantur, quae omnia veſtrae prudentiae committo. His valeant dilectiones veſtrae mihi ſemper praecepturae. Romae XXII. Septemb. anno &c. XXIII.

*E. D. Veſtrarum*

*Humilis ſervitor & confrater minimus,*

WILHELMUS DE LOCHORST.

# MONUMENTA
## AD
# HADRIANI SEXTI
## PAPAE
# FAMILIAM
## PERTINENTIA.

# MONUMENTA
## AD
# HADRIANI SEXTI
## PAPAE
# FAMILIAM
## PERTINENTIA.

### I.

*Alle den genen, die dese brief zellen sien of horen lesen, doe wy verstaen Peter Grauwairt Scout, jonge Johan van Lichtenbergh, Roetaert van Lantscroen, Ghysbert van Vlueten, ende Johan over de Vechte, Scepene Tutrecht, dat voir ons quam in 't gerechte Zwanelt, die Jan Louwens soens wijf was, ende gaf over mit Peters hant hoirs soens ende hoirs geboorens mombaers* Boijen Jans soen *twe stat brieve, mit tween transfixbrieven, ende et goet, dair die selve brieve of spreken, dair onse tegenwoirdige brief doir gesteken is, besegelt mit onsen segellen, ende verteech dair of mit hande voirsc. ende mede van allen brieven, die dair of roerende sijn tot behoefs Boijens voirsc. alse recht ende oirdele wijsde, dat sy sculdich was te doen, ende geloefdet hem mede mit hande voirsc. jair ende dach te waren na den heyligen dertyen dach naestcomende, ende alle voirplechten of te doen. Doe dat gedaen was aldair, so quamen voir ons ter selver tijt in 't gerechte Johan van Zulen van Aenhout, ende Joncfrou Ghysbert sijn wijf, ende scouden quyt mit zamenderhant den voircoep op desen tijt van den goede voirsc., behoudeliken voirtaen hem hoirs voirscoeps ende alle hoirs rechts aen den goede voirsc. Gegeven in 't jair ons Heren dusent vierhondert ende veertich des Donredages na Sinte Martens dach in den wijnter.*

II. *Al-*

Hae sunt chartae, quas ex autographo descriptas, mihi tradidit celeberrimus Drakenborchius, & quarum mentionem fecimus ad Moring. pag. 11.

## I I.

*Alle den genen, die desen brief sellen sien of horen lesen, doe wy verstaen Peter Grauwairt Scout, Roetaert van Lantscroen, Ghysbert van Vlueten, Lubbert van Alendorp, ende Eerst Taets van Amerongen, Scepene Tutrecht, dat voir ons quam in't gerecht* Florens Boydijn Jans soens soen, *ende gaf over* Cornelis Boydijn Jans soens soen sinen broeder, *alle recht ende toeseggens, dat hy hadde aen der husinge ende hoffsted gelegen tusschen der Regulierbrug, ende de Smebrugge aen die westsijde der graften, ende geheten is de Kroeywage, ende verteech dair of tot Cornelis behoef voirgenoemt, alse recht ende oirdel wysde, dat hy sculdig was te doen, also hem dat aenghecomen ende bestorven is van dode* Gouborghen sijnre moeder, *ende gheloefdet hem mede jair ende dach te waren nae sinte Lamberts dach naestcomende, ende alle voirplechten off te doen. Ende op dat dit vaste ende stade blive, so hebben wy Scoute ende Scepene voirghenoemt onsen segellen aen desen brief gedaen tenen oircondt. Gegeven in 't jair ons Heren dusent vier hondert zesse ende veertich, des Donredages nae ons Heren Hemelvaerts dach.*

## I I I.

*Wy Borgermeistere, Scepenen, Rade ende ghemene Oudermans van den ouden Rade ende van den nywe der Stat van Utrecht, doen cond allen luden, dat wy by consente der meenre ghilden vercoft hebben,* Boyden Jans soen *om een seker somme van ghelde, die hy ons vol ende al betaelt heeft, den lesten penninc mitten eersten, ende wy voirt in onser Stat oirber gekeert ende onser Stat sculde, alse afterstallighe lijfrenten ende erfrenten, die wy onsen borgeren ende ondersaten, ende voirt anderen luden buten onser Stat woenaftich, sculdich waren, ende oeck andere onser Stat costen ende lasten mede betaelt hebben, dair wy mede belast waren, twalef pont gelts jairlicx te renten tot live* Ghysbert Cornelis Boydens soens bastert soen, dien hy hadde by Margrieten Wouter Ghysberts soens dochter, *alle vier witte vleemsche stuvers, of hore weerde in elker tijt der betalinge voir een pont gerekent. Te betalen die eene helfte op sinte Victoirs dach dair naest volgende,*

*de, ende so voirt jairlicx, also lange als Ghysbert voirsc. leven sall. Ende dese voirsc. renten sel* Boyden Jans soen *voirsc. boeren ende heffen, so langhe* Ghysbert *voirsc. in levenden live is. Ende waer* Ghysbert *voirsc. langer in levenden live, dan* Boyden *sijn soen sijn sel, so sel hy die voirsc. renten selve op boeren ende heffen so lange hy dan leeft. in oirconde 's briefs besegelt mit onser Stat segell. Gegeven in 't jair ons Heren dusent vier hondert een ende sestich, des Donredaghes na sint Victoirs dach.*

## I V.

*Alle den genen, die desen brieff sellen sien of horen lesen, doe wy verstaen Scoute ende Scepenen der Stat van Utrecht, dat voir ons quamen in 't gerechte* Cornelis Boydens soen *ende* Marye sijn wijf, *ende gaven over mit samenderhant, alse recht wijsde, Jan Korstiaens soen den statbrieff mitten transfixbrieff en tie alinghe husinge ende hofstede, dair die selve brieve of spreken, dair onse thegenwoordige brieff doer gesteken is, ende vertegen dair of, ende van allen rechts ende toeseggens, dat sy dair aen hadde, ende mede van allen brieven, die dair of roerende sijn tot Jan Korsgens soens behoeff voirsc. alse recht ende oirdele wijsde, dat sy sculdich waren the doen, ende sy geloefdent hem mede jair ende dach te waren op drie pont, ende tyen scillingen 's jairs stat paey erfrenten na beloken paeschen naestcomende, ende alle voirplechten of te doen. Dit geschiede onder Jan van Oudewater Scout, Arent van Renesse, Eerst van Hardenbroeck, Adryaen van Lantscroen, Dirck van Zulen, Evert van Voerde, Alfer Ruysch, Vrederyck de Voecht van Rynevelt, Beemt Uten Eng, Braem van Lichtenberch, ende van Lantscroen, Henric van Lewenberch, ende jonge Eerst Taets van Amerongen, Scepenen Tutrecht. Ende op dat dit vast ende stade blyve, so hebben wy Scout ende Scepene voirsc., onser Stat segell aen desen brieff gedaen. Tenen oirconde gegeven in 't jair ons Heren dusent vier hondert acht ende tsestich des Dinsdages na Sinte Valentijns dach.*

## V.

*Allen den ghenen, die desen brieff sellen sien of horen lesen, doe wy verstaen Scout ende Scepenen der Stat van Utrecht, dat voir ons quam in 't gherechte Margriet van der Horst, ende gaf over mit hoirs ghecorens mombers hant, dair sy mit rechte, ende mit oirdele aenquam,* Bouwen Jans soens *den statbrief mitten transfixbrieven en die renten, dair dese selve brieve off spreeken, dair onsen teghenwoirdighen brief doir gesteken is, ende verteech dair off mit handen voirseyt tot* Bouwens *behoeff voirghenoemt, alse recht ende oirdele wijsde, dat sy schuldich was the doen. Dit geschiede onder Johan van Ameronghen Scout, Johan Knyff, Eerst Taets van Ameronghen, Adryaen van Rijn, ende van Jutfaes, Willem van Lochorst, Eerst van Drakenborch, Willam van Steenre, Johan van der Hair, jonghe Heijnrick van Ghent, Gherijt van Rijn Souwen soen, Goyert Deel, Roelof van Nyevelt, ende Jóhan van Amerongen Jacops soen, Scepenen t' Utrecht. Ende op dat dit vaste ende stade blive, so hebben wy Scout ende Scepenen voirgenoemt, onser Stat seghell aen desen brieff ghedaen. Thenen oirkonde ghegheven in 't jair ons Heren dusent vierhondert negen ende tsestich, des Donredaghes nae beloecken Paesschen.*

## V I.

*Alle den ghenen, die dese brieff sellen sien of horen lesen, doen wy verstaen Scoute ende Scepene der Stat van Utrecht, dat voir ons quamen in 't gerechte* Boeyden Jans soen, Cornelis Boeydens soen, Marrye sijn wijf, Gheertruyt Florijs Boeydens soens wedue, Claes, Jan *ende* Adryaen hoir kijndere, die sy hadde by Florijs Boedens soen, *horen man. Ende aldair so gaven alse* Boeyden *ende* Claes *voirseyt elcx mit hoirs selfs hant voir hem zelven*, Cornelis *ende* Marye *sijn wijff voirseyt mit ghesamenderhant*, Gheertruyt *voirseyt gaf mit hoirs ghecorens mombershant*

*dair*

*dair sy mit rechte ende mit oirdele aenquam*, Jan *ende* Adryaen *voirseyt gaven mit hande hore maghen van horen vier vierendelen die dair teghenwoirdich ende voir oghen ware, ende gaven al mit gesamenderhant, alse recht wijsde, over Gherijt Krijeck tot behoeff der Bijlhouwer Ghilde Tutrecht, den statbrieff van Utrecht en tie alinghe renten dair den selven statbrieff off spreect, dair onsen tegenwoirdighen brieff doir gesteken is, ende verteghen dair off mit hande voirscreven totter Bijlhouwer ghilden behoeff voirghenoemt, alse rechte ende oirdele wijsde, dat sy sculdich waren the doen. Ende* Boeyden *voirsc. gheloefde mede aen hande des ghilden voirseyt, tot wat tijden* Jan Boeydens soen sijn soen *bynnen lants coemt, dat hy die dan alsoe goet hebben sel, dat hy den ghilde voirseyt mede overgheven sel alle rechts ende toesegghens, dat hy heeft aen den renten voirseyt, wanneer dat ghilde hem des vermaent of vermanen, Dat sonder arghelist dit gesciede onder Johan van Ameronghen, Adryaen van Rijn, ende van Jutfaes, Willam van Lochorst, Eerst van Draickenborch, Willam van Steenre, Johan van der Hair, Jonghe Heynrick van Ghent, Gherijt van Rijn Zouwen soen, Ghoeyert Deel, Roelof van Nyevelt, ende Johan Ameronghen Jacops soen, Scepene Tutrecht. Ende op dat dit vaste ende stade blive, so hebben wy Scoute ende Scepene voirghenoemt onser seghell aen desen brieff ghedaen. Thenen oirconde ghegheven in 't jair ons Heren, dusent vier hondert neghen ende tsestich des Dijnsdaghes op sunte Franciscus avont.*

## VII.

*Alle den genen, die desen brieff sellen sien, of horen lesen, doe wy verstaen Scout ende Scepene der Stat van Utrecht, dat voir ons quam in 't gerecht* Jan Boeydens soen, *ende gaf over voir hem ende voir* Mergriet sijnen wive, *dair hy op dese tijt wittelike geboirte by heeft*, Cornelis Boeydens soen synen brueder, *sijn aendeel ende alle rechts ende toeseggens dat hy heeft aen dat bouhuys mitten berch, mit allen synen toebehoren, alsoe die gelegen is in die Molenstege op tie suytsyde der straten, dair Jan Herbert oestwairt, ende Gerijt van der Molen westwert naestgelegen*

Inhis aedibus natus Adrianus VI. Pontif.

*legen sijn. Item, noch gaf Jan Cornelis synen brueder over dat sestyendeel van der alinger* Husinge ende Hoefstede, gelegen op den Noerthoeck van die Brantstege *aen die grafte, dair die Brantstege boven, ende Heynrick Was beneden naest gelegen sijn, ende verteech dair off ende van allen brieven, die dair off rueren- de sijn tot Cornelijs behoeff voirgenoemt, alse recht ende oirdele wijsde, dat hy sculdich was te doen, ende geloifdent hem mede jair ende dach te waren na sinte Lambertsdach naestcomende op ten pacht alst gelegen is, ende alle voirplechten of te doen sonder arch. Ende dit was die andere sake, die* Jan Boeydens soen *hu- den op desen dach voir ons deden. Dit gesciede onder Jan Over de Vecht Scout, Willem de Vosse, Beernt Grawert, Jan Knyff, Peter Ruysch, Jan van Hamersteyn, Lubbert de Waell, Eerst van Drakenborch, Heynrick van Gent, Dirck Bor van Ame- rongen, Heynrick Knoep. Maecharius van Benthem, ende Hu- bert Jacops soen, Scepene Iutrecht. Ende op dat dit vast ende stade blive, so hebben wy Scout ende Scepen voirgenoemt, onser stat segell aen desen brieff gedaen. Tenen oirconde gegeven in't jair ons Heren, dusent vier hondert drie ende tseventich, des Dijns- dages op sinte Stevens dach inventio.*

## VIII.

*Alle den genen, die desen brieff sellen sien of horen lesen, doe wy verstaen Scout ende Scepen der Stat van Utrecht, dat voir ons quam in 't gerecht* Cornelis Boeydens soen, *ende gaf o- ver voir hem ende voir* Marie synen wive, dair hy op dese tijt wittelike geboerte by heeft, Jan Boeydens soen synen brueder, *den stat brieff mit den transfixbrieven van Utrecht, ende sijn aen- deel ende alle rechts ende toeseggens dat hy heeft aen den renten, dair den selven statbrieff off sprect, dair onsen tegenwoirdigen brieff doergesteken is, ende verteech dair off tot Jans behoeff voirgenoemt, alse recht ende oirdele wijsde, dat hy sculdich was te doen sonder arch. Ende dit was die vierde sake die* Cornelis *voirseyt huden op desen dach voir ons deden. Dit gesciede onder Jan over de Vecht Scout, Willem de Vosse, Beernt Grawert, Jan Knijff,*

*Peter*

*Peter Ruysch, Jan van Hamersteyn, Lubbert de Waell, Eerst van Drakenborch, Heynrick van Gent, Dirk Bor van Amerongen, Heynrick Knoep, Maecharius van Benthem, ende Lubbert Jacobsz., Scepen Tutrecht. Ende op dat dit vast ende stade blive, so hebben wy Scout ende Scepen voirgenoemt onser stat segell aen desen brieff gedaen. Tenen oirkonde gegeven in 't jaer ons Heren dusent vier hondert drie ende tseventich, des Dijnsdages op sinte Stevens dach invencio.*

## I X.

*Alle den genen, die desen brief sellen sien of horen lesen, doe wy verstaen Scout ende Scepen der Stat van Utrecht, dat voir ons quam in 't gerecht* Cornelis Boeydens soen, *ende gaff over voir hem ende voir* Marye synen wive, dair hy op dese tijt wittelike geboirte by heeft, Jan Boeydens soen synen brueder, *sijn aendeel en alle rechts ende toeseggens, dat hy heeft aen den twee oude Vrancrijcxe Scilde 's jaers losrenten aen der Stat van Utrecht, dair den selven statbrieff of spreckt, dair onsen tegenwoirdigen brieff doergesteken is, ende verteech dair of tot Jans behoeff voirgenoemt alse recht ende oirdele wijsde, dat hy sculdich was te doen. Ter selver tijt quam voir ons in 't gerecht Willem de Vosse als een Scepen Burgermeyster in der tijt, ende scout quyt van der stat wegen tot behoef* Jan Boeydens soens *voirseyt den voircoep op dese tijt van der renten voirscreven, behoudeliker de Stat van Utrecht voirtaen hoirs voircoeps, ende alle rechts dat sy heeft aen den renten, dair den voirscreven stat brieff off spreket. Ende dit was die vijfte sake, die* Cornelis *voirscreven huden op desen dach voir ons deden. Dit gesciede onder Jan over de Vecht Scout, Willem de Vosse, Beernt Grawert, Jan Knijff, Peter Ruysch, Jan van Hamersteyn, Lubbert de Waell van Drakenborch, Heynrick van Gent, Dirck Bor van Amerongen, Heynrick Knoep, Maecharius van Benthem, ende Hubert Jacops soen, Scepen Tutrecht. Ende op dat dit vast ende stade blive, so hebben wy Scout ende Scepe voirgenoemt onser stat segell aen desen brieff gedaen. Tenen oirkonde gegeven in 't jair*

*ons Heren, dusent vier hondert drie ende tseventich, des Dijnsdages op sinte Stevens dach invencio.*

## X.

*Alle den genen die desen brieff sellen sien of horen lesen, doe wy verstaen Gerijt van Rijn Scout, Adriaen van Rijn ende van Jutfaes, Werner Braem, ende Vrederick de Voecht van Rijnevelt, Scepen t'Utrecht, dat voor ons quamen in 't gerecht* Geertruyt *die* Florens Boeyens soens *wijf was*, Claes Florens soen, *ende* Jan Florens soen, *gebrueders. Ende aldair so gaven alse* Geertruyt *voirseyt mit hoirs gecoren momboirs hant, dair sy mit recht ende mit oirdele aenquam*, Claes *voirseyt gaff voir hem ende voir Aefgen synen wive, dair hy op dese tijt wittelike geboirte by heeft; ende* Jan *voirseyt gaff mit sijns selfs hant voir hem selven, ende gaven al mit gesamender hant alse recht wijsde over* Cornelis Boeyens soen *alle rechts ende toeseggens, dat sy hebben aen een bouhuys mit enen berch gelegen in de molensteech, dair Jan Herbert oestwairts, ende westwairts Gerijt van der Molen naest gelegen sijn, ende vertegen dair off mit handen voirseyt, ende meden van allen brieven, die dair off ruerende sijn tot* Cornelis *behoef voirgenoemt, alse recht ende oirdele wijsde, dat sy sculdich waren te doen, ende geloifdent hem mede jair ende dach te waren na sinte Lamberts dach naistcomende, ende alle voirplechten of te doen, Ende ter selver tijt so geloifde desen voirscreven personen aen handen* Cornelis *voirsc., als dat sy* Adriaen horen soen *ende Brueder alsogoet hebben sellen also wanneer dat hy tot synen mundigen dagen gecomen is, dat hy dan* Cornelis *voirsc. mede overgeven sel dat bouhuys mitten berch voirsc. in der manieren voirsc. Ende op dat dit vast ende stade blive, so hebben wy Scout ende Scepen voirgenoemt onse segulen aen desen brieff gedaen. Tenen oirconde gegeven in 't jair ons Heren dusent vier hondert vier ende tseventich, des Dijnsdages op ten vier ende twijntichsten dach in Mey.*

Papa postea Hadrianus VI.

XI. *Al-*

## X I

*Alle den ghenen die desen brieff sellen sien of horen lesen, doe wy verstaen Scout ende Scepen der Stat van Utrecht, dat voir ons quam in 't gerecht* Jan Boeyens soen, *ende gaf over voir hem ende voir* Mergriet synen wive, *dair hy tot dier tijt wittelikke geboirte by hadde, Lambert Goyerts soen ende Jutte synen wive den statbrief mitten transfixbrieven, en tie alinge renten dair die voirsc. brieven off spreken, dair onse tegenwoirdige brieff doirgesteken is, ende verteech dair of tot Lambert Goeyerts soen, ende Jutte voirgenoemt behoef, alse recht ende oirdele wijsde, dat sy schuldig was te doen. Dit gesciede onder Gerit van Rijn Scout, Willem de Vosse, Jan over de Vecht, Henrick van Lewenberch, Jan de Coninck, Jan van Veen; Jacop Jacopssoen, Aerent van Hove, jonge Jacob van Amerongen, Gijsbert de Craen, Peter Pot, ende Eerst van Lichtenberch, Scepen t' Utrecht. Ende op dat dit vaste ende stade blive, so hebben wy Scout endə Scepen voirgenoemt onser stat segell an desen brieff gedaen. Tenen oirconde gegeven ın 't jair ons Heren dusent vier hondert ses ende tseventich, des Donredages na onser liever vrouwen dach nativitas.*

## X I I.

*Alle den ghenen, die desen brieff sellen sien of horen lesen, doe wy verstaen Scoute en Scepene der stat van Utrecht, dat voir ons quam in 't gerechte Anthonio Bauwerick Milinix soen, ende gaf over tot onser antwoirde, jonge Jan Boemhouwer die helfte van eenre husinghe ende hofstede mit allen horen toebehoren, ghelegben by die brantsteghe in de Springwijck, dair voir an de straet aen de Zuytsijde naest ghelegen is Adriaen van Wesel, ende after aen den hof* Boeyden Jans soen mit sinen kijnderen, *ende noertwaert voir aen de straet Claes die Leertouwer, ende after aen den hof Jacop die Backer, ende verteech dair of tot behoef*

*hoef jonge Jan Boemhouwers voirſeyt, ende van allen rechts ende toeſeggens dat hy daer aen hadde, ende mede van allen brieven, die daer of roerende ſijn, alſo als hem dat aenghecomen ende beſtorven is van dode ſijns vaders ende moeders, als recht ende oirdele wijsde dat hy ſculdich was te doen. Ende hy gheloefde hem die helfte van der huſinghe ende hofſtede voirſc. mede jaer ende dach te waren na ſinte Lamberts dach naeſtcomende op drie pont 's jairs ſtat paey ende tyen ſcillinghe erfrenten, die tot deſer alingher huſinghe ende hofſtede voirſeyt gaet, ende alle voirplechten of te doen. Doe dat gedaen was ter ſelver tijt doe quam voir ons in 't gerechte Brueder Dirck Symon, ende toende aldair enen opene brief gans ende gave, ende wel beſegelt mit ſeghelle des convents van ſinte Maryen bijnnen Amſtelredamme, alſo alſt geleeck ende wijt bekennen mochten, ongecanſeleert ende ongeraſeert, ſprekende van woerde te woerde inder manyeren hier na beſcreven. Wy Margriet Reyners dochter Mater in 't ghemene convente van ſinte Marien bijnnen Amſtelredamme, doen condt allen luden, dat wy machtich ghemaect hebben ende maken machtich mit deſen onſen brieve, Brueder Dirck Simon ende Brueder Reyner Heynricx ſoen, ende elcx van hem byſonder van onſer weghen, ende in onſen name, voir den Scout ende Scepene t' Utrecht, in 't gerechte over te gheven jonghe Johan Boemhouwer, die helfte van der huſinghe ende hofſtede mit allen ſinen toebehoiren, gheleghen by die brantſteghe in die Springwijck, daer aen de Zuytſijde voir aen de ſtraet naeſt ghelegen is Adriaen van Weſel, ende after aen den hof* Boeyden Jans ſoen *mit ſijn kijnderen, ende aen de Noertſijde voir aen de ſtrate Claes die Leertouwer, ende after aen den hof Jacob die Backer, ende mede van onſer wegen daer of te vertyen tot behoef jonge Jan Boemhouwers voirgenoemt, ende van alle rechts ende toeſegghens, dat wy dair aen hadden, ende mede van allen brieven die dair off roerende ſijn, alſo ons dat aenghecomen is mit Lijsbeth Bauwerijck Milincx dochter, onſe mede geprofeſſeyde ſuſter, ende voirt van onſer wegen daer inne te doen ende te laten, ende mede te loven jair ende dach te waren, ende alle voirplechten of te doen, ghelijckerwijs ende in allen manyeren off wy dat ſelven deden, ende dair teghenwoirdich ende voir oghen waren, ende gheloven mede ſo wes onſe ghemachtighen voirſeyt hier van onſer wegen in doen ſellen, dat vaſt ende ſtede te houden*

*tot*

*tot ewighen daghen ſonder argheliſte. In oirkonden des ſo hebben wy onſe convents ſeghel wthanghende aen deſen brief ghedaen. Gegeven in 't jair ons Heren duſent vier hondert neghen ende vijftigh des anderen daghes na ſinte Odulfs dach. Ende doe wy den voirſcreven opene brief gheſien ende wel verſtaen hadden, aldaer ſo begheerde Brueder Dirck Symon voirghenoemt eens oirdels van ons, of hy overmits den voirſcreven opene brief alſo ghemachticht waer, dat hy van weghen, ende in name des maters ende ghemene Convents van ſinte Marien binnen Aemſtelredamme, overgheven mochte jonge Johan Boemhouwer die helfte van der huſinghe ende hofſtede mit alle ſinen toebehoeren, dair die voirſcreven opene brief die bepalinghe of inhout, ende dair of vertyen mochte, ende van alle rechts ende toeſegghens, dat dat voirſchreven Convent daer aen hadde, ende mede van allen brieven die daer of roerende ſijn, tot behoef jonge Jan Boemhouwers voirghenoemt, ende hem mede loven mochte na inhout des voirſchreven opene briefs jair ende dach te waren, ende alle voirplechten of te doen. Ende hem wert ghewyſt mit recht ende mit oirdele, dat hy 't wel doen mochte, behouden elckermale ſijns rechts. Doe dat ghedaen was, aldaer ſo gaf Brueder Dirk Symon voirſeyt, alſo als hy ghemachticht was van wegen die Mater ende gemene Convente van ſinte Marien binnen Amſtelredamme voirgenoemt, over jonghe Jan Boemhouwers voirſcreven, ende van allen rechts ende toeſeggens, dat voirſcreven Convente daer aen hadde, ende mede van allen brieven die dair of ruerende ſijn, alſo alſt den voirſcreven Convente aengekomen is mit Lysbeth Bauwerijck Milincx dochter, hoir mede geprofeſſide zuſter, alſe recht ende oirdele wijsde dat hy ſculdich was te doen. Ende hy geloefde hem mede van wegen der Mater ende gemene Convente voirgenoemt, de helfte van der huſinghe ende hofſtede voirſcreven jair ende dach te waren, na ſinte Lamberts dach naeſtcomende op drie pont ende tyen ſcillinghe 's jairs ſtat paye erfrenten, die wt der alingher huſinghe ende hofſtede voirſc. gaen, ende alle voirplechten of te doen, in allen manieren als die voirſcreven opene brief inhout ende begrepen heeft. Dit geſciede onder Johan van Jutphaes Scoute, Johan van Ryneſſe ende van Wulven, Henrick van Nyevelt, Johan van Hamerſteyn, Herman van Lewen-*

*wenberch, Jacob Proeys, Henrick van Zandenborch, Adriaen van Rijn ende van Jutfaes, Henrick van Ghent, Willam van Steenre, Dirk Taets, Gherijt Zoudenbalch, ende Goedscalck van Brakell, Scepene t' Utrecht. Ende op dat dit vaste ende stade blive, so hebben wy Scoute ende Scepene voirgenoemde onser stat seghel aen desen brief gedaen tenen oirconde. Gegheven in 't jair ons Heren, dusent vier hondert neghen ende vijftich, des Dijnsdaghes na alre Apostelen dach.*

# FINIS.

# INDEX RERUM ET VERBORUM.

## A.

Absentes etiam Papae creari possunt. 54 a.
Absentia Praelati multa incommoda adfert. 130
Academia Complutensis instituta a Francisco Ximenio. 40
——— Lovaniensis. 6 a. b.
Academiam Trajecti erigere in animo habuit Hadrianus P. 71 a.
Accessus magna ex parte sublati ab Hadriano VI. 68, 159
Accoltus (*Petrus de*) Cardinalis. 145
Achilles de Graffis Cardinalis. 145
Acinus botri in vinea, quid mystice significet. 268
Acredius Medicus. 113
Adiaferia, palatium extra muros Caesaraugustae. 166
Adorare ad solis ortum quid sit. 286
Adriana, filia Comitis de Ribagorsa, ab Hadriano VI. sacro fonte abluta. 166
Adulterium semper a Deo punitum. 272
Adulterium Ecclesiasticum. 273
Advocati munere an & quando licet Clericis fungi. 285 a. b.
Adurnius (*Antoniottus*) Genua expulsus, postea restitutus, & Dux creatus. 118 b.
Adurnius (*Hieronymus*) Genuensium Dux occurrit Hadriano VI. 184
——— ejus fata. 118 b. 119 b. 120 a. 186
——— Caesaris Legatus apud Venetos ibi obiit. 135
Aegidius Cardinalis. 145
*de* Agreda Doctor, testis adhibitus ab Hadriano cum Pontificatum acceptaret. 161
——— missus ab Hadriano P. ad Zemorensem Episcopum. 163
——— charus Hadriano P. 191, 226
——— Hadrianum P. Romam intrantem sequitur. 194
——— Hadrianum P. veneno extinctum adfirmavit. 220
Agricola (*Rudolphus*) primus in Belgio cum Rudolpho Langio graecas literas excitavit. 5 b.
*de* Aguirre Licentiatus, Caesaraugustam venit ad Pontificem Hadrianum videndum. 170
Alarion, Dux Hispanus, obstat Germanis Romam invadentibus. 241
Albertus Moguntinus Cardinalis. 146
Aleae lusus quare Clericis prohibitus. 282 b. 283 a.
Aleander (*Hieronymus*) invitat Erasmum nomine Leonis decimi, ut contra Lutherum scribat. 66 b.
——— ejus fata. 74 a. b. 75 a.
Alexander VI. Papa, & ejus fata. 107 a. b. 108 a. b. 219 263 a. b.
Alfonsus, filius Comitis de Salinas submersus. 234
*de* Alpharo, municipium munitissimum. 165

Ambire Ecclesiastica beneficia prohibitum. 17 a. b.
Ambitio ingens malum. 309
Ambitiosorum natura. 107, 309
Amicas domi habere non licet Clericis. 20 b. 21 a. b.
Andrada (*Ferdinandus*) Praefectus classi, qua Hadrianus VI. Romam navigavit. 162
——— ejus fata. 117 b. 118 a.
Andreas Lopensis, Asparotti dominus, dux Francisci I. Navarram invadit 104. b.
——— captus & dimissus. 105 b.
Antoninus, Archiepiscopus Florentinus, inter Sanctos relatus ab Hadriano VI. 71, 139, 210, 356
Antonius Nebrissensis, Historicus, & qualis. 164 a. b. 165 a.
Antonius a Studillo, breve electionis detulit ad Hadrianum. 57 b. 160
Antracinus (*Johannes*) Hadriani VI. medicus. 137
Apenninus mons. 235
Apostoli, quibus vestibus induti, quando sacra faciebant. 280 b.
——— manuum suarum opificio victum sibi quaesiverunt. 284 a.
*de* Aquapendente oppidum. 231
Archidiaconorum origo, & eorum dignitas. 288 a. b.
Arenbergius (*Wilhelmus Comes*) interficit Ludovicum Borbonium Episcopum Leodiensem. 289 b.
Argentarius Mons ubi jacet. 190
Ariminum, occupatum a Sigismundo Malatesta. 121
——— restitutum sedi Apostolicae. 203
Armastrophus, a consiliis Carolo V. 36 b.
Armellinus (*Franciscus*) Cardinalis. 145
——— falso delatus apud Hadrianum VI. a Francisco Soderino. 129
——— quando Cardinalis creatus. 129 b. 291 b.
Arnulphus, Archiepiscopus Rhemensis, ab Hugone Capeto depositus, & a Papa restitutus. 274 b.
Arragones, unde dicti. 240
Arragoniae Regum sepulchra. 239
Artal (*Hieronymus*). 158
Atestinus (*Alphonsus*) Ferrariae Dux, Albertum Pium Carpio expellit. 43 a. b.
——— ejus vita & fata. 62 a. b. 123, 128, 183 b.
Atestinus (*Franciscus*). 62 a.
Atestinus (*Hercules*). 62 a.
——— Romam missus a patre. 128
Atestinus (*Hypolitus*). 62 a.
Atrocianus (*Johannes*) descripsit tumultum rusticorum in Germania. 50 b.
*de* Avalos (*Gaspar*) qualis fuerit, & quare Hadrianus VI. eum secum in Italiam ducere volebat. 170
Aurelius (*Cornelius*) vid. in *Cornelius Aurelius*.
Aures quando auferuntur. 276

B.

*de* Bacano oppidum. 229
Baelius conscripsit vitam Hadriani. 144
Balbus (*Hieronymus*) quid Hadriano VI. exprobrat. 71, 132
——— qualis fuerit. 71 b.
Baleonus (*Gentilis*) Perusia expulsus; restitutus, & iterum expulsus. 110 b.
Baleonus (*Horatius*). 110
——— Julio Medici Romam venienti obviam venit. 130
Baleonus (*Johannes Paulus*) capitali supplicio adfectus a Leone decimo. 110 b. 111
Baleonus (*Malatesta*) Perusiae dominus. 110
Baluzius laudatus. 291 a.
Bambergensis civitatis Consulibus & Senatoribus mandat Hadrianus VI. ut curent, ne Lutheranorum libri ibi divendantur, aut imprimantur. 487
Banniti in Catalonia. 237
Barbirius (*Petrus*) ab Hadriano VI. Genuam missus, ut naves conduceret, quibus Rhodiis auxilium ferret. 123, 204
——— qualis fuerit. 123 b.
Barchinona urbs. 238
Barchinonensis Episcopatus subjacet Archiepiscopatui Tarraconensi. 239
Barlaeus (*Casparus*) notatus. 71 a.
Barlandus (*Adrianus*) notatus. 2 b. 25 a.
Basiliscus, tormentum Rhodiorum. 126
*la* Bataille de Ravenna. 184

Batavi celebribus ludis profecuti sunt promotionem Hadriani VI. 358
Battus Parmensis, insignis famae Hadriani VI. detrectator. 14a. 20a. 436
*de* Belchite (*Comes*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
Belintanus (*Matthias*) notatus. 1 b.
Bendiuellus Saulius Cardinalis, & ejus fata. 95
Benedictus XI. Papa, cognatos & consanguineos sibi ignotos fingebat. 69
Beneficia Ecclesiastica quae. 301 b.
——— multa habere an liceat: 32 a. b. 225
——— in quos conferenda. 225
——— per gradus obtinenda. 226
——— quando adulterantur & prostituuntur. 273
Benetus (*Cyprianus*) scripsit orationem hortatoriam vehementem ad Hadrianum VI. ut acceleraret iter Romam. 144
Benno, Misnensis Episcopus, inter Sanctos relatus ab Hadriano VI. 71, 139, 210, 356
Beomontius Asparosium carcere emittit. 105
Bernardinus Pimentel, Nuncius Apostolicus Hadriani VI. in Hispania. 173
Berni (*Franciscus*) notatus. 20 b.
Berselius, discipulus Hieronymi Aleandri. 74 a.
Bertholdus, Eistetensis Episcopus electus quomodo consecratus. 291 a.
Beyente (*Johannes Antonii*) ad praebendam majoris Ecclesiae admissus ex resignatione Hadriani VI. 42 b.
Biblia sacra excusa a Ximenio. 40
Binghamus laudatus. 282 a.
Blasius Ortizius, vide *Ortizius*.
Boissardus notatus. 12 b. 327 a. b.
Bona Ecclesiastica, bona pauperum 301 a.
——— in quibus olim constiterint, & quibus usibus inservierint. 300 a. b. 301 a. b.
Bonifacius Cardinalis. 146
Bonvivetus, dux Gallorum. 77, 136
Bootius (*Cornelius*) laudatus. 397 a.
Borbonius (*Ludovicus*) Cardinalis. 146
Borbonius (*Ludovicus*) Episcopus Leodiensis, & ejus perpetuae discordiae cum Leodiensibus 289 a.
——— occisus a Wilhelmo Comite Arenbergio. 289 b.
Borgia (*Franciscus*) Cardinalis deficit a Julio secundo Papa. 24 a.
Brantius notatus. 12 b. 397 b.
Bravus (*Johannes*) Dux rebellium Hispanorum. 102
——— captus a Caesarianis. 103
——— jugulatus. 104
Bria (*Renatus*) Cardinalis, deficit a Julio secundo Papa. 24 a.
Bricocaetus (*Guielmus*) primus Euangelium in Gallia annuntiavit. 359
Brisoneta (*Guielmus*) Cardinalis, deficit a Julio secundo Papa. 24 a.
Broekhusius (*Janus*) laudatus. 73 b. 133 a. 429 a.
Buenconvento municipium. 231
Bulonius (*Gothofredus*). 64
Burmannus (*Petrus*) laudatus. 2 a. 20 a. 63 a. 133 a. 232 b.
Buslidius (*Hieronymus*) instituit Collegium trilingue Lovanii. 7 a. b.

C.

*de* Cabredo (*Rodericus*) quomodo Hadrianum VI. excepit. 164
Cabrera notatus. 44 a.
Caesaraugusta urbs. 240
Caesar Borgia, & ejus fata. 108 a. b. 263 b.
——— Prosperi Columnae ditiones occupavit. 119 a.
Caesarinus (*Alexander*) Cardinalis. 145
——— Legatus missus a Cardinalibus ad Hadrianum in Hispaniam. 115, 149
——— Caesaraugustae Hadrianum salutat. 171
——— Hadrianum comitatur. 176
Cajerbegus Solymanno copias & commeatus transmittit ad expugnandam Rhodum. 127
Cajetanus (*Marcellus*) Romam evocatus ab Hadriano VI. 138, 411
Cajetanus (*Thomas*) Cardinalis. 145
——— praecipuus auctor electionis Hadriani VI. 53 a. 111
——— in Hungariam Legatus missus ab Hadriano VI. 67 a. 212
——— obstat Hadriano, ne reformatio instituatur. 73 b. 411, 422
——— ejus vita & scripta 53 a. 212 a. b.
Calagurritanensis, ut & Calcatensis Episcopatus

patus cuinam subsint? 240
Calcagninus (*Coelius*) qualem praeceptorem habuit. 45 a.
——— ejus oratio ad Hadrianum VI. 321 & seqq.
Calervega, patria Divi Dominici. 163 a.
Campeggius (*Laurentius*) Cardinalis. 145
Campus sanctus Pisis. 232
Cancellariatus Lovaniensis qualis honor. 19 b. 89
Canonizatio quid, & quomodo fit. 210, 211
Caracciolus (*Marinus*) Legatus Caesaris Venetiis. 135
——— nomine Leonis X. invitat Erasmum, ut contra Lutherum scriberet. 66 b.
Caraffa (*Petrus*) Romam vocatus ab Hadriano VI. 137, 411
——— qualis fuerit. 138 a.
Caraffa (*Vincentius*) Gubernator Romae. 146
Cardinales in electione Hadriani in factiones divisi. 106, 107, 108
——— praesentes quamdiu tenentur absentes exspectare, antequam Conclave ingrediantur. 222, 223
——— Collaterales summi Pontificis. 295
——— unde dicti, a quo instituti, & eorum munera. 296
——— quare rubro galero insigniti. 296
——— quam turpiter munus suum exercent. 297
Cardinalium quorundam conjuratio in vitam Leonis decimi. 94, 95
Caroli Magni laus. 281 a.
Carolostadius qualis fuerit. 356 a.
Carolus Borbonius, deficit a Francisco primo Rege Galliae. 51 b.
Carolus Burgundiae Dux duxit Margaretam Elboracensem. 17 a.
——— Leodium expugnat. 289 a.
Carolus Magnus, Epitaphium posuit Hadriano primo P. 269 a.
——— Desiderium Longobardorum Regem Italia pellit. 270 a.
Carolus V. discipulus Hadriani. 29, 30, 90, 91, 396
——— praeceptorem deserit, cujus postea poenituit. 31, 91, 394, 403
——— Magister ordinum D. Jacobi creatus. 41
——— Rex Hispaniarum creatus. 94
——— Imperator creatur. 46, 97
——— Germaniam petit. 49 a.
——— semper Hadrianum veneratus est. 348
Carpio expulsus Albertus Pius ab Alfonso Atestino. 43 a. b.
Carraca submersa cum multis Hispanis. 234
Carvajal (*Bernardinus*) Cardinalis. 23, 144
——— Hadrianum Julio Papae commendat. 25
——— Papatum ambit. 107
——— Hostiae custos Hadrianum VI. ibi laute excipit. 192
——— ejus fata. 23 b. 24 a. b. 90, 183
Cataloniae Principatus quae continet. 239
*S.* Cathrina de Sena. 231
Catharina, filia Ferdinandi Catholici. 35 b.
Caudatarii Cardinalium majores praebendas sibi deberi putant. 226
Cavellero (*Blasius*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
——— quomodo Blasium Ortizium excepit. 243
Cauponam intrare prohibitum Clericis. 284 b.
——— exercere interdictum Clericis. 285 a.
Cauponarii viles personae. 285 a.
*S.* Celedonius in Hispania cultus. 165
Centum gravamina Principum Germaniae unde orta. 412
——— quid continebant. 420, 421
Cervitroya insula. 190
Cesius (*Paulus*) Cardinalis. 145
——— quale munus in Conclavi Hadriani VI. obierit. 146
Ceverius, sive Crojus (*Guielmus*) pueritiae Caroli V. praefectus. 25
——— eum a literis avertit. 31 a. 91
——— Hadriani auctoritatem apud Carolum suspectam habet. 35, 92
——— cubiculo Caroli praefectus. 36 b.
——— odit Hadrianum, & quare. 37 a. b.
——— summa ejus auctoritas apud Carolum. 45
——— Hispanis invisus. 46, 48

——— ejus mores, vita, & fata. 45 a. b.
Cheregatus (*Franciscus*) missus ab Hadriano VI. ad Conventum Nurenburgensem. 65, 124, 346, 358, 471
——— mandata, quae ab Hadriano accepit. 375, 376, 377, 378, 379, 412, 471
——— qualis fuerit. 65 a. b.
Christiernus secundus, Daniae Rex, ob crudelitatem profugus. 359
Christophorus Foroliviensis Cardinalis. 145
Chytraeus notatus. 39 a. 77 a.
Cibo (*Innocentius*) Cardinalis. 145
Claveria insula, ubi jacet. 190
Clemens IV. Papa, cognatos ad beneficia provehere noluit. 69
Clemens VII. Papa electus. 223
——— a Carolo V. obsessus in arce molis Hadriani. 62 b. 241
Clerici debent esse literati. 273 a.
——— justis nuptiis procreati. 274 a.
——— unde dicti. 282
——— debebant per inferiores ordines adscendere. 290 a. b.
——— debent vivere de altari. 301 a.
Clericis non licet amicas domi habere. 20 b. 21 a. b.
——— militia interdicta. 214 a. b. 215 a. b.
——— vetitum de minore ad majorem Ecclesiam transire. 275 a. b.
——— non licet aleae aut aliis ludis indulgere. 282 b. 283 a.
——— Ebrietas vetita. 283 a.
——— prohibitum dationes pecuniarum, aut rerum officinam suscipere, foenus exercere, aut usuras exigere a debitoribus, aut ullam negotiationem exercere, aut esse conductores vel procuratores. 283
——— vetitum tabernas intrare. 284 b.
——— vetitum cauponam exercere. 285 a.
——— vetitum Advocati, Procuratoris, depositoris vel collatoris pecuniae munere fungi, vel tutelam vel curam gerere. 285 b.
——— vetitum venationi operam dare. 297 a. b.
Clericorum vestes an antiquitus distinctae. 280 a.
——— propriae cuique ordini, & luxuria circa eas prohibita. 281 a. b.
Clericorum veterum tonsura qualis. 282 a.
*In* Clerum antiquitus non recipiebantur nisi fortuna tenues, & quare. 284 a. b.
Coadjutoriae magna ex parte sublatae ab Hadriano VI. P. 68
Coenobium Augustini prope urbem Falisconem. 230
——— Francisci, prope urbem Faliscонem. 230
——— S. Mariae de La Chercia. 229
——— de Monte Serrato. 238
——— Servorum prope urbem Faliscонem. 230
Cognatos an ex bonis Ecclesiasticis divites facere liceat. 362
Coldesanca Doctor, quibus negotiis ab Hadriano praefectus. 168, 226
Collegia Lovaniensia. 7 b. 88
Collegium Buslidianum Lovanii a quo institutum, & quae ibi docentur. 7 a. b.
——— Pontificium ab Hadriano erectum. 23 a. b. 89
——— Standonicum Lovanii, Lutetiae, Mechliniae & Valenzenis. 8
——— Vaulxianum Lovanii. 7 a.
Collum sponsae quid mystice. 292
Columna (*Pompejus*) Cardinalis. 145
——— epulum dat variis Legatis & Cardinalibus. 135
——— Legatus a Cardinalibus missus ad Hadrianum VI. Papam electum. 149
——— Hadriano VI. obviam venit, & oratio ab eo habita. 120
——— ejus fata. 75 b. 76 a. 111
Columna (*Prosper*) Hadriano VI. obviam venit. 119, 187
——— veneno extinctus. 220
——— ejus fata. 119 a. b.
Columna (*Prosper junior*). 147
Columna (*Vespasianus*). 147
Columna (*Victoria*) uxor Ferdinandi Davali Piscarii. 112 b.
Commendae. 41, 159 b. 297
Concilium Constantinopolitanum contra Symoniacos celebratum. 278 b.
——— Pisanum. 24 a.
Conclave Hadriani. 106, 107, 108, 109, 141 ad 153, 223
Conclavium Historiae. 141
Conradi secundi Imp. exta condita Trajecti. 251 a. b.
Consalvus Magnus & ejus fata. 93 a. b. 184


Con-

Conſtantinopolitani Patriarchae illiterati. 273 b.
Conſtantinus Comninus, Dux Achajae & Macedoniae, Capitaneus urbis Romae. 146
Conſtantinus Magnus liberalitate ſua obtuit Eccleſiae. 313, 314
——— ejus donatio falſa. 307 a. b.
Conſtantinus Papa electus cum eſſet laicus. 290 b.
Conventus Nurenbergenſis. 65
a Corduba (*Ludovicus*) Legatus Caeſaris Romae, quid Hadriano VI ſuaſerit. 122
——— auctor, ne Hadrianus VI. Pasquilli ſtatuam in Tyberim praecipitem dederit. 134
Corduba (*Petrus*) pater Conſalvi magni. 93 a.
Cornelii Aurelii Gaudani Epiſtola Hoenio ſcripta. 247, 248, 249
——— nominis ſignatura. 250
——— allocutio ad Trajectenſes. 251
——— proſopopeia. 256
——— epiſtola Hadriano Leontio ſcripta. 2 7
——— quare ei praeſertim cordi ac gaudio eſt promotio Hadriani. 271
——— munus libros exſcribendi ipſi injunctum. 298 a.
——— quando ſtudiis operam dabat. 304
——— notatus. 267 a 307 a. b.
Corſica inſula. 190
Cortona Cardinalis, Hadriano obviam venit. 189
Creyghton (*Robertus*) laudatus. 53 b.
Crojus (*Guielmus*) Cardinalis, & ejus fata. 72 a.
Crojus, vide *Ceverius*.
Cubicularii Cardinalium putant majores praebendas ſibi deberi. 226
Cueva (*Bartholomeus*) Hadriani VI. mortui pedes deoſculatur. 218
ex Cupiditatibus quaenam mala oriuntur. 266
de Cuppis (*Johannes Dominicus*) Cardinalis. 145

D.

Davalus (*Ferdinandus*) Piſcariae Marchio, Hadriano VI. Genuae obviam venit. 119, 187
——— ejus fata 119 b.
Davidis Burgundi Epiſcopi Trajectini laus. 273 b.
Decani quinam. 18 a.
Decimae, quare dantur miniſtris Eccleſiae. 361
Decius (*Philippus*) Juriſconſultus. 24 a. 232 a. b.
Dedeliorum familia, & an ex ea deſcenderit Hadrianus. 3 a. b. 4 a.
Delats in Catalonia ubi verſantur. 178
Demetrii Spartani idololatria. 124 a. b.
Dertuſa ubi ſita. 47
Dertuſenſis Epiſcopatus, ſubjacet Archiepiſcopatui Terraconenſi. 239
Deſiderius Rex Longobardorum *Italia* expulſus & captus. 269, 270 a. b.
Didacus a Toleto Rhodiis auxilium ferre tentat. 206
Diſcretio modum & menſuram imponit virtutibus. 282
Diſpenſatio Apoſtolica ſuper pluralitate beneficiorum an hominem tutum faciat in foro conſcientiae. 369, 370, 371, 372 373, 374
Diſpenſationes quando licitae. 382 - - - 390
Doctoratus inſignia quibus ritibus Lovanii conferuntur. 17 a.
Doctus nemo habitus niſi Doctoris titulum adeptus 17 a.
S. Dominici urbs caput Provinciae Rioïa. 163
S. Dominicus, praedicatorii ordinis conditor, qualem patriam habuit. 162 b. 163 a.
Dorotheus Aſciani notatus. 124 b.
Dorpius (*Martinus*). 249 a. b.
Dorſa contra templum Domini quinam habent. 287
Drakenborchius (*Arnoldus*) laudatus. 2 b. 3 a. 19 a. 35 a. 43 a. 256 b. 511 a.
Durandus laudatus. 95 b.

E.

Ebrietas Clericis vetita. 283 a.
Eccleſia, quando ſterilis dicitur. 263
——— quando coepit praedia poſſidere. 300 a.
——— ſponſa Clericorum. 275 a.
Eccleſiae comparatae & ornatae ex bonis Eccle-

clesiasticis. 301 a. b.
Ecclesiasticus an, ultra victus decentem necessitatem consumens de bonis Ecclesiae, teneatur ad restitutionem. 361 - - 367
Elnensis Episcopatus subjacet Archiepiscopatui Tarraconensi. 239
Elvira Erreria, mater Consalvi. 93 a.
Elxico insula ubi jacet. 190
*S.* Emeterius in Hispania cultus. 195
Enchavordii Comites unde prodierunt. 44 a.
Enchavordius (*Guielmus*) Hadriano VI. Papa electo, publicat ejus nomen. 149
—— —— - Hadriano VI. ab intimis consiliis. 123
—— —— - Cardinalis creatus ab Hadriano VI. 75, 136, 216
—— —— - grato animo Hadriani VI. memoriam prosequitur. 80, 81, 139, 143
—— —— - curavit Hadriani VI. vitam conscribi a Jovio. 338
—— —— - ipsi dedicavit Jovius suum libellum de vita Hadriani VI. 85
—— —— - ejus fata. 44 a. b. 56, 117
*S.* Engratia culta Caesaraugustae. 165
Episcopalis dignitas quo casu civitati subtrahitur. 230
Episcopi nomen quid sonat. 306
Episcopi indocti & illiterati. 273 b.
—— —— spurii. 274 b.
—— —— administratores bonorum Ecclesiae. 301 a.
— — - qualem partem ex bonis Ecclesiasticis sibi retinebant. 301 b.
Episcopus in quae inquirere debebat, antequam aliquem in clerum recipiebat. 273 a. 274 a.
Episcopus Trajectinus qualis Princeps. 87
Epistylium portae sacelli in Vaticano sponte collapsum. 127
Erasmus (*Desiderius*) auctor Hieronymo Buslidio, ut Collegium Trilingue Lovanii conderet. 7 b.
— — - aulae se committere noluit. 39 b.
— — - male habitus ab Alberto Pio. 43 b.
— — - consultus ab Hadriano VI. de dissidiis in religione componendis. 66 a. 346, 399, 401, 493 & seq.
— — - a Leone X. & Hadriano VI. invitatus, ut contra Lutherum scriberet. 66 b. 493
— — - invitatus ab Hadriano, ut Romam veniret. 495, 498, 499
— — - iter Romam excusat. 499, 502
— — - quid de Theologiae Scholasticae cultoribus sentiebat. 15 a.
— — - male habitus a Petro Barbirio. 123 b.
— — - Leoni X. & Hadriano VI. gratus. 359
Esaias, Constantinopolitanus Patriarcha, imperitus. 273 b.
Euaristus Papa titulos in urbe Roma divisit Presbyteris, & septem Diaconos in ordinem redegit. 296 b.
*S.* Eulalia. 177
Eusebius, Patriarcha Constantinopolitanus, notatus. 275 a.
Eustachius, Patriarcha Constantinopolitanus, homo simplex. 273 b. 274 a.
Everhardus (*Nicolaus*) Professor Juris Lovanii. 7 a.
Examen quale subire debebant, qui in clerum cooptari volebant. 22 a. b.
*Quid de* Exemptionibus secundariarum Ecclesiarum collegiorumque dioecesis Leodiensis constituerat Hadrianus VI. 69
Extraneam mulierem secum habere Clericis prohibitum. 21 b.

F.

Factiones Adurniorum & Fregosiorum Genuae. 118, 186
— — - Ognezinorum & Gamboinorum in Hispania. 163
Falisco urbs. 229
Farnesius (*Alexander*) Papatum ambit. 53, 108, 110.
Faventini se commendant Hadriano VI. 322 - - 324
*S.* Felicitas ubi culta. 229
Feltrius (*Franciscus Maria*) Urbinatium Princeps, & ejus fata. 61, 62 a. 110, 123, 128, 203
— — - Julio Medici Romam venienti obviam venit. 130
Feracatus Solymanno copias transmittit ad Rhodum expugnandam. 126
Ferdinandus Arragonius, Dux Calabriae, in vitam Ferdinandi Catholici conspirat. 62 b.
Ferdinandus Catholicus alienatus a Carolo. 35, 92, 93
— — - Carolo conciliatur opera Hadriani

driani VI. 36,93
— — — magister ordinum D. Jacobi. 41
— — — Navarram Castellae reguo conjunxit. 51 a. b.
— — — Consalvum suspectum ex Italia revocat. 93 a. b.
— — — — — splendide exceptus a Rege Franciae. 184
— — — — — qualem uxorem & quot liberos habuit. 35 b.
— — — — — ejus mors. 38 a. 94
— — — — — moriens commendat regnorum curam Cardinali Ximenio. 39 b.
Ferdinandus, frater Caroli, haeres scriptus a Ferdinando Catholico. 36
— — - quare Hispanis gratior quam Carolus. 36 a.
— — - discipulus Hadriani. 39
— — - mittit Legatos ad Hadrianum. 201
Ferronus (*Antonius*) notatus. 59 b. 63 a. 130. b.
Ficinus (*Marsilius*) amicissimus Francisco Soderino Cardinali. 96 a.
Fliscus (*Nicolaus*) Cardinalis. 131, 144
Florentius, Hadriani pater. 2 b. 87, 124
— — quale artificium exercuit. 4 a. b. 325, 396, 397, 403, 405
Florentius Egmondanus, Isellteiniae Dominus, bellum gessit cum Trajectinis. 19 a.
Foedus contra Gallos opera Hadriani P. initum. 135
a Fonseca (*Alphonsus*) Archiepiscopus Compostellanus, Caesaraugustam venit ad Hadrianum VI. P. videndum. 169
Fonseca (*Antonius*) Carolo V. fidelis. 99
a Fonseca (*Johannes*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 169
Fontanus descripsit Historiam belli Rhodiensis. 63 a.
Formicae de Plombin insulae. 190
Fraga, municipium Arragoniae. 240
Franciscus Guillermus Cardinalis. 146
Franciscus Pisanus Cardinalis. 145
Franciscus I. Rex Galliae, Imperium ambit. 46 a. b. 97
— — Navarram invadit. 51 b.
— — rebelles Hispanos contra Carolum incitavit. 102 a.
Fredericus, Dux Saxoniae, Imperium oblatum recusat. 46 a.
— — monitus ab Hadriano ne Luthero faveat. 65 b 66 a. 466, 472, 473
— — ejus fata. 120 a. b.
Fredericus Henricus Amirans, Hispaniae praefectus a Carolo. 101
— — - rebelles ad officium redigit. 102, 103, 104
— — - Navarram Caesari vindicat. 105
— — - offert Hadriano triremes, quibus in Italiam navigaret. 162
— — - ejus corporis statura & virtutes. 171
Fredericus Palatinus, ab Electoribus ad Carolum Imperatorem electum missus. 49 a.
Fredericus de Portugal, Episcopus Seguntinus, Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 170
Fredericus, Princeps Holsatiae, succedit Christierno secundo Daniae Regi. 359
Fredericus Toletanus, Albae Regulus, Ferdinando Catholico fidelis. 92
Fregosius (*Octavianus*) Dux Genuensis. 118
— — captus. 187
Freherus notatus. 404
*du* Fresne laudatus. 215 b.
Fuenterrabia expugnata a Gallis. 162
Funcius notatus. 12 b.
Fustae qualia navigia. 188

## G.

Gabriel, Archiepiscopus Barensis, Legatus Hadriani VI. 59
*de* Gaesbeek (*Martinus*) Canonicus, & Thesaurarius ad D. Mariae Trajecti. 42 a.
Galli caesi ab Hispanis. 105, 119
Garsias (*Johannes*) testis adhibitus ab Hadriano VI. cum Pontificatum acceptaret. 161
Gaufridi, Carnotensis Episcopi, laus. 312
Gazellus victus & caesus a Feracato. 126
Gazophylacium quid. 208
Genua unde dicta. 235
— — ejus situs & pulchritudo a quo descripta. 187
— — Gallis adempta. 118 b. 186
Genuenses quomodo excipiunt Hadrianum VI. 118, 185, 186
Genuensium mores. 235
— — — militare symbolum. 188

*Del* Genut insula. 190
*D.* Georgius ubi cultus, & militare symbolum Genuensium. 188
Georgius ab Egmonda Episcopus Trajectinus. 2 b.
Gerasinus, Patriarcha Constantinopolitanus qualis. 273 b.
Gerbertus Archiepiscopus Rhemensis creatus ab Hugone Capeto, depositus a Papa. 274 b.
Germana, uxor secunda Ferdinandi Catholici, frustra ex marito sobolem procreare exoptat. 38 b.
Germani bibaces. 19 b.
Germaniae Principes centum gravamina proponunt. 420, 421
Gertrudis, mater Hadriani VI. P. 2
—— —— quomodo filium educat & instruit. 4, 5
Gerunda, caput Provinciae Cataloniae. 178, 237
Gerundensis Episcopatus cuinam Archiepiscopatui subjacet. 239
Gibellinorum & Guelphorum factiones unde ortae. 131 b. 132 a. b.
Gilbertus Cognatus notatus. 7 b.
Giron (*Petrus*) Dux Hispanorum rebellium. 50, 99, 100
—— - ad Caesarianos se confert. 102 a. b.
Gismundus, Biseliorum Princeps, a Caesare Borgia trucidatus. 62 a.
Gnodalius (*Petrus*) descripsit tumultum rusticorum in Germania. 50 b.
Goederzee Parochialis Ecclesia collata in Hadrianum. 17, 89, 348, 395
Gomecius notatus. 40 b.
Gonzaga (*Fredericus*) Mantuanus, Hadriano VI. obviam venit. 120
—— —— Papae & Reipublicae Florentinae Imperator. 135
—— —— ejus fata. 120 a. b.
Gonzaga (*Sigismundus*) Cardinalis. 112 b. 146
Gorrebotus (*Laurentius*) Carolo quinto a consiliis. 36 b.
Graevius notatus. 396 a.
Gregorius V. Papa, Saxoniae Ducem Electorem constituit. 473
Grimanus (*Dominicus*) Cardinalis. 145
—— —— - recedit a Conclavi. 149
Grunium, antiquitus Juliobriga. 105
Guadalherca, Commendatarius de Calatrava, Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
Gudelinus, Professor Juris Lovanii. 72,
Guicciardinus notatus. 54 b. 61 a. 63 a. 130 a.
—— —— —— laudatus. 68 a. b.
Guntharius, Archiepiscopus Coloniensis, depositus, & quare. 272 a. b.
Gymnasia quatuor Lovaniensia. 9 a.
Gymnasium Porci Lovanii a quo erectum. 7 b. 8 a.
Gyraldus (*Joh. Baptista*) notatus. 2 a.

H.

Hadriani I. Papae laudes. 269
Hadriani II. Papae laudes. 271, 272
—— —— Lothario Imperatori Eucharistiam porrigit. 272 b.
Hadriani VI. parentes. 2 b. 3, 87, 332, 334, 353, 355, 395, 396, 407
—— —— ubi sepulti. 251
—— —— nominis interpretatio mystica. 265, 306
—— —— animi dotes. 9, 15, 16, 20, 48, 70, 78, 79, 91, 115, 155, 157, 159, 174, 175, 203 b. 227, 228, 255, 256, 264, 266, 368, 269, 277, 281, 286, 303, 305, 323, 342, 350, 353, 394, 398, 407, 408, 416, 439, 457, 458, 459, 463, 504, 505, 506
—— —— Elogia. 321 ad 440
—— —— avaritia. 437
—— —— impudicitia. 438
—— —— conclave. 141 & seqq. ad 152
—— —— doctrina. 13, 14, 157, 407, 439
—— —— opera & libri quos scripsit. 12 a. b. 327, 329, 331, 333, 334, 344, 348, 350, 351, 352, 353, 354, 357, 406
—— —— opera non excusa. 13
—— —— stylus qualis. 15 b.
—— —— Epistolae. 443 & seqq.
—— —— mandata quae Francisco Cheregato dedit. 375 ad 380
—— —— Breve adversus Lutherum. 483 & seqq.
—— —— Breve ad Inquisitorem Comensem. 490
—— —— numismata. 80, 151
—— —— vivendi ratio. 19, 26, 27, 28, 71, 138
—— —— insigne. 151, 152

—— —— ſymbolum. 404
—— —— odium in Lutherum unde provenit. 409
—— —— ſtatura & corporis gratia. 14, 144, 227, 355, 439, 505
—— —— ingreſſio in urbem Romam. 193, 194
—— —— inferiae quomodo ductae. 219, 220, 221
—— —— monumentum ſepulchrale. 79, 80, 139, 143, 330, 333, 338, 343, 346, 347, 349, 350, 354, 356, 357, 359, 404, 405, 406, 506
—— —— vitam & res geſtas qui conſcripſerunt. 352
Hadriano VI. an licuerit plura ſacerdotia ſimul habere. 32, 33, 34
—— —— conſcio, & cum eo re communicata, Lutherus haereticus declaratus a Lovanienſibus 6 b. 7 a.
Hadrianus Cornetanus, Cardinalis & ejus fata. 95 a. b.
Hadrianus III. Papa, an primus qui nomen ſuum mutavit. 59 a.
Hadrianus VI. Papa, ubi natus. 1 a. b. 2 a. 87, 142, 267, 329, 332, 333, 334, 342, 343, 345, 346, 347, 353, 355, 357, 358, 394, 396, 403, 405, 407
—— —— ex qua familia ortus. 3 a. b. 4 a. 398 a. b.
—— —— quomodo educatus a matre. 4, 5
—— —— prima elementa diſcit. 5
—— —— quo praeceptore uſus in addiſcenda lingua latina. 5 a. b.
—— —— mittitur Lovanium. 6, 88, 142, 325, 326, 346, 398
—— —— in Gymnaſium Porci ſuſceptus. 7, 88, 142, 348, 395
—— —— ad Philoſophiam ſe confert. 8, 88
—— —— inter familiares habitus a Joanne Standonico. 8
—— —— Magiſter artium renunciatus. 9
—— —— linguam Gallicam, Hispanicam & Italicam quando didicit. 9
—— —— Philoſophus celeberrimus evadit. 9, 10, 88, 349
—— —— ſummus Theologus & Juriſconſultus. 11, 12, 88
—— —— ſtudia quomodo regebat. 11
—— —— flores eloquentiae contemnebat. 15, b. 88
—— —— aequus tamen & candidus erga bonas literas. 15 b.
—— —— eadem animi moderatione ſibi ſemper conſtans. 16, 336
—— —— in miniſtros benignus. 16, 48
—— —— Doctor Theologiae renuntiatur. 17, 142, 334,
—— —— Parochiam accipit a Margaretha. 17, 89, 348, 395
—— —— Vicarium ibi conſtituit, & an ipſi hoc licuerit. 17, 18
—— —— Theologiam docuit Lovanii, & quoties ibi Rector Magnificus. 17, a. 349, 357
—— —— Decanus Lovanii creatur. 18, 98, 142, 251, 317, 329, 331, 334, 343, 346, 348, 348, 349, 354, 357, 395, 398, 403
—— —— Cancellarius Academiae Lovanienſis. 19, 89, 142, 267, 329, 331, 343, 346, 348, 354, 357, 403, 406
—— —— quomodo convivas excipiebat. 19
—— —— Canonicorum vitia fruſtra emendare ſtuduit. 21
—— —— ad plebem concionatus fuit, & quo ſucceſſu. 22
—— —— Collegium Lovanii inſtituit. 22, 23, 89, 330, 331, 334, 343, 346, 349, 354, 404
—— —— aliud collegium inſtituere meditatur. 25
—— —— Academiae Lovanienſis privilegia confirmavit & alia conceſſit. 23 a. b.
—— —— Romam vocatus a Julio Papa. 25
—— —— praeceptor Carolo deſtinatur. 25
—— —— ad aedificandum propenſior. 25
—— —— Trajecti aedes (*het Paushuys*) exſtruit. 25 b.
—— - - pauperum amator. 26, 34
—— - - praeceptor Carolo *datus*, quomodo alumnum *inſtruit*. 29, 30, 90, 251, 317, 325, 326, 329, 331, 332, 333, 335, 343, 346, 348, 350, 354, 355, 357, 358, 394, 395, 396, 398, 403, 405, 407
—— - - quaenam & quot beneficia eccleſiaſtica habuit. 31 a. b. 251, 348, 398
—— - - Magiſter ſupplicium libellorum apud Carolum. 35
—— - - Legatus ad Ferdinandum Catholicum in Hiſpaniam miſſus, quomodo ibi munere ſuo functus eſt. 36 a. 92, 142, 329, 331, 332, 335, 343, 350, 354, 355, 398, 403, 407

- - Lute-

—— — Lutetiam Parisiorum veniens quid ibi egerit. 335
—— — ab aulicis invidiose traductus apud Carolum quomodo se purgat. 38
—— — Episcopus Derthusensis creatur. 39, 94, 142, 317, 325, 326, 329, 331, 335, 343, 346, 350, 354, 355, 357, 395, 398, 403, 406
—— — praeceptor Ferdinandi Caroli fratris. 39, 326
—— — Hispaniae praeficitur. 36, 49, 94, 97, 142, 329, 336, 346, 348, 354, 395, 396, 398, 407
—— — cum Ximene controversias habuit. 40 a. b.
—— — optime munus gerit. 41, 332, 336, 395, 506
—— — efficit ut Carolus Magister ordinum D. Jacobi eligatur. 41
—— — quam dignitatem postea Papa propriam coronae regiae facit. 42
—— — sacerdotia quaedam in alios transfert, & quaenam. 42 a. b.
—— — Cardinalis creatur & cujus opera. 43, 44, 96, 142, 317, 325 a. b. 326, 329, 331, 336, 343, 346, 350, 355, 357, 390, 398, 403, 406, 407, 445, 446,
—— — cohibet conatus eorum, qui Collegium Buslidianum Lovanii subvertere volebant. 7 b.
—— — efficit ut Florentius Oem de Wyngaerden pristinae dignitati restituatur. 448, 449
—— — Inquisitor Hispaniae creatus. 47, 335
—— — hernia cruciatus. 49
—— — seditiones in Hispania compescit. 50, 51, 99, 100, 101, 102, 268, 336
—— — Navarram Carolo conservat. 51, 104
—— — Papa creatur, & quomodo. 53 b. 54 a. b. 55 a. b. 87, 111, 143, 149, 265, 321, 326, 327, 329, 331, 332, 336, 343, 345, 346, 350, 354, 355, 357, 358, 360, 395, 396, 398, 407, 457
—— — per gradus evectus. 200
—— — ubi nuncium de electione in Pontificem accepit. 57, 113,
—— — invitus Pontificatum retento pristino nomine acceptat, & quomodo. 58 a. b. 115, 161, 337, 355, 358, 398, 455, 456, 498
—— — quomodo munus suum exercere debebat. 305 - - 311, 313
—— – quales Legati Apostolici ab eo adsumendi. 311, 312
—— – pacem inter Europae Principes conciliare studet. 59
—— – Carolo v. Imp. amicissimus. 123, 348
—— – an iniquior Gallis & Carolo nimis faverit. 59 b.
— – – a Caesare retardari vel in Hispania retineri nolebat, & quare. 116, 117 a. b. 173 a. b.
— – – ex Hispania solvit & Romam proficiscitur. 60, 116, 117, 143, 162, 377
— – – quas urbes transierit. 162 - - 166, 172, 174, 177 - - 182, 185, 188, 189, 190
— – – quomodo Lucronii susceptus. 164
— – – quomodo Calagurrii susceptus. 165
—— – quomodo Caesaraugustae susceptus. 166
—— – quae ibi peregit Hadrianus. 167, 168, 171, 172
—— – an potuerit ante coronationem revocare indultas &c. 168 a. b.
—— – a Caesaraugusta iratus decedit & quare. 172 a. b.
—— – quomodo a Barcinonensibus receptus. 177
—— – quomodo a Saonensibus. 182
—— – quomodo a Genuensibus exceptus. 118, 185, 355
—— – in Italiam adveniens offendit Cardinales, & quare. 120
—— – vetat ne arcus triumphales erigantur. 121 a.
—— – Romam venit & ibi coronatur. 61, 121, 150, 195 197, 198, 326, 327, 337, 355
—— – quomodo a Romanis excipitur. 193
—— – quare omnibus succurrere non potuit. 61 b. 121, 122
—— – an neglexerit Rhodo auxilium adferre. 63 a. b. 122, 123, 127, 204, 205, 335, 358, 439, 467
—— – Legatum ad conventum Nurenbergensem mittit. 65, 124, 337, 346, 358, 400, 466, 467
—— – monet Fredericum Ducem Saxoniae ne Luthero faveat. 65, 354, 472 & seqq.
—— – quid de doctrina Lutheri sentiebat. 66 a. 399, 414, 447, 468, - - 470 & seqq.

—— diſſidia in religione componere voluit. 66 a. 411
—— Eraſmum hortatur, ut ſtilum vergat in Lutherum, & ut Romam veniat. 66 b. 399, 401, 495, 498, 499
—— ſpondet indicere Concilium univerſale. 66
—— Hungaros & incolas Dalmatiae & Croaciae adjuvat. 67, 125, 212, 338
—— Eccleſiam Romanam emendare ſtatuit. 67, 68, 69, 356, 358, 375, 393, 400, 411, 412, 413, 414, 415, 417, 418, 419, 422, 423
—— quare miſeram profitetur Pontificum conditionem. 74 a.
—— in quos ſacerdotia contulit. 69, 133, 225, 226, 355, 404
—— cognatos difficile promovit. 69, 73 a. 138, 358, 368, 374, 393
—— Indultas, reſervationes & expectativas revocavit. 68, 159, 199, 207
—— omnem pompam exoſus. 70 a.
—— ſaeviente peſtilentia Romae quid fecerit 70, 124, 202, 337, 358
—— an permiſerit Demetrio Spartano taurum immolare. 124 b. 358
—— lenior & timidior habitus. 71 a. b. 132, 207, 345, 350, 427
—— Trajecti Academiam erigere voluit. 71 a.
—— Antoninum & Bennonem inter Sanctos refert. 71, 139, 200, 201, 356
—— quare Italis diſplicuit. 72 a. b. 73 a. b. 132, 134, 136, 137, 143, 159, 199, 207, 225, 226, 360, 378, 380, 400, 410, 457
—— Barbarus dictus ab Italis. 20 a.
—— quare corruptelas tollere nequivit. 73 b. 74 a. 75, 427
—— Poëtas odit. 133 a b. 429
—— Paſquilli ſtatuam in Tyberim praecipitare voluit. 133, 134, 143
—— picturas non magni facit. 138
—— Guielmum Crojum odit. 98
—— odit factioſos homines. 132
—— circumſpectus in proviſione beneficiorum. 225
—— non induſtrius ad inveſtigandas pecunias. 227
—— ſua natura gratiſſimus & liberalis. 254
—— Franciſci Soderini proditionem quomodo punivit. 130, 355
—— ſuſpicacior evadit & quare. 131
—— an potuerit arma temporalia movere. 214
—— foedere junxit praecipuos Monarchas. 75, 135, 208, 214, 337
—— Guielmum Enchavordium Cardinalem creat. 75, 136, 217
—— unde morbum lethalem contraxit. 76, 136, 216, 504
—— ejus mors & quando obierit. 77, 136, 218, 327, 338, 343, 316, 349, 354, 356, 505
—— quare obiit. 78, 316, 330, 402
—— an veneno extinctus. 79 a. b. 216, 219, 220, 328, 346, 359, 402
—— ubi ſepultus & ejus *exequiae*. 79, 80
—— ſuppellectilem ſuam quibus *reliquit*. 217, 505
—— optime Papatum geſſit. 360, 490
—— Papa vixit ut docuerat. 360, 368, 369, 374, 475, 381, 393, 413
—— quae correxiſſet ſi diutius vixiſſet. 136, 137
Halma (*Franciſcus*) notatus. 1 a. 12 b. 347 a.
Hamelmannus notatus. 5 a. 12 b.
Hazaeus notatus. 5 a. 88 a.
Heda notatus. 289 b.
Hegius (*Alexander*) praeceptor Hadriani VI. 5 b.
Helvetii, fidei tutores & patroni. 200
Hermolaus Barbarus qualis fuerit. 10 a. b. 11 a.
Henrici V. Imp. exta condita Trajecti. 251 a.
Henricus VIII. Angliae Rex Hadrianum invitat. 116
—— – foedus contra Gallos init. 135
*de* Herrera (*Franciſcus*) Canonicus Toletanus, Caeſarauguſtam venit ad videndum Hadrianum VI. 170
Heuterus (*Pontus*) notatus. 35 a. 117 b.
Hezius (*Theodoricus*) Hadriano VI. a ſecretis. 70, 123
—— Datarius creatus ab Hadriano VI. 169
—— quare non Cardinalis creatus. 139, 217
—— ejus fata. 70 b. 71 a.
Hierna inſula, ubi jacet. 190
Hiſpani Belgis irati. 98
—— – rebellant contra Carolum. 98, 99, 100, 102, 103


– ad

—— ad officium redacti ab Hadriano. 50 336
—— Hadrianum colunt. 451
—— laetantur Hadrianum VI. Papam electum. 113, 115
—— eum in Hispania retinere conantur. 116
Hispaniae an alienigena praeesse possit. 41 a.
Hispanorum militare symbolum. 188
Hoenius (*Cornelius*). 247
Hollandi, Hadriano VI. Papa electo, signa publicae laetitiae edunt. 398
Hollandia, olim Batavia appellata. 2
—— – ubi sita. 87
Hontenius Cusius Carolo V. a consiliis. 36 b.
Hoochstratanus, Inquisitor crudelis. 359
Horariae preces. 27
*de* Hotos, Commendatarius de Calatrava, Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
Hugo magnus. 64
Hungari implorant auxilium ab Hadriano VI. 200, 201
*a* Hurtado (*Johannes*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
Hurtado (*Lupus*) quali officio functus in navigatione Hadriani VI. 176
Hymbertus, Princeps Delphinatus, quomodo Patriarcha Antiochenus consecratus. 290 b.

I.

Jacobatius (*Dominicus*) Cardinalis. 111 b. 145
*S.* Jacobus, Hispanorum militare symbolum. 188
Jacobus, Cardinalis Papiensis, quid Paulo secundo Papae exprobaverit. 368
Jacobus a S. Carolo notatus. 351 a.
Jannesius (*Alexander*) Cardinalis. 144
Iberi unde dicti. 240
Iberus amnis. 240
Ignorantia cunctorum errorum mater. 273 a.
Ilerda urbs. 239
Ilerdensis Episcopatus cuinam Archiepiscopatui subjacet. 239
Imperii ordines quid ab Hadriano VI. petunt. 416
Indacus Velascus praefectus Hispaniae a Carolo quinto. 101
—— rebelles ad officium redigit. 102 - - 104
—— Navarram Caesari vindicat. 105
—— offert Hadriano VI. triremes quibus in Italiam navigaret. 162
—— Hadrianum VI. quomodo excipit. 162
Indocti in clerum non recipiendi. 273 a.
Indulgentiae quare parcius concessae ab Hadriano VI. 68 a. b. 418
Indulta Cardinalium revocata ab Hadriano VI. 159
Infortunia quae obvenerunt Apostolicae sedi, Hadriano VI. eam gubernante. 200, 201
Innocentius IV. Papa Cardinalibus rubrum pileum dedit, & quare. 296 b.
Inquisitio facienda in eos qui in clerum cooptari volunt, & de quibus. 22 a. b. 273 a. b. 274 a.
Inquisitionis tribunal in Hispania. 47 a.
Johanna, filia Ferdinandi Catholici, nupta Philippo, & ejus ditiones & liberi. 35 b.
—— – post mortem mariti melancholica. 92 b. 102
Johannes Batta Pallavicinus Cardinalis. 115
Johannes a Bilbao. 160
Johannes Castellanos a Villalva, Episcopus Callagurritanus. 157
Johannes Clericus, Meldensis Martyr. 359
Johannes a Corduba liberatus a naufragio. 234
Johannes IV. Dux Brabantiae, conditor Academiae Lovaniensis. 6 a.
Johannes, filius Ferdinandi catholici, ejus matrimonium & mors. 35 b.
Johannes Manuel, Caesaris Legatus Romae. 54, 110
Johannes Martinus Siliceus, Archiepiscopus Toletanus. 155
Johannes XII. Papa, quare nomen suum mutavit. 59 a.
Johannes, Patriarcha Constantinopolitanus qualis. 273
Johannes, Rex Navarrae, proscriptus a Julio secundo Papa. 51 a.
Jonae Prophetae fata. 303
Josephus, Patriarcha Constantinopolitanus qualis. 273 b.

Josina

Josina de Nyenrode, rapta a Wilhelmo Turck. 18 b.
Jovius (*Paulus*) sacerdotio ornatus ab Hadriano VI. 133
—— vitam Hadriani VI. conscripsit. 144
—— notatus. 25 a. 55 a. 63 a. 78 a. 88 a. 89 a. 90 b. 91 a. 113 a. 118 b. 123 a. b. 124 a. b. 133 a.
Isabella, Ferdinandi Catholici uxor. 35 b.
—— - ejus testamentum. 92 a.
Isabella, soror & haeres Guielmi Enchevortii. 44 a.
Julius II. Papa Hadrianum Romam invitat. 25
—— - Pisis ad caussam dicendam vocatus a quibusdam Cardinalibus. 24 a b.
—— - proscribit Regem Galliae & ejus foederatos. 51 a.
—— - ditiones Alfonsi Ateſtini invadit. 62 a.
—— - Prospero Columnae restituit ditiones a Caesare Borgia occupatas. 119 a.
Justinianus notatus. 1 b.
Justitiae vexillifer summa Florentiae dignitas. 128 a.

L.

Labbaeus notatus. 356 a. b.
Lamberti Martyris mandibula Hadriano VI. P. dono missa a Caesaraugustanis, & qualis ille Lambertus fuerit. 60, 114
Lambertus, Comes Lovanii, Divi Petri templum multis sacerdotiis dotavit. 19 a.
Langius (*Rudolphus*) primus cum Rudolpho Agricola Graecas literas in Belgio excitavit. 5 b.
Lanojus (*Carolus*) a consiliis Carolo V. 36 b.
Launojus laudatus. 55 a. 72 a.
*S.* Laurentii oppidulum. 231
Laurentius Ursinus Cajetanus, custos Conclavis. 147
Laxaus a consiliis Carolo quinto. 36 b.
—— - missus in Hispaniam, & quare. 40 b.
Lecca, meatus Rheni. 2
Legati Pontificii quales debent esse. 311, 312
Legatorum Pontificiorum luxus. 299
Leges compositionum discutere decreverat Hadrianus VI. 69
*de* Leiva (*Antonius*) Genuam venit ad salutandum Hadrianum VI. 187
Leo decimus Papa, qua aetate Cardinalis & Papa creatus. 52 a.
—— liberalissimus & profusissimus. 67 b. 129 a.
—— Literatorum & Poëtarum fautor. 133 b.
—— Bernardinum Carvajalem in gratiam recipit. 24 b.
—— Cardinales quosdam contra eum conjurantes quomodo punit. 94 b.
- - plures Cardinales creat, & quare. 96 b.
- - Medicaeae domus splendorem augere voluit. 62 a. b.
- - Franciscum Mariam Feltrium ditionibus spoliavit. 62 a.
- - quando mortuus. 144
- - quo mortis genere perierit. 52 a. b. 106 263, 395
- - quae ante mortem animo destinaverat. 264
- - aerarium Pontificium exhausit. 61 b. 121
- - magnum aes alienum reliquit. 68 a.
Leodium urbs expugnata a Carolo Burgundiae Duce. 289 a.
Leoninus Professor Juris Lovanii. 7 a.
Leontius (*Hadrianus*). 257
Leuca quod passibus constat. 232
Liber (*Antonius*) an fuerit praeceptor Hadriani VI. 5 a.
Loaysa (*Garsias*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 170
—— - diversus a Garsia Loaysa Archiepiscopo Toletano. 170 a.
Lochorstius (*Hermannus*) Decanus S. Salvatoris Trajecti. 255
Lochorstius (*Wilhelmus*) Canonicus D. Mariae. 256 b.
—— — - ejus Epistola de morte Hadriani VI. 504
Lombaerts (*Michaël*) Praepositus S. Salvatoris. 44 a.
Lopez de Stuniga (*Didacus*) edidit Itinerarium ab oppido Complutensi ad urbem Romam. 187 a. 234, 343 a.
Lotharius Imperator, Theuberga uxore repudiata, ducit Walradam. 271 b. 272 a.
—— — priorem uxorem recipit & ejus mors. 272 a. b.
Lothrecus, Dux Gallorum. 104 b.
Lovanienses de quibus admoniti ab Hadriano in damnatione Lutheri. 447
—— —— - Lutherum haereticum declarant.

rant. 6,7a.
—— —— - Hadriano trophaeum erigunt. 403, 440
Lucina oppidum. 231
Lucinii, Comitis Hispani, merita in Hieronymum. 247
Lucretia, Alexandri VI. Papae filia, & ejus matrimonia. 62a.
Lucronium qualis urbs. 62a.
Ludovicus, Rex Hungariae, impar ad resistendum Turcis. 65, 121
—— —— ipsi pecuniam misit Hadrianus VI. 125
—— —— foedus init contra Gallos. 135.
*de* Luna (*Dux*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
Lutheranismus propagatus in Austria. 201
Lutheranorum centum postulata. 125
Lutheri doctrinae progressus. 359
—— — doctrinam quomodo Hadrianus VI. appellare solebat. 66b. 468, 469, 470 & seqq.
—— — libri Lovanii, Leodii & Coloniae incensi. 74b.
Lutherus (*Martinus*) qualis. 125
—— — haereticus declaratus a Lovaniensibus. 6b.
—— — unde occasionem accepit oppugnandi dogmata Pontificia. 68b.
—— — an omnem Philosophiam condemnaverit. 356a.
—— — conflixit cum fanaticis hominibus. 359
—— — quomodo celebrat Martyres Bruxellis concrematos. 359
Luxus Ecclesiasticorum. 299

M.

Macuecos Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum. 170
Magdalena, soror Leonis decimi, nupta Francisco Cibo. 52a.
Magistratus Trajectini an dederint testimonium de Hadriani VI. natalibus. 3b. 397a.b.
*de* Mala hora, turris, unde aedificata. 190
Malaspina (*Barnabas*) a secretis cubiculis Leoni X. & an mortis ejus auctor. 52a.b.
Malatesta (*Sigismundus*) Ariminum per insidias occupat. 121
—— —— Arimino expulsus. 61, 123, 355
Mallinkrot notatus. 39a.
Mamaluchi ad internecionem deleti a Feracato. 126
Manso Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum. 170
Manuel Arsenicus quomodo Patriarcha Constantinopolitanus consecratus. 291a.
Marcellus Papa an primus Cardinales instituerit. 296
*D.* Marcus militare symbolum Venetorum. 188
Marcus Cornelius Venetus Cardinalis. 145
—— — - Hadrianum VI. coronavit. 61a. 327
*S.* Margaretha ubi culta. 229
Margaretha, vidua Caroli Burgundiae Ducis, Hadrianum provehit & ejus elogia. 16, 17, 89, 349. 395
Maria, filia Ferdinandi Catholici. 35b.
Marius Placentinus Hadrianum VI. occidere tentat. 134
Maro (*Andreas*) Poëta, sedibus, quas in Vaticano ipsi adsignaverat Leo, expulsus ab Hadriano VI. P. 133b.
Marteneus laudatus. 95b.
Martini Cardinalis laus. 312
Martino Siliceo, Archiepiscopo Toletano, Itinerarium dedicat Ortizius. 155
Martinus V. Papa concedit immunitates Academiae Lovaniensi. 6a.
Matenesius (*Johannes Fredericus*) scripsit de ritu bibendi super sanitate Principum. 19b.
Mattheus Cardinalis. 146
Mattheus (*Johannes*) Datarius creatus a Clemente VII. 224
Mauricius (*Alphonsus*) Archiepiscopus Hispalensis. 241
Maximilianus Caesar Hadrianum praeficit studiis Caroli. 29. 90
—— —— - Leoni decimo commendat Bernardinum Carvajalem. 184a.
—— —— — ejus mors. 46a. 97
Medices (*Julius*) Cardinalis. 145
—— — Papatum ambit. 52, 106, 108, 109
—— — an auctor electionis Hadriani VI. 110, 111, 112, 407
—— — Hadriano VI. obviam venit. 120, 189
—— — suadet Hadriano VI. cohortes, quas ex Hispania adduxerat, Rhodum mittere. 122

—— — falso delatus apud Hadrianum VI. 128
—— — quomodo calumnias Francisci Soderini detegit. 130
—— — Papa electus. 223
—— — ejus liberalitas. 224
Melanchton an in officina pistoris laborarit. 356 b.
*de* Mendoca (*Rodericus*) Caesaraugustam venit ad Hadrianum VI. 171
—— — — — Hadriani VI. mortui cadaver observat. 218
Mercatura an Clericis licita. 283 b. 284 a. b.
—— —— an nobilibus. 235
Metimna Campi incendio conflagrata. 100
Mendoza notatus. 284 a.
*de* Milan Visconti (*Daniel Baro*) laudatus. 3 a. 4 a. 151 a.
Militia Clericis interdicta. 214 a. b. 215 a.
Ministri Ecclesiae quomodo esse debent. 293 a. b.
Miraeus (*Aubertus*) scripsit elogium Hadriano VI. 144
—— — — notatus. 331 a. b.
*de* Miranda (*Comes*) Prorex Navarrae. 166
Monachorum munus. 213
—— — — — — commune officium libros exscribendi, antequam ars typographica inventa fuit. 298 a. b.
Monasteria in Archiepiscopatu Terraconensi. 239
Mons Christi, insula, ubi jacet. 190
Mons Jovis prope Barchinonem. 238
Montanus (*Antonius*) Cardinalis. 109 a.
—— —— — deputatus a Conclavi pro funere Leonis, aliisque negotiis peragendis. 144
Monteroso oppidum. 229
Montis- Flascon urbs. 229
Morhovius notatus. 12 b.
Moringus (*Gerardus*) vitam Hadriani VI. conscripsit. 144
—— — — notatus. 77 a.
Municipii de Monago descriptio. 180
Murus Ecclesiae quid mystice significet. 270
Mutius notatus. 49 a.

N.

Najara qualis urbs. 163
*de* Najara (*Dux*) Hadriani VI. pedes deosculatur. 163
Nasus quando divino judicio praescinditur. 276
Navarra Carolo conservata opera Hadriani. 51, 104, 105
Necrologium Salvatoris notatum. 256 a.
Neophyti in Hispania quales. 46
—— —— eorum petitio in conventu Barcinonensi. 47
Nicetas, Constantinopolitanus Patriarcha qualis. 274 a.
Nicolaus primus Papa deponit Episcopos, qui in dissolutione matrimonii Lotharii Imp. consenserunt. 272 b.
Nicolaus Rodulphus Cardinalis. 145
Niger (*Hieronymus*) scripsit Epistolam de Hadriani VI. virtutibus. 144
Nipho, Patriarcha Constantinopolitanus qualis. 273 b.
Nobilibus mercatura prohibita. 235
Nola urbs. 236
Nonnius (*Petrus*) praeceptor Ferdinandi. 39 b.
Novem gentes alienigenae, & novem menses, quibus Roma impraegnatur, quid mystice significent. 309
Numismata ab Hadriano cusa. 80

O.

Oblationes quomodo, & an omnium reciperentur. 109 a. b.
—— —— in Ecclesia quales, & quando fiebant. 300 b.
Oem de Wyngaerden (*Florentius*) in exilium missus & restitutus ope Hadriani VI. 448, 449 b.
Olearius notatus. 406 a. b.
Onuphrius Panvinius conscripsit vitam Hadriani VI. P. 144
—— —— — notatus. 44 a.
Ora erepta Saracenis a Ximenio. 40
Ordinarius, pro Episcopo loci. 18 a.
Ordines Divi Jacobi in Hispania. 41 a. b.
—— — eorum magisterium proprium & perpetuum factum coronae regiae. 42
*de* Oria (*Andreas*) Genuensis exul. 181
*de* Oria (*Johannes*) Inquisitioni traditus. 163
—— — damnatus. 172
Orosius (*Alvarius*) praeceptor Ferdinandi Caroli fratris. 39 b.
Ortizius (*Blasius*) auctor Itinerarii Hadriani VI. 144, 331
—— —— quare ejus gesta descripsit. 156

— — Pro-

— — Provisor Episcopi Calagurritani. 157
— — missus ab Episcopo suo ad Hadrianum VI. 158
— — venit ad Hadrianum P. & quid ab eo petit. 160
— — in Capellanum adsumptus. 161
— — testis adhibitus ab Hadriano, cum Pontificatum acceptaret. 161
— — quibus rebus ab Hadriano P. praefectus. 168
— — iniquior Guielmo Enchavordio. 217
— — Hadriano VI. mortuo in Hispaniam revertitur. 228, 229
— — ejus itinerarium a Roma in Hispaniam. 229 ad 243
— — laudatus. 71 a.
— — notatus. 71 b. 197 a. 217 b.
Oscensis Episcopatus cuinam Archiepiscopatui subjacet. 240
Otto (*Everhardus*) laudatus. 296 a.

P.

Pacaeca (*Maria*) uxor Johannis Padilliae, virum ad rebellionem incitat, & ejus fata. 104 a. b.
Paciecus (*Petrus*). 218
Padillia (*Johannes*) Dux rebellium Hispanorum. 101, 102
— — captus a Caesarianis. 103
— — jugulatus. 104
Paedagogia Lovaniensia. 9
Pallavicinus (*Baptista*) Cardinalis. 111 b.
Pallavicinus Cardinalis notatus. 72 b. 360, 410, 418, 419, 422
Pamphilonensis Episcopatus cuinam Archiepiscopatui subjacet. 240
Pandulphus Malatesta vendidit Ariminum. 61
Papa an possit dispensare de sacramento confessionis. 374
— an possit ante electionem regulas Cancellariae promulgare. 168
— an quid possit expedire ante coronationem. 195, 196
— an possit aliquem creare Cardinalem Cardinalibus non consentientibus. 217 a.
Papae dispensatio super pluralitate beneficiorum an tutum reddat hominem in foro conscientiae. 369 - - 373
— defuncti pedes deosculantur. 219
— defuncti clientes quot diebus impensis Camerae Apostolicae aluntur. 210
Papae absentes creari possunt. 54 a.
— electi nomen mutant. 58 b. 59 a.
— quomodo munus suum exercere debent. 305 - - 311
— quomodo confirmant electiones Episcoporum illiteratorum. 274 a.
— quare Concilium semper devitarunt. 463
— illiterati & indocti. 274 a.
— spurii. 274 b.
— Symoniaci. 278 b.
Papenbrochius notatus. 108 b.
Papenbroekius (*Gerardus*) laudatus. 444 a. b. 453 a.
Parochialis Ecclesia non conferenda nisi in eum qui XXV. annos natus est. 17 b.
— — sacerdotis officium. 17 b. 18 a.
Passerinus (*Sylvius*) Cardinalis. 145
Passus quid. 232
*de* Paternia (*Didacus*) quibus negotiis ab Hadriano VI. praefectus. 168
Patriarchae in Orientali Ecclesia seculo XIII. ex Monachorum ordine plerumque electi. 291 b.
Patriarcharum luxus. 299
*a* Paula (*Franciscus*) inter Sanctos relatus a Leone decimo. 139
Pauperes subveniendi ex bonis Ecclesiae. 301 a.
Paushuys, domus, aedificata ab Hadriano. 25
Pax Noviodunensis. 97 a. b.
Peckius, Professor Juris Lovanii. 7 a.
Perezius, Professor Juris Lovanii. 7 a.
Permutationes beneficiorum. 279
Pestilentia Romae. 121, 124, 202, 207, 337, 355
*D.* Petri templum Lovanii dotatum variis sacerdotiis a Lamberto Comite. 19 a.
Petruccius (*Alphonsus*) Cardinalis qualis fuerit. 94 a.
— — conjurans in necem Leonis decimi quomodo punitus. 94 b.
Petruccius (*Fabius*) Julio Medicaeo Romam venienti obviam venit. 130
Petruccius (*Raphael*) Cardinalis, & ejus fata. 94 a.
Petrus Mantuanus praeceptor Caelii Calcagnini

gnini & Alberti Pii. 45 a.
Petrus, Marchionis de Monte majori filius, submersus. 234
Petrus Navarrus, Comes, Genuam venit. 186
—— - captus & capite plexus. 187
Petrus de Roma quibus negotiis praefectus ab Hadriano VI. & qualis fuerit. 169
—— - Hadrianum Romam ingredientem sequitur. 194
Philippus Archidux nubit Johannae filiae Ferdinandi Catholici. 35 b.
—— —— ejus lites cum socero. 92 a. b.
—— —— Hispaniae Rex & ejus obitus. 90, 93
Philippus de Burgundia, Episcopus Trajectinus, qualis fuerit. 289 b.
—— —— ex milite Episcopus. 290
—— —— quomodo Trajecti exceptus. 290 a.
—— —— quomodo sacris ordinibus initiatus. 291 b.
Piccolomineus (*Johannes*) Cardinalis. 145
—— —— —— deputatus a Conclavi pro funere Leonis X. aliisque negotiis expediendis. 146
—— —— —— Hadriano VI. obviam venit. 189
Pierius Valerianus, contubernalis Hieronymi Aleandri. 74
—— — notatus. 73 b.
Pighius (*Albertus*) Romam evocatus ab Hadriano VI. 138 b.
Pisae urbs. 232
Pisanus portus. 190
Pius (*Albertus*) Carporum Comes, Hadrianum Leoni X. commendat, & ejus fata. 43 a. b. 96
Planosa insula ubi jacet. 190
*de* Plombin oppidum, & ejus canalis. 190
Pogibontium oppidum. 231
*de* Pogio municipium. 231
Polancus Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 170
Polanus notatus. 77 a.
Pontificatus fato datur. 87
Ponzettus (*Ferdinandus*) Cardinalis. 145
Portentum, Hadriani VI. mortem praedicans. 111
Portocarrerius (*Petrus*) frustra ambivit Magisterium ordinum D. Jacobi in Hispania. 41 b.
Praelatorum vitia. 308
Praesulum & Praelatorum officia, & quae eos decent. 291, 292, 294
Primatum luxus. 299
Proclus, Patriarcha Constantinopolitanus. 275 b.
Proelium Ravennense. 119 b.
Propugnacula argentea Ecclesiae quid mystice significent. 270
S. Publianus ubi cultus. 229
Puccius (*Laurentius*) Cardinalis. 145
—— —— falso delatus apud Hadriannm VI. 129
—— —— qualis fuerit. 129 a.
—— —— obstat Hadriano VI. ne reformatio instituatur. 73 b. 412, 423
Pyrrho Bassae ignavia increpita a Solymanno. 126

## Q.

Quatuor venti, bestiae, fabri, cornua, capita in bestia, & quadrigae quid mystice significent. 269
Quenstedius (*Joh. Andr.*) notatus. 405 a. b.
Quiricus oppidulus. 231

## R.

Ramirez de Arellano (*Didacus*) Episcopus Conchensis, Caesaraugustam venit, ad videndum Hadrianum VI. 169
—— —— in canonizatione Antonini & Bennonis orationem habet. 211
Rangonus (*Annibal*) Cardinalis. 145
Rangonus (*Ercules*) custos sacri palatii. 146
Reformatio non exspectanda a Papa Romano. 328
Regnum Longobardorum in Italia finitum. 270 b.
Regressus magna ex parte sublati ab Hadriano VI 68, 159
Rentius Ceres, Cremae Dominus, & ejus fata. 111 b.
Reservae magna ex parte sublatae ab Hadriano VI. 68, 159
Rhodus expugnata a Turcis. 63 a. b. 125, 126, 205. 206

Riari-

Riarius (*Raphael*) Cardinalis, & ejus fata. 95 a.
*de* Ribagorsa (*Comes*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
*de* Ribera (*Didacus*) Praesul Segoviensis, Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 170
*de* Ribera (*Johannes*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
Robertus, Dux expeditionis sacrae. 64
Rodenburgiorum familia, & an ex ea descenderit Hadrianus VI. 3 a.
Rodulphus Cardinalis obviam venit Hadriano VI. 189
Roesius a consiliis Carolo V. 36 b.
*de* Roias (*Johannes*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
Roma occupata a Caesarianis. 241
Romanae matronae Pontificis defuncti pedes deosculantur. 219
Romani irati Hadrianum Papam creatum. 54 a. 112
— — audita Hadriani morte exultant. 77 b. 136
Ronchillius qualis fuerit. 99 a. b.
Rorarius (*Hieronymus*) missus ab Hadriano VI. ad Fredericum Ducem Saxoniae. 65 b. 466
*D.* Rosa ubi culta. 229
Ruffus (*Johannes*) Hadriano VI. intimus. 123
— — Episcopus Gadicensis creatus ab Hadriano VI. 213
— — rejectus ab intimis arcanorum cubiculis. 131
Ruisella, oppidum. 229
Ruiz (*Franciscus*) Abulensis Episcopus, Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 170
Rustici, Papa Romano mortuo, quid facere solent. 221
Rusticorum tumultus in Germania. 50 a. b.

S.

Sabellus (*Antimus*) cum Pompejo Columna populum Romanum ad libertatem capessendam instigat. 75 b.
Sabeus (*Faustus*) Poëta, male habitus ab Hadriano VI. 133 b.
Sacerdotes quanto honore habendi. 478, 479, 481
Sacerdotia Trajecti. 2
Salmonius Macrinus Juliodensis notatus. 60 a.
Salvagius (*Johannes*) a consiliis Carolo quinto. 36 b.
Salviatus (*Johannes*) Cardinalis. 145
Sancta Junta. 100 a.
Sanderus notatus. 44 a. 336 b. 338 a.
Sanseverinas (*Fredericus*) Cardinalis deficit a Julio secundo Papa. 23 b.
Saona urbs qualis. 184
— — quomodo mulieres ibi incedunt. 185
Sarpius (*Paulus*) unde Historiam suam deprompsit. 417
Sasboldus (*Adamus*) orationem habuit in funere Tilmanni a Geldorp. 23 b.
*de* Sastago (*Comes*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
Saxoniae Dux a quo Elector constitutus. 473
Saxonicae fidei plantatores quinam. 473
Scaramutia Trivultius Cardinalis. 111 a. b. 145
Schilterus notatus. 65 a.
Scultetus laudatus. 215 a.
Seckendorfius laudatus. 125 b.
— — — notatus. 417
Segobrigensis Episcopatus cuinam Archiepiscopatui subjacet. 240
Selymus, Turcarum Imperator crudelissimus. 121 b.
Senae civitas. 231
Sergius secundus Papa quare nomen mutavit. 58 b 59 a.
Sfortia (*Franciscus*) Hadriano VI. Genuam obviam it. 118, 187
— — Mediolano exutus, quomodo restitutus. 119 a.
Smaragdus Genuensis. 119
Snojus (*Reinesius*). 304 a. b.
Soderinorum familia, Florentiae nobilissima Mediceis inimicissima. 128 a.
Soderinus (*Franciscus*) Cardinalis. 146
— — ejus animi dotes. 131
— — conjurans in necem Leonis decimi quomodo punitus. 94, 95 a.
— — obstat Hadriano VI. ne reformatio instituatur. 73 b. 412, 423, - 425
— — falso Julium Medicem accusat apud Hadrianum VI. 128
— — ut & Laurentium Puccium, &

Franciscum Armellinum Cardinales. 129
—— —— ejus literae ad Franciscum I. Galliae Regem interceptae. 129
—— —— in vincula conjectus. 130, 355
—— —— liberatus. 131, 209
Soderinus (*Nicolaus*) Florentia expulsus. 158 b.
Soderinus (*Petrus*) Justitiae vexillifer Florentiae constitutus. 128 a.
Solimannus, Turcarum Imperator, Rhodum obsidet & expugnat. 62, 63 a. b. 121 126, 127
Spirinx (*Petrus*) Medicus. 21
Spurii an in Clerum admittendi. 274 a. b. 275 a.
Stadium quid. 133
Standonk (*Johannes*) varia Collegia condidit. 8 a. b.
Staya vicus. 231
Strata vicus. 232
Struvius notatus. 5 a. 141 a. 152 b.
Subintroductam mulierem secum habere Clericis prohibitum. 21 b.
Sweertius notatus. 44 a 343 a.
Swollae schola trivialis. 6
*de* Sylva (*Ferdinandus*) Capitaneus custodiae Pontificis. 171, 209
—— — Hadriani VI. defuncti pedes deosculatur. 218
—— — submersus. 229, 233
Symonia interdicta. 278 a. b.
Symoniaca pravitas abominandum idolum. 277

T.

Tabernarii viles personae. 285 a.
Tancredus. 64
Tarraconis urbis descriptio. 175
Tarraconensis Provincia. 239
*a* Tavora (*Johannes*) variis negotiis ab Hadriano VI. praefectus. 168
Tentzelius (*Wilhelmus Ernestus*) Consiliarius & Historicus Saxonicus. 141
Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis Laicus electus. 129 a. b.
Theologi Scholastici traducti ab Erasmo. 15 a.
Theophilus, Patriarcha Alexandrinus, obedientiam defert Apostolicae sedi. 74
Theuberga, uxor Lotharii, repudiata. 271 a. b. 272 a. b.
Thietgandus, Archiepiscopus Trivirensis, depositus. 272 a. b.
*de* Thimo (*Johannes*) Decanatum Lovaniensem cedit Hadriano. 18 b. 349, 350
Tigurini in Helvetia quando purum Dei verbum praedicare inceperunt. 359
Tilmannus Clericus a Geldorp, Praeses Collegii Pontificii Lovanii. 23 b.
Tirasonensis Episcopatus cuinam Archiepiscopatui subjacet. 240
Tituli in urbe Roma constituti, & quid. 296 a.
Toccinus scurra Hadriani VI. 72, 138
Tordesilla urbs capta a Caesarianis. 103
Tornonius, Dux Gallorum, captus ab Hispanis. 105
Torrius (*Ludovicus*) varias Epistolas MS. Hadriani VI. habuit. 12 b. 331
Trajectini Magistratus in gratiam Hadriani Wilhelmum Turck vinculis liberant. 18 b.
—— — signa publicae laetitiae, audita Hadriani VI. electione, edunt. 252 a. b. 398
—— — largiorem eleemosynam erogant pauperibus. 253 a.
—— — munera dant ei, qui primum nuntium de electione Hadriani VI. detulit. 253 b. 254 a.
—— — Epistolam congratulatoriam scribunt Hadriano VI. 452
Trajectum urbs ubi sita. 2
—— — arx Anthonina dicta. 252
—— — ejus origo, populi mores &c. 2 a. b.
—— — ejus encomia. 251
Translationes Episcoporum an licitae. 275 b.
Triumviri auctoritate Pontificia constituti. 112
—— — gemmas publicas & sacrorum solennium ornamenta oppignorant. 121
Trivultius (*Angelus*) Cardinalis. 145
Tudela urbs a quo munitionibus suis orbata. 165
Tuldenus Professor Juris Lovanii. 7 a.
Turck (*Wilhelmus*) in gratiam Hadriani vinculis liberatus. 18 b.
Turres Ecclesiae quid mystice significent. 273
Turris Davidis, & ejus propugnacula, & mille clypei, quid mystice significent. 292, 293

Ubal-

## U.

Ubaldus (*Guido*) Urbinatium Dux. 62 a.
Urgellensis Episcopatus cuinam Archiepiscopatui subsit. 239.
Ursinus (*Franciottus*) Cardinalis. 145
— — refragatur electioni Hadriani VI. 53, 112
— — Legatus a Cardinalibus missus ad Hadrianum VI. 149
— — an Hadriano VI. obviam venerit. 120 b.
Ursinus (*Ludovicus*) Comes Pitiliani, custos Conclavis Hadriani VI. 147

## V.

Vacca (*Ludovicus*) praeceptor Caroli V. 29
Valerius Andreas notatus. 5 a. 39 a. 42 b. 44 b.
*de* Valle (*Andreas*) Cardinalis. 145
Vanotia Catanea, concubina Alexandri VI. Papae. 263 b.
Vecerius (*Conradus*) scripsit librum de adventu Hadriani VI. ad Urbem. 144
— — habuit orationem in obitum Hadriani VI. 144, 331
*a* Valasco (*Johannes*) Episcopus Callagurritanus. 162
Velilla oppidum. 241
Venationi operam dare an Clericis liceat. 297
Venetorum militare symbolum. 188
Vernulaeus notatus. 77 a.
Vestes Clericorum an antiquitus distinctae. 280 a.
— — postea cuique ordini propriae, & luxuria circa eas prohibita. 281 a.
Vianesius Albergatus, Legatus Leonis decimi in Hispania. 58, 114
Vianesius, Bennoniensium Legatus Romae. 138
Vicarius Parochi qualis esse debeat. 17 b.
Vicecancellarii munus in Academia Lovaniensi. 89
Vicini pro civibus. 229 a.
Victorellus (*Andreas*) notatus. 44 a.
— — laudatus. 124 b.
Victoria, oppidum Cantabriae. 57
Victorius (*Paulus*) praefectus classi, quae ad Hadrianum VI. missa fuit. 118 a.
Victorius (*Petrus*) cum Hadriano VI. in Italiam venit. 118 a.
Vicus (*Raimundus*) Cardinalis. 111 b.
Villadamus (*Philippus*) quomodo habitus a Solymanno. 127
*de* Villena (*Marchio*) Caesaraugustam venit ad videndum Hadrianum VI. 171
Vitellius Tifernas Perusia expulsus. 110
Viterbium urbs. 229
Vitringa laudatus. 280 a. 300 b.
Vives (*Ludovicus*) praeceptor Guielmi Croji Cardinalis. 72 a.
— scribit Hadriano VI. 456 & seqq.
Vlaming (*Petrus*) laudatus. 20 b. 430 a. b.
Volsaeus (*Thomas*) Cardinalis. 146
— — qualis fuerit. 95 b.
Vulsena oppidulum. 231

## W.

Walrada, uxor Lotharii Imperatoris. 272 a. b.
Wamesius Professor Juris Lovanii. 7 a.
Widoe (*Johannes*) conditor Collegii Porcensis Lovanii. 7 b.
Wilhelmus Hermanni, primum nuncium de electione Hadriani Trajectum defert. 453
Willibrordus Episcopus Trajectinus. 252

## X.

Ximenes (*Franciscus*) Cardinalis Hispaniae praefectus. 39, 354
— — qualis fuerit. 40, 41
— — Hadrianum regimine amovere tentat. 40 b.
— — varias urbes, & castella Navarrae munitionibus suis orbavit. 165

## Z.

Zamora urbs quomodo antiquitus appellata. 103
Zoesius, Professor Juris Lovanii. 7 a.

# F I N I S.

# ERRATA.

Pag. 1. not. b. lin. 2. Sadolienſis *lege* Salodienſis. 2. l. 8. utilitatem *lege* vilitatem. 3. l. antep. Slemma *lege* Stemma. 7. a. l. 28. Andreas Valerius *lege* Valerius Andreas. 10. l. 18. deceſſurus *lege* diſceſſurus. 11. b. l. 7. cincera *lege* ſincera. 14. b. l. 7. roſtro *lege* roſtro. 16. l. 25. potuis *lege* potius. 17. *l.* 15. *ſuſcptas lege* ſuſceptas. 18. a. l. 12. Exrravag. *lege* Extravag. 21. b. l. 10. Hierach. *lege* Hierarch. 22. a. l. 1. Ecclegiae *lege* Eccleſiae. 23. b. l. 18. Carthugenienſis *lege* Carthagenienſis. 24. l. 9. Ptaeſes *lege* Praeſes. 31. l. 4. leges *lege* Reges l. 7. ſucceſſivis *lege* ſubſecivis. l. 10. ptoponebat *lege* proponebat. l. 16. adpellans *lege* adpellens. 32. l. 19. potuis *lege* potius. 38. l. 21. lubentet *lege* lubenter. 43. b. l. 21. Pariſius *lege* Pariſiis. 44. b. l. 16. Heusd. *lege* Heuſſen. 53. a. l. 10. Guidianas. *lege* Gudianas. a. l. 26. Heusdenum *lege* Heuſſenum. b. l. 4. Heusdenus *lege* Heuſſenus. 61. b. l. antep. foederatoribus *lege* foeneratoribus. 64. a. l. 4. Elegior. *lege* Elogior. b. l. 11. convuntus *lege* conventus. 67. a. l. 8. H. V. H. *lege* H. V. R. l. 9. Heusd. *lege* Heuſſen. 69. l. 6. foveret *lege* faveret. 70. a l. pen. puſtulentiae *lege* peſtilentiae. 72. b. l. 14. Episcopalis *lege* Episcopalis officii. 73. b. l. 11. Heusd. *lege* Heuſſen. 78. a. l. 18. terrs *lege* terris. b. l. 17. Heusd. *lege* Heuſſen. 80. b. l. 15. Heusd. *lege* Heuſſen. 91. l. 21. inpotentique *lege* impotentique. 95. b. l. 11. §. xcvii *lege* §. cxvii. 96. b. l. 14. aegeſtate *lege* egeſtate. 97. a. l. 3. ſine *lege* fine. 104. l. 6. jugulare *lege* jugulari. 109. l. 14. fuas *lege* ſuas. 113. l. 14. praepopero *lege* praepropero. 119. a. l. 35. accerſitus *lege* arceſſitus. 227. in marg. l. 4. Prae *lege* Praelati. 294. l. 31. carmen *lege* carnem. 296. l. ult. honeſlandi *lege* honeſtandi. 343. a. l. 1. Erat *lege* Errat. 365. l. 34. abuntitur *lege* abutitur. 437. l. 37. ſuperiotibus *lege* ſuperioribus. 444. a. l. ult. humuaniſſimus *lege* humaniſſimus. 445. l. 17. ſcripſi *lege* ſcripſi. 454. l. 10. Chriſtiane *lege* Chriſtianae. 485. in marg. in fine Papa *lege* Papae.

XXXXXX
Apr. 84

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Burman, Caspar

Hadrianus VI sive Analecta historica de Hadriano VI

Trajectum ad Rhenum 1727

4 H.eccl. 142
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10003968-2